DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

DICTIONARIVM POETICVM.

*

OPVS *prorſus nouum, & ab iis omnibus, quæ hactenus eodem, ſimiliue titulo circũlata fuerunt, longè diuerſum: ex præſtantiſſimis linguæ utriuſq; ſcriptoribus, iiſdémque fœcundiſſimis fabularum fontibus, ſummo iudicio, diligentiáque exquiſitiſſima concinnatum.*



CVM PRIVILEGIO.

Lugduni, apud Godefridum & Marcellum Beringos, fratres, M. D. LI.

BIBLIOTECA
... CAPPUCCINI
FOLIGNO

IF. R.
B511D

GODEFRIDVS ET MARCELLVS BERINGI, LITERARVM STV-DIOSIS S.

*

ETSI ſuperiorem noſtram in hoc opere emittendo induſtriam ea à uobis alacritate exceptã meminimus, ut certiſsimã in ſpem adducamur, eius uos editionis nõ omnino pœnitere: cùm tamen de eo rurſus ad prælum reuocando conſilium cepiſſemus, neruis nobis omnibus annitendum putauimus, ut ex noua hac palingeneſia noui aliquid fructus ſtudijs ueſtris adijceretur. Nam etiamſi nihil à nobis in priore editione fuerit prætermiſſum, quod à typographis nec indiligentibus, nec imperitis ęquum erat expectari: quoniam tamen ad alieni operis impreſsionem præter fidem ac diligentiam nihil nobis putabamus afferendum, non pauca tunc nobis neque fideliter ſatis neq; diligenter tradita, candidè fuerunt diſsimulanda. Neq; enim ſatis aut uerecũdè aut liberaliter facturi uidebamur, ſi alieno in opere ingenio noſtro quicquam permitteremus: neq; ſatis prudenter, ſi ipſorum etiam ſcriptorũ culpas prępſtandas nobis putaremũ.

Verùm cùm flagitationibus ueſtris tãtùm non quotidianis impulſi, nouam denuo editionẽ adornaremus, committendum nobis non putauimus, eundem ut in lapidem iterum impingeremus, aut quicquam uobis reliqui facere mus, in quo officium noſtrum meritò poſſetis deſiderare. Proinde cùm partim per noſipſi depræhendiſſemus, partim ab hominibus in hoc ſtudiorum genere exercitatiſſimis moniti eſſemus, quantum hoc in opere ſibi permiſiſſent duæ maximæ literarum labes, imperitia & negligentia, quanquàm multa cò eſſent inſercta, quæ & cenſuram ſeueriorem & accuratiorem limam deſiderarent: conſultius facturi uidebamur, ſi in nouis potius concinnandis, quàm in ueteribus, ijsq; alienis interpolandis oleum operãq; impẽderemus. Verùm cùm ſine grauiſſimo rerum noſtrarũ diſpendio per nos ipſi obire id commodè non poſſemus, Theſeum nobis adſciuimus, hoc eſt, hominem & amicum nobis, & in primis literatum, qui hoc quicquid eſt oneris & noſtra cauſa non grauatè ſuſciperet, & ingenij dexteritate poſſet ſuſtinere. Neq; enim tam ex protritis Neotericorum commentationibus (quod nullius propemodum erat negotij) quàm ex fœcundiſſimis Heſiodi, Homeri, L. Calabri, Ouidij, Diodori, Hygini, Phornuti, & Palęphati hortis (qui

partim

partim ſaluberrima ſapientiæ myſteria iucundiſsimis fabularum inuolucris ipſi obumbrarũt, partim à maioribus accepta, ſcriptisq; ſuis illuſtrata ad poſteros tranſmiſerunt) ſertũ hoc noſtrum contexendum putauimus. Atque ne noſtri hîc potius quæſtus, quàm commodi ueſtri rationem habuiſſe uideremur, dedimus operam, ne inutili acceſsione immodicã in molem opus exturgeſceret: tantumq; abeſt, ut eius augendi gratia ἀπροσδιόνυσον quippiam huc receperimus, aut ab argumenti huius natura alienum, ut non pauca etiam, quæ antea irrepſerant, hiſtoriæ propria, neque ad Poëtarum cognitionem quicquam conferentia, curauerimus reſecanda, & ueluti lolium è tritico, eximenda. Quid enim aliud erat, hiſtorias cum fabulis confundere, eodemq; in opere Lexicum poëticum, &, ſi Superis placet, hiſtoricũ exhibere, quàm diuerſiſsima obſonia eodem iure perfundere, & cupreſſum (quod dici ſolet) ad naufragij picturam aggregare? Ad hæc cùm in hiſtorijs omnia & fuſius tractētur, & apertius, quàm in hoc Commētariolorum genere (quorum uel præcipuam laudē breuitate metimur) aut debeant, aut poſsint: nihilo ſanioris iudicij uidetur, in Hiſtoricos Dictionarium parare, quàm ſi quis aut in meridie lucernam uelit accēndere, aut Soli (ut eſt in prouerbio) lumen

 fœne

fœnerari. Quare cùm hæc, aliaq; id genus non pauca, quę pręposterum copię ſtudium, iudicijq́; peruerſitas huc inuexerant, recidenda curaſſemus, operis quoque titulum, ut ineptum, ita & fallacem, coarctandum putauimus. Nam etiamſi ab ætatis noſtrę conſuetudine minimè abhorreat, ſpecioſis inſcriptionum lenocinijs ſcripta quenq; ſua certatim commendare: bona tamen fides non patitur emptori fucum facere, & uix quinquaginta ex uaſtiſsimo hiſtoriarum pelago contractas uoculas pro Lexico hiſtorico lectori obtrudere. Quocirca ne eandem, quam in alijs repræhendimus, uanitatis notam incurramus, neue plura in fronte oſtentaſſe, quàm pręſtitiſſe in receſſu uideamur, nihil hîc uobis, literarũ ſtudioſi, pręter Dictionariũ poëticũ pollicemur, ſed id prorſus nouum, & ab ijs omnibus, quę non diſsimili hactenus titulo prodierunt, longè diuerſum: ea deniq; cura, diligentiaq; elaboratum, ut in uniuerſum Poëtarum genus iuſti propemodum commentarij inſtar eſſe poſsit. Valete.

*

DICTIONARIVM POETICVM.

A

ABantes, (ἄβαντες) *populi fuerunt origine* Thraces, *qui relicta patria in* Phocide *ſedes collocarunt,* Abaſq; *oppidum incoluerunt, ſub* Helicone *ſitum: unde & Abantes dicti ſunt, ut refert Strabo lib.* 10. *Hi poſtea in* Eubœam *inſulam tranſmigrarunt, eamq; de nomine ſuo Abantidem appellarunt, cùm antea à ſitus longitudine Macris diceretur.* Non *deſunt tamen, qui huius inſulæ incolas Abantas dictos exiſtimēt ab Abante* Heroë, Neptuni *filio, qui nō multò ante* Tro*iana tempora in ea regnauit: quam ſententiam & Strabo attingit loco iam citato, &* Homeri *Scholiaſtes in librū* 2. Iliad. *Id quicquid eſt, hoc certò conſtat,* Homerum, *quoties Abantum meminit,* Eubœenſes *intelligere: ut in Catal. nauium,*

Οἱ δ᾽ Εὔβοιαν ἔχον μένεα πνείοντες Ἄβαντες.

Et paulò pòſt,

Χαλκωδοντιάδης μεγαθύμων ἀρχὸς Ἀβάντων.

Abantiades, (ἀβαντιάδης) *patronymicū eſt maſculinū ab Abante Argiuorum rege deductum: quo Poetæ ferè utuntur pro* Perſeo *Abantis pronepote. Ouid.* 5. *Meta.*

Torquet in hunc haſtam calido de uulnere raptam
Victor Abantiades.

Abantias, adis, (ἀβαντιὰς) *patronymicum fœmin. ab*

Abante Argiuorum rege deductum: quo Poëtæ ferè u- tuntur pro Danaë Abantis ex Acriſio nepte, uel pro A- talanta, nepte eiuſdem ex Iaſio.

Abantis, idis, (*ἀβαντὶς*) *inſula eſt maris Aegæi, toti illi Græciæ littori oppoſita, quod à Sunio Atticæ promon- torio ad Theſſaliam uſq; extenditur, anguſtiſſimoq; fre to, quem Euripum uocant, à Bœotia dirempta. Dicta A- bantis (ut quibuſdã placet) ab Abãtibus incolis, è Thra- cia oriundis, qui relictis Abis Phocidis ciuitate (à qua & nomen acceperunt) in hanc inſulam tranſmigrarunt. Quanquam non deſunt (inter quos eſt & Homeri Scho- liaſtes) qui hanc inſulam ab Abante potius Heroë nomen accepiſſe exiſtimẽt, qui in ea non multo ante Troiana tẽ pora dicitur regnaſſe. Hæc primùm à ſitu, anguſtaq; lon- gitudine, Macris dicta eſt: poſtremò autem Eubœa, ab Eubœa heroïcæ indolis matrona: ut eſt autor Strabo libro 10.*

Abarbarea, (*ἀβαρβαρέα*) *una Naiadũ, ex qua Bucolion, maximus natorum Laomedõtis Aeſepum genuit & Peda ſum. Homerus 6. Iliad.*

Abas, antis, (*ἄβας*) *rex duodecimus fuit Argiuorum, fi- lius Lyncei ex Hypermneſtra uxore (quanquam non de- ſunt, qui Beli filium faciant) pater autem Prœti, Iaſij, & Acriſij, & Perſei proauus, qui ab eius nomine Abantia- des à Poëtis paſſim cognominatur. Regnauit apud Ar- gos annos tres & uiginti, ut in Chronicis ſuis refert Eu- ſebius: moriensq; Prœto filio regni ſucceſſionẽ reliquit. Fuit & Abas alius, unus ex comitibus Aeneæ: de quo Verg. lib. 10. Unà toruus Abas. Alius item fuit hoc no- mine, unus ex Centauris, Ixionis & nubis filius. Ouid. 12. Metamorph.*

Abatos,(ἄβατος)inſula eſt Aegypti,in palude Memphitica poſita:ita dicta,quòd ad illam propter limi & papyrorum copiam difficilimus ſit aditus: ab α, priuatiua particula,& βαίνω,quod eſt uado,uel aſcendo. Huius meminit Lucan.lib.10.Hinc Abatos, quam noſtra colit ueneranda uetuſtas,Terra potens. Hoc nomine etiam uocatus eſt locus ultra Aegyptum & Aethiopas, iuxta paludem quam Stygem uocāt. Abatos præterea ædificij nomē fuit, quod à Rhodijs fuit erectum ad tegēdum Artemiſiæ trophæum, quod religione impediti diruere non poterant.De hoc ita ſcribit Cœlius Rhodig. Antiq.lectio.lib.13.cap.33. Artemiſiam mirari non deſinunt Græci, quæ irruentes Rhodios claſſe exuerit,inſulamq; domuerit,erecta in urbe Rhodo ſtatua,quæ ciuitati ſtigmata uideretur inurere. Quem locum obſeptum mox Abaton dixere : quoniam trophæa mouiſſe religio eſt.

Abdera,(ἄβδηρα)urbs eſt Thraciæ maritima,Democriti patria,non procul à Neßi fluminis oſtio, à Teijs condita, ut teſtatur Herodotus lib.1. Alij(inter quos eſt Pomponius Mela)à Diomede conditam uolunt,& à nomine Abderæ ſororis ipſius nomen eſſe ſortitam.Effertur autem Abdera,æ,uel Abdera,orum.Ouidius in Ibin: Aut te deuoueat certis Abdera diebus.Plin.lib.25.ca.8. Circa Abderam & limitem,quem Diomedis uocant,equi paſti inflammantur rabie.Plurali utitur Mela lib.2. Turris,quam Diomedis uocant,ſignum fabulæ remanet : & urbs, quam ſoror eius ſuo nomine nominauit Abdera.Supra hanc urbem Byſtonium(βυςόνιον) ſtagnum eſſe dicitur, in quo natantia omnia demerguntur: unde & nomen accepit, ἀπὸ τοῦ βυςάνω, quod eſt mergo. Stephanus hanc urbem ab Hercule conditam exiſtimat,& à nomine Abderiti, quem in deli-

cijs habuit, Abderam fuiſſe nominatam. Incolæ eius dicti ſunt Abderitæ, qui eo nomine male audierunt, quòd hebetiore ingenio, & mente eſſent ſtupidiore: ut refert M. Tullius lib. 3. de Nat. deor. & Plinius libr. 25. cap. 8. Hinc factus eſt locus prouerbio, ut qui tardiore eſſent ingenio, mentem Abderitanam habere dicerentur. Martial. lib. 10.

Abderitanæ pectora plebis habes.

Abella, læ, (ἄβελλα) *Ptol. urbs fuit Campaniæ, non procul à Nola, quæ & Auella dicitur, mutato b, in u, conſonantem. Vergil. 7. Aeneid.*

Et quos maliferæ deſpectant mœnia Abellæ.

Hinc Nuces Abellinæ primùm dictæ ſunt, quæ poſtea duarum literarum mutatione appellatæ ſunt Auellanæ.

Abij, (ἄβιοι) *populi ſunt (ut Steph. placet) Scythiæ, aut, ut alij malunt, Thraciæ: ita dicti quòd Abianum amnem accolant: aut certè quòd in curribus degentes, lacte uefcentes, & in cœlibatu uiuentes, uitam humanam agere non uideantur. ut Abios intelligas,* τοὺς μὴ ἔχοντας ἡμῖν ὅμοιον βίον. *Alij Abios dictos putant, quaſi* ἀβιάστους, *quòd in pace degentes nemini uim inferant. Vnde & ab Homero mortalium iuſtiſsimi appellantur, Iliad. 13.*

Μυσῶν τ᾽ ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν ἱππημολγῶν
Γλακτοφάγων, ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Sunt quoq;, qui inde Abios dictos putant, quòd more uicinarũ gentiũ arcu nõ utantur: ut ſit compoſitũ à nomine βιὸς, *quod accentum habens in ultima, arcum ſignificat. Apud Homerum tamen loco iam citato Abiorum nomen, ut & Galactophagorũ, nõ tam gentile eſſe uidetur, quàm Myſorum, quorum in priori uerſu meminit, epitheton. Vide Strabonẽ lib. 7. & Cœliũ lib. 18. cap. 23.*

Abila, læ, *ſiue* Abile, es, (ἀβίλη *Dionyſio,* ἀβίλυς *Ptolemæo,*

lemæo, ἄβιλυξ Suidæ) mons eſt in finibus Mauritaniæ, ad ipſas freti Gaditani fauces, è regione Calpes mõtis Hiſpaniæ: quos montes ad ſua uſq; tempora continuos Hercules creditur diuiſiſſe, & mare, quod etiã hodie Mediterraneum appellatur, inter Africam & Europam immiſiſſe. Quoniam autem duo hi montes ardui ſunt imprimis et prærupti, teretiq; figura quandam columnarum ſpeciem præſferentes, uulgus Herculis colũnas appellauit. Plini. in Procemio lib. 3. Proxima autem faucibus utrinq; impoſiti mõtes coërcẽt clauſtra, Abila Africæ, Europæ Calpe, laborũ Herculis metæ. Quam ob cauſam indigenæ colũnas eius dei uocant, creduntq; perfoſſas excluſa antea admiſiſſe maria, & rerũ naturæ mutaſſe faciem. Hactenus Plinius. Nec abſimile eſt, quod de montis huius ſitu refert Dionyſius Afer, ſic ſcribens in opere ſuo de Situ orbis,

Ἀλλ᾽ ἤτοι πυμάτη μὲν ἀγαυῶν ἐςὶν Ἰβήρων
Γείτων ὠκεανοῖο πρὸς ἕσπερον, ἔνθε οἱ ἄρκη
Στυλάων Ἀβίλη κεῖται μία. τῆς δ᾽ ὑπένερθε
Τάρτησσος χαρίεσσα.

Aborigines, (ἀβοριγῖνες Stephano) appellati ſunt populi antiquiſsimi Italiæ, qui primi tenuerunt agrũ illum, in quo poſtea condita fuit Roma. Aborigines dicti, quaſi ſine origine: ſiue quòd tam uetuſti eſſent, ut eorum origo ignoraretur: ſiue quòd ex uaria gentiũ colluuione miſti, ad certam ullam gentem originem ſuam referre non poſſent. Hi poſt aduẽtũ Aeneæ Phrygibus iuncti, Latini uno nomine appellati ſunt. Liuius 1. ab urbe: Ibi egreſsi Troiani, ut quibus ab immenſo propè errore nihil præter arma, & naues ſupereſſet, cùm prædam ex agris agerent, Latinus rex, Aborigineſq;, qui tunc ea loca tenebant, ad arcendã uim aduenarum, armati ex urbe, atque agris con

currunt. Dionyſius autem Arcades fuiſſe, & cum Oeno-tro Lycaonis Arcadiæ regis filio in Italiam ueniſſe tradit. Diodorus quoque Bibliothecæ lib. 5. autor eſt, Aborigines ſub Herculis in Italiam aduentum Palatium incoluiſſe: nobiliſsimosq́; ex ijs Potitium fuiſſe & Pinarium, quos Hercules ſacrorum ſuorum inſtituit ſacerdotes.

Abſyrtides, (ἀψυρτίδες) inſulæ ſunt maris Adriatici, Illyrico adiacentes: ita dictæ ab Abſyrto fratre Medeæ, in una illarum interfecto: ut ſcribit Plin. lib. 3. cap. 26. & Strabo lib. 7.

Abſyrtus, (ἄψυρτος) filius fuit Aeetæ regis Colchorũ ex Hypſæa coniuge, ſiue (ut alij malũt) ex Idyia Oceani filia, alio nomine Aegialeus dictus: qua appellatione utitur & Diodorus. Hunc Medea ſoror Iaſonẽ ſequẽs, fugæ comitẽ aſſumpſit: membratimq́; diſcerptũ per agros diſperſit, ut inſequenti ſe patri moram inijceret, illoq́; in legendis tumulandisq́; filij artubus occupato, ipſa interim cum Iaſone è manibus elaberetur. A cuius facti immanitate Ponti locus, in quo hæc geſta ſunt, Tomos eſt appellatus: ut placet Ouid. lib. 3. Triſt. Eleg. 9. Plinius tamen & Strabo nõ apud Tomitas Abſyrtũ diſcerptũ uolũt, ſed in inſula quadam maris Adriatici, una illarum, quæ ab eius exitio Abſyrtides ſunt appellatæ. Eſt item Abſyrtus, Illyrici fluuius, in mare Adriaticum ſe exonerans. Lucanus lib. 3.

Et cadit Adriacas ſpumans Abſyrtus in undas.

Abydos, (ἄβυδος) urbs eſt Aſiæ ad Helleſpontũ, Mileſiorum colonia, à Seſto oppoſito Europæ oppido tam anguſto dirempta mari, ut Leander Erûs amore captus, noctu id ſæpius dicatur tranaſſe. Muſæus,

Σηστὸς ἔην καὶ Ἄβυδος ἐναντίον ἐγγύθι πόντου

Γείτονές εἰσι πόληες. Hinc deducitur gẽtile Abydenus,

pen-

pen.prod. ἀβυδηνός. Ouidius in Epiſt. Leandri:
Mittit Abydenus, quam mallet ferre, ſalutem,
Si cadat unda maris, Seſta puella tibi.

Academia, (ἀκαδημία Suidæ, ἀκαδημεία Stpeh.) locus erat moroſus, ab Athenis mille paſſus diſtans: ita dictus ab Academo heroë, ut Eupolidi placet: Ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ. hoc eſt, In ambulacris Academi umbroſis dei. Ibi natus eſt Plato, & philoſophiam magna diſcipulorum frequentia profeſſus eſt. Vnde & eius ſectatores Academici uocati ſunt, ſicut à Stoa Stoici. Erat autem Academia, gymnaſiũ inferius: cùm ſuperiori gymnaſio, cui Ariſtoteles præerat, nomẽ eſſet Lyceũ (λυκεῖον) quæ & inferior ambulatio, & ſuperior dicebantur. Huius nominis penultima producitur à Cicerone; Inq; Academia umbrifera, nitidoq; Lyceo. Sic & in alio uerſu Laureæ Tullij: Atq; Academiæ celebratã nomine uillam. Alij corripiunt, ut & communis uſus ſeruat. Claudian. In Latium ſpretis Academia migrat Athenis. Sidonius, Obruet & quanquàm totis Academia ſectis. Vtriq; rectè. Nã (ut ſuprà diximus) modò ἀκαδημία apud Græcos ſcribitur per ι. in penult. modò ἀκαδημεία per ει diphthongum. Fuit etiam eo nomine uilla Ciceronis ad Auernũ lacũ, nõ procul à Puteolis in littore ſita, porticu et nemore inſignis: à qua etiam Academicis quæſtionibus, quas in hac uilla conſcripſit, nomen impoſuit. Extat de laudibus eius uillæ inſigne Laureæ Ciceronis liberti epigramma apud Plin. lib. 3. cap. 2. quod quia elegantiſſimum eſt, & dignum ubiq;, & non ibi tantum, legi, hîc adſcripſimus.

Quòd tua Romanæ uindex clariſſime linguæ
Sylua loco melius ſurgere iuſſa uiret,
Atque Academiæ celebratam nomine uillam

Nunc

Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus.
Hîc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore leuant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope:
Vt, quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Acarnânes, (ἀκαρνᾶνες) populi ſunt Epiri, ab Aetolia Acheloo amne diuiſi: quorum regio dicitur Acarnania. Verg. 7.

Acaſtus, (ἄκαστος) Peleæ Theſſalorum regis filius, uenator ſagittis clarus, cuius meminit Ouid. lib. 8. Meta. Hic uxorem Cretheidem, ſiue, ut Suidæ placet, Atalantã duxit, quæ cùm Peleum amaret, neq; ille contrà huius amori obſequi uellet, ultrò eũ de ſtupri appellatione apud uirũ accuſauit. Itaq; Acaſtus Peleo ceu uenationis cauſa in ſaltũ Pelij montis abducto, ibiq; omnibus armis ſpoliato feris lacerandũ præbuit: uerùm Chiron, ſiue is Mercurius fuit, interueniens, accepta Vulcani machæra, Peleum liberauit: qui poſtea domum reuerſus, ab Argonautis adiutus, Acaſtum cum uxore interfecit. Dictys tamen Cretenſis Belli Troiani lib. 6. autor eſt, Peleum à Neoptolemo nepote in regnum fuiſſe reſtitutum, Acaſtoq; Pelei precibus uitam fuiſſe conceſſam.

Acerræ, arum, (ἄκερρα) oppidum fuit mediterraneum Campaniæ, ad Clanium amnem, cuius crebris inundationibus tãdem eſt uaſtatum. Ad quod alludit Verg. Aen. lib. 7. cùm ait,

-Et uacuis Clanius non æquus Acerris.

Fuit item eiuſdem nominis oppidum in Vmbria: ut eſt autor Plin. lib. 3. cap. 14.

Aceſt

Aceſta, (ἀκέςη Stephano) urbs Siciliæ in qua Aeneas Italiam petiturus inutilem copiarum partem reliquit. Dicta Aceſta ab Aceſte rege: ſed poſtea paucarum literarum immutatione dicta eſt Segeſta: ut annotauit Seruius in hunc Virgilij locum 5. Aen.

Vrbem appellabunt permiſſo nomine Aceſtam.

Aceſtes, (ἀκέςης) filius fuit Crinisi fluminis Siciliæ ex Egeſta Troiana muliere, ut teſtatur Seruius in illud Vergilij 5. Aene. -Occurrit Aceſtes

Horridus in iaculis, & pelle Libyſtidis urſæ.

Hic iam ſenex, primo Anchiſen, & Aeneam Italiam petentes ſuſcepit hoſpitio, & mortuum Anchiſen in Eryce monte Siciliæ ſepeliuit. Iterumq; à Carthagine redeuntem Aeneam, quò illum uenti impulerant, & comiter excepit, & abeuntē uino, & alijs muneribus, memor communis originis, liberaliſſimè proſequutus eſt.

Achæmenia, æ, (ἀχαιμενία) pars Perſidis, ab Achæmene rege ita dicta, Aegei (ut Stephano placet) filio. Vnde & Perſæ ipſi Achæmenij & Achæmenidæ paſſim à Poëtis appellātur. Hinc Achæmenius poſſeſſiuū. Lucan. li. 2.

-Achæmenijs decurrant Medica Suſis Agmina.

Achæmenides (ἀχαιμενίδης) fuit unus ex ſocijs Vlyſſis: à quo apud Cyclopas relictus, uitam in ſyluis aliquandiu radicibus, fructibusq; ſylueſtribus ſuſtinuit, donec eôdem delatus Aeneas nauigationis ſuæ comitem eum aſſumpſit. Apud quem patriam genusq; ſuum hunc in modum commemorat,

Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Vlyſſi,
Nomine Achæmenides, Troiam genitore Adamaſto
Paupere (manſiſſetq; utinam fortuna) profectus.

Vide reliqua apud Vergil. 3. Aenei. Sunt, qui exēplaribus omnibus reclamantibus, Agameniden hunc appellatū contend

tendant, itaq; dictum exiſtiment, παρὰ τὸ ἄγαν μένειν ἐν τῷ τοῦ κύκλωπος ἄντρῳ, hoc eſt, ab eo quòd diutius manſerit in Cyclopis antro.

Achaia, (ἀχαΐα) propriè dicitur Peloponneſi regio Septentrionalis, ſecundùm littus ſinus Corinthiaci ab ipſo Iſthmo uſq; ad Araxum promontoriũ, & Eliorũ agrum ad Occidentem extenſa; ita dicta ab Achæo Xuthi filio, ut tradit Strabo libro 8. Hæc & Aegialea dicta, quòd penè tota littoralis ſit, præcipuaſq; ſuas urbes habeat ſecundùm mare extenſas. In hac urbes fuerunt Bura, & Helice à mari abſumptæ: item Sycion, Aegira, Aegion, & multæ aliæ, quas enumerat Plinius libro 4. capite 5. Hanc Ptolemæus, ut ab Hellade diſtinguat, Achaiam propriè dictam appellat. Plinius uerò hanc ſolam Achaiæ nomine dignatur. Ptolemæus uerò Achaiæ nomine (quoties nihil addit) latiſſimam regionẽ intelligit extra Peloponneſum, quæ à Plinio Hellas ſiue Græcia dicitur: quæ quidem ab Occidente Epirum, à Septentrione Macedoniam habet, & partem Aegæi maris: ab Ortu quoq; partem Aegæi maris uſq; ad Sunium promontorium: à Meridie Ionium mare iuxta littus, quod ab Acheloo amne uſq; ad Iſthmum extenditur. Huius partes ſunt Attica, Bœotia, Locris, & reliquæ, quæ enumerantur à Plinio libro 4. cap. 7. Hinc deducitur gentile Achiuus, ἀχαιός. Verg. 2. Aeneid.

Aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui.

Horatius libro 1. Epiſtolarum:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Achates, (ἀχάτης) armiger fuit Aeneæ, eiuſq; fidus, et indiuulſus comes, ut Vergilio placet, qui id nominis ἀπὸ τοῦ ἄχεος, hoc eſt, à cura uidetur deduxiſſe, quæ uiros principes perpetuò ſolet comitari. Eſt item Achates gemma

uer

e uerſicoloribus uenulis ita diſtincta, ut & nemorum, & fluminum, & montium, nonnunquam & iumentorum & curruum ſpeciem referat. Hanc *primùm repertam ferunt ad* Achatem Siciliæ *fluuium: unde & nomen accepit.* Po*ſtea & in* India, *& in* Phrygia *inuenta eſt. Inſignẽ* Achatem Pyrrhus Epirotarum *rex habuiſſe traditur, in quo nouem* Muſæ *&* Apollo *citharam tenens ſpectabãtur, nõ arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, ut* Muſis *quoq; ſingulis ſua redderentur inſignia.* Vide *plura de hac gemma apud* Plinium *libro 37. capite 1. & 10.*

Achelôus, (ἀχελῶ@) *fluuius eſt in* Pindo *monte naſcẽs,* Aetoliamq; *diuidens ab* Acarnania, *tandemq; non procul ab* Echinadibus *inſulis in mare* Ionium *labens. Dictus* Achelous *à rege* Aetoliæ *eiuſdem nominis, cùm antea* Thoas *diceretur.* Poëtæ *fabulantur* Acheloum Oceani *&* Tethyos *filium fuiſſe, qui cùm* Herculi *nuptias* Deïaneiræ *ambienti non concederet, ſingulari certamine cum eo eſt congreſſus.* Verùm *cùm ſe uiribus imparem eſſe ſentiret, ad artes ſuas confugit, & primò in anguem ſeſe transformauit: cumq; ne ſic quidem ſe illi parem eſſe animaduerteret, tauri effigiem aſſumpſit: quem cùm* Hercules *cornibus appræhendiſſet, & humi ſternere conaretur, alterum eius cornu detraxit: quod poſtea* Nymphæ *floribus & pomis repletum* Copiæ *conſecrarunt: ut latius refert* Ouidius *lib. 9.* Metamorpho. Diodorus Bibliothecæ *lib. 5. autor eſt,* Herculem *in gratiam* Calydoniorum Acheloum *amnẽ in alium alueum deriuaſſe, indeq; factum locum fabulæ, ut* Acheloo *cornu dicatur detraxiſſe.* Poëtæ Græci ἀχελῶον *pro quauis aqua uſurparunt, ut docet* Macrobius *libro 5.* Saturnal. *cap. 18. ſiue quòd poſt diluuium fluuius is omnium primus intra ſuum ſe receperit alueum: ſiue*

quòd in Græcia(ubi tot inſignia floruerunt ingenia)omnium fluuiorum fuerit celeberrimus. Vergilius quoq; Græcos imitatus, Acheloïa pocula pro aquæ potu uſurpauit, ſic ſcribens libro 1. Georgicorum:

Poculaq; inuentis Acheloïa miſcuit uuis.

Achemon, ſiue Achmon(ἀχεμὼν, ἢ ἀχμὼν)unus fuit Cercopum, qui unà cum fratre Paſſalo nullo non iniuriarum genere in obuiũ quenq; debacchabatur. Hiſce erat mater nomine Sennonis, mulier fatidica, quæ filios cauere iuſsit, nequando in Melampygum inciderent. Euênit deinde, ut Hercules aliquando ſub arbore quadam dormiret, armis in eandem reclinatis. Acceſſerunt Cercopes fratres; & Herculem dormientem ipſius armis aggredi tentarunt. At ille protinus inſidias ſentiens, correptos ac uinctos de claua à tergo ſuſpendit leporum ritu, atq; ad eum modum geſtabat. Capitibus itaq; pendentes deorſum demiſsis, poſticum Herculis nigris pilis horridum atq; hiſpidũ uiderunt, nõ Lydorũ more læue ac depilatũ. Quapropter materni moniti memores, hac de re inter ſe cõfabulabãtur. Quod ſimulac audiuit Hercules, cognomine delectatus, et in riſum ſolutus, uinculis eos liberatos dimiſit. Hæc Eraſ. in Prouerbio, Ne in Melãpygũ incidas. Meminerũt huius fabulæ & Suidas, et Gregorius Nazianzen.

Acheron, (ἀχέρων) Epiri fluuius eſt iuxta Pandoſiam urbem, ex Acheruſia palude Theſprotiæ profluens, multisq; fluuijs auctus in ſinum Ambracium influens. Eſt & alter Acheron, teſte Strabone, in agro Brutio, ubi Alexander Moloſſorum rex à Lucanis trucidatus eſt, Dodonæo deceptus oraculo, quo iubebatur Acheruſiam aquam, Pandoſiãq; urbẽ cauere. Poëtæ Acherõtem fluuium apud inferos collocant, eumq; Cereris filium ſine patre fuiſſe uolunt, quẽ cùm illa in abdito Cretæ ſpecu peperiſſet, puer

lucem reueritus, ad inferos confugit, ubi à Plutone in fluuium ſui nominis eſt conuerſus. Alij Titanis & Terræ filiũ faciunt, & à Ioue ad inferos detruſum uolunt, quòd ſitientibus Titanibus limpidas ſuppeditaſſet aquas. Vergilius figuratè Acheronta pro ipſis poſuit inferis, apud quem ſic loquitur Dido lib. 7. Aen.

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

Dictus autem putatur Acheron, nõ, ut quidam ſomniãt, ab ἀ priuatiuo, & uerbo χαίρω: (ſic enim diphthongo ſcriberetur, mediamq; produceret.) ſed à nomine ἄχος, & uerbo ῥεῖν, quaſi anxietatis & doloris fluuius.

Acheruſia, (ἀχερούσια) ſpecus eſt iuxta Heracleam Ponti urbem, ab Hercule conditam in littore maris Euxini, ad manes uſque (ut fama fert) peruius, ex quo Cerberum ad ſuperos tractum incolæ memorant. Cuius rei illud afferunt argumentum, quòd plurimum ibi naſcatur aconitũ, quod ex Cerberi ſpuma natum affirmãt. Specum hanc ſic deſcribit Ouid. lib. 7. Metam.

-Specus eſt tenebroſo cæcus hiatu,
Et uia decliuis, per quam Tirynthius heros
Reſtantem, contraq; diem, radioſq; micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis
Cerberon attraxit. Eſt itẽ palus iuxta Cumas ex Acheronte oriens. Itẽ lacus Theſprotiæ in Epiro, ex quo amnis Acherõ profluit, qui in Ambracium ſinum defertur. Autores Pompon. lib. 2. & Strabo lib. 5. & Pli. lib. 3. cap. 5.

Achilles, ſiue Achilleus, (ἀχιλλεύς) fortiſſimus omnium Græcorum, Pelei Theſſaliæ regis & Thetidis filius, quem infantem mater Stygijs undis totum immerſit atq; abluit, eoq; modo inuulnerabilis toto corpore factus eſt, præterquàm in ea pedis parte, qua comprehenſus ab ipſa

matre fuerat, dum ablueretur. Traditus eſt *educandus Chironi Centauro, mortalium iuſtißimo, ut ſub eo bellicis artibus à primis ſtatim annis, & muſica imbueretur.* Verùm cùm *mater ex oraculo didiciſſet, in expeditione* Troiana *periturum, ſi eò cum cæteris* Græciæ *ducibus proficiſceretur, iam adultum inter* Lycomedis *regis filias ſub muliebri habitu furtim occuluit.* Vbi *cùm aliquãdiu delituiſſet,* Deidamiam *regis filiã uitiauit, ex quà* Pyrrhum *ſuſcepit.* Poſtremò *tamen* Vlyßis *aſtu depræhenſus, & ad bellum perductus eſt.* Troia *enim, niſi præſente aliquo ex* Aeacidarum *genere, expugnari non poterat.* Porrò *in bello, poſt multas res præclarißime geſtas, ob ereptam ſibi ab* Agamemnone Briſeïda *indignatus, grauißimas cum illo inimicitias exercuit, nulliſq; aliquandiu aut precibus, aut muneribus adduci potuit, ut aduerſus communẽ hoſtem arma ſumeret: donec nuntiata morte* Patrocli, *amici coniunctißimi, illius ulciſcendi ſtudio proprias ſimultates poſthabuit.* Acceptis *itaq; armis nouis, quæ* Thetis *filio à* Vulcano *fabricanda curauerat, cum* Myrmidonibus, *quibus præerat,* Troianos Patrocli *morte exultantes, adortus, primo ſtatim cõgreſſu* Hectorem *interfecit, mortuumq; currui alligauit, & in conſpectu ſuorum circum urbis mœnia pertraxit, ægreq; à* Priamo *exorari potuit, ut corpus exanime magno auri pondere redimi pateretur.* Nec *ita multò poſt perijt & ipſe,* Paridis *dolo interfectus.* Nam *cùm* Polyxenæ *amore captus eſſet, eiuſq; potiundæ ſpe in* Apollinis *templum ueniſſet, de nuptiarum, uti exiſtimabat, cõditionibus acturus, à* Paride, *qui ſe poſt* Apollinis *ſimulacrum occultauerat, ſagitta ictus eſt in pedis planta, qua ſola corporis parte, quòd* Stygijs *aquis tincta non eſſet,*

pote

poterat uulnerari. Sepultus creditur in Sigeo Troiæ pro montorio: ubi & Polyxenam Manibus eius Pyrrhus immolauit. Dictus autē putatur Achilles, quod ἄνευ χίλου, hoc eſt, ſine ſucco fuerit enutritus. Non enim lacte mulie bri, ut publica fert conſuetudo, ſed carne ferina creditur educatus. Alij Achillem dictum putāt, quaſi ἄχος Ἰλίου, hoc eſt, Ilij luctum, præſagio quodam earum calamitatū, quas poſtea Troianis intulit.

Achilleïdes, dæ, (ἀχιλλείδης) patronymicum maſcul. ab Achille deductū, quo Poëtæ utuntur pro Pyrrho Achil lis filio. Ouidius in Epiſt. Hermiones ad Oreſtem:

Pyrrhus Achilleïdes, animoſus imagine patris.

Acidálius, (ἀκιδαλία Suidæ) fons in Orchomeno, oppido Bœotiæ, Veneri ſacer: unde etiam Acidalia dicta eſt. Ver. 1. Aen. -At memor ille Matris Acidaliæ. In hoc etiā fonte ſe Gratiæ lauare dicuntur: unde & ipſæ, Sorores Acidaliæ paſsim à Poëtis appellantur. Græci hunc fontem ἀκιδαλίαν efferunt fœminino genere, reſpiciētes nimirū ad ſubſtantiuum κρήνη, uel πηγὴ, eiuſdem generis. Nos Aci dalium efferimus, qui fontis nomen in maſculino genere collocamus: quemadmodum etiam Caſtalium dicimus, quē illi κασαλίαν.

Acis, (ἄκις) adoleſcens Siculus fuit, Fauni & Symæthidis filius, qui cùm Galateā Nymphā adamaret, à Polyphemo riuale ſuo eſt occiſus, & deorū miſeratione in fontē ſeu fluuium ſui nominis mutatus. Vide Ouid. 13. Metamorph.

Acóne, es, ſiue Acónæ, arū, (ἀκόναι Stephano) nomen oppiduli uel portus Maryandinorum, non procul ab Heraclea Pontica, & Acheruſia ſpecu, per quam Cerberum ab Hercule ad ſuperos tractum incolæ fabulantur. Cuius rei hoc proferunt argumentum, quòd ibi maxima

proueniat copia aconiti, è ſpuma Cerberi credi uolunt eſſe enatum, & ab Acone *portu nomen accepiſſe. Quã-quam ueriſimilius eſt,* Aconitum *à cautibus dictum, in quibus naſcitur, quas Græci* ἀκόνας *uocant. Quod & ipſum non obſcurè aſſerit* Ouid. 7. Metamor.

Quæ quia naſcuntur dura uiuacia caute,
Mortales aconita uocant.

Aut certe ab eo, quòd ἀκονιτὶ, *hoc eſt, ſine puluere aut terra proueniat.* Na*ſcitur enim in duriſsimis cautibus, nulla interueniẽte terra: ut latius docet* Plin. lib. 7. cap. 3.

Acóntius, (ἀκόντιος) *adoleſcentis nomẽ eſt ex* Cea *Co-rycij maris inſula oriũdi, qui cùm in* Dianæ *tẽplo* Cydip*pen cõſpexiſſet, eius amore captus, deuoluit ad pedes eius malum huiuſmodi carmine inſcriptum:*

Me tibi nupturã (felix eat omen) Aconti
Iuro, *quam colimus, numina magna deæ.*

Poſtea *à patre alteri deſponſa, cùm periculoſiſsima febri eſſet correpta, rata periuriũ morbi ſui cauſã eſſe, maluit* Acõtio *nubere, quàm* Dianæ *iram ulterius experiri*. Ex-*tant hac de re duæ* Oui. Epi. *una* Cydippes, Acõtij *altera.*

Acrágas, (ἀκράγας Steph.) *mons eſt* Siciliæ, *nõ procul à* Pachyno *promõtorio, cũ oppido eiuſdẽ nominis, qđ à* La*tinis* Agrigẽtum *dicitur, teſte* Plin. li. 3. ca. 8. Ver. 3. Aen.

Arduus inde Acragas *oſtentat maxima longè*
Mœnia. Step. *exiſtimat hãc urbẽ, ut pleraſq; in* Sicilia, *à præterlabẽte fluuio nomẽ accepiſſe. Alij ab* Acragãte Io-*uis &* Aſteropes *filio dictã putant. Quatuor præterea alias huius nominis urbes cõmemorat* Steph. *quarũ pri-mam in* Thracia *ponit, alterã in* Eubœa, *tertiã in* Cypro, *quartã in* Aetolia. *Scribitur &* Agragas *per quintã cõ-ſonãtẽ in ſecũda ſyllaba.* Hinc *deducitur gẽtile* Acragãti-

nus,

nus, ſiue Agragantinus, ἀκραγαντῖν☉. Lucretius lib. 1.
Quorum Agragantinus cum primis Empedocles eſt.
Hos Latini uocant Agrigentinos.

Acriſius (ἀκρίσι☉) filius ſuit Abãtis, & pater Danaës, qui Prœto fratri in regnum Argiuorũ ſucceßit. Hic cùm oraculo monitus eſſet, fore, ut à nepote uita exueretur, filiam ſuam unicã munitißimæ turri incluſit, idq; eo conſilio, ut illa perpetua uirginitate damnata, omni, qui à poſteritate impendêre uidebatur, metu ſolueretur. At Iupiter Danaës amore captus, in ſpeciem imbris aurei ſe trãſformauit, & per impluuium in puellæ gremium deſcendit: uotiq; compos factus, ex ea Perſeum genuit. Quod ubi Acriſius animaduertit, filiam unà cum infantulo recèns nato in arcam impoſitam, in mare abiecit: quæ ad littus Apulum adpulſa, & à piſcatoribus excepta ad Pilumnum regem deducta eſt: qui & forma eius & genere adductus, eam ſibi uxorem delegit. Perſeum autẽ Polydectæ Magnetis filio, Seriphi inſulæ regi educandum dedit: qui ubi primùm adoleuit, acceptis à Mercurio talaribus, petaſo, & falcato enſe, quam Harpen appellant, expeditionem ſuſcepit aduerſus Gorgonas: uictoriaq; potitus, cùm forte Argos ueniſſet, ſaxificum Meduſæ caput ferens, caſu quodam Acriſius in illud incidit, ſtatimq; in ſaxum eſt tranſformatus. Hinc deducitur adiectiuum Acriſionēus, pen. prod. ἀκρισιώνειοσ. Verg. 7. Aen. – Hanc dicitur urbem
Acriſioneis Danaë fundaſſe colonis.

Acroceráunia, orum, (ἀκροκεράυνια) montes ſunt in fronte Epiri, à Pindi finibus ad mare uſq; extenſi, extremoq; ſuo promontorio (quod & ipſum Acroceraunion dicitur) ſecundum Europæ ſinum à tertio, hoc eſt, mare Adriaticum ab Ionio dirimentes. Horat. lib. 1. Carm.

Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui uidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Acroceraunia.

Sunt autem montium horum iuga propter inſignem altitudinem fulminũ ictibus maximè obnoxia: unde & nomẽ accepiſſe putantur. ἄκρα *enim Græci iuga ſeu uertices appellant, &* κεραυνὸν *fulmen. Eadem & Ceraunia dicuntur. Lucanus lib. 5.*

– Oræq́; malignos
Ambraciæ portus, ſcopuloſa Ceraunia nautæ
Summa timent.

Acrocorinthus, (ἀκροκόρινθος) *mons eſt Peloponneſi inter duo maria, Aegæũ ſcilicet & Ioniũ, ſtadiorũ trium & dimidiati altitudine ad perpendiculum: ſub cuius radice in plano inſtar menſæ ſita erat Corinthus. Plinius lib. & cap. 4. Corinthi arcem appellat. Erat enim hic mons, teſte Strabone lib. 8. ita undiq; muris cinctus, ut arcis ſpeciem uſumq́; præberet. In hoc monte naſcitur Pirene, fons limpidiſsimus, & Muſarum numini conſecratus: quẽ ob id Plautus in Bacchidibus Corinthienſem fontem appellat.*

Acron, ontis, (ἄκρων) *Ceninenſium Rex fuit, quem Romanis ob raptum Sabinarum bellum inferentem, Romulus ſua manu interemit, armisq́; detractis, Ioui Feretrio opima ſpolia ſuſpendit. Propertius lib. 4.*

Tempore quo portus Ceninum Acronta petẽtem, &c.

Latius deſcribitur hæc hiſtoria à Liuio lib. 1. ab Vrb.

Actæon, onis, (ἀκταίων) *filius fuit Ariſtæi, ex Autonoë Cadmi filia, qui cùm aliquando uenationis labore, æſtuq́; fatigatus, umbræ gratia in uallem Gargaphien deſcendiſſet, ibiq; Dianam nudam conſpexiſſet, in fonte ſe-*

ſe abluentem, ab ea increpitus, aquaq́; conſperſus, in ceruum eſt transformatus, & à canibus ſuis laceratus: ut latius deſcribit Ouidius *lib.3.* Metam.

Acte, es, (ἀκτὴ) *Græciæ regio nobiliſsima, quæ poſtea ab* Attide *Cranai regis filia* Attica *nominata eſt.* Dicta Acte, *uel ab* Actæo *quodam rege indigena, ut refert* Stephanus: *uel potius, quòd maxima ſui parte littoralis ſit, & ad mare extẽſa.* Nam ἀκτὴν Græci *littus uocant.* Plinius *lib.4.cap.7.* In *ea prima* Attica, *antiquitus* Acte *uocata.* Hinc *deducitur adiectiuum* Actæus, a, um, (ἀκταῖος) *id eſt,* Atticus. Ouidius 1. Metamorpho.

Separat Ionios *Actæis* Phocis *ab aruis.*

Actia, (ἄκτια Stephano) *ludi erant in* Actio Epiri *promontorio, quinto quoque anno celebrari ſoliti, in bononorem* Apollinis, *qui & ipſe* Actius *cognominabatur.* Hos *ludos uetuſtiſsimos fuiſſe conſtat, utpote quorum &* Callimachus *meminerit. Summo tamen apparatu ab* Auguſto *inſtaurati fuerunt, poſtquam* Antonium & Cleopatram *nauali prælio ante* Actium *ſuperaſſet: cura eorũ deinceps* Lacedæmonijs *mandata.* Hæc Strabo *lib.7.* Stephanus *tertio quoque anno celebratos fuiſſe tradidit: tribusq́; certaminibus fuiſſe inſignes, gymnico, equeſtri, & nauali.* Horũ *meminit &* Seruius *in illud* Ver.3.Aeneid.

Actiaq́; Iliacis *celebramus littora ludis.*

Actium, (ἄκτιον) Epiri *promontorium, ubi* Auguſtus, *deuictis nauali prælio* Antonio & Cleopatra, *urbem condidit: &* Nicopolim *à uictoria nominauit.* Fuit *autem in hoc promõtorio inſigne templum* Apollinis, *qui & ipſe à loco* Actius *eſt cognominatus.* Verg.8. Aen.

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo.

Actor, (ἄκτωρ) Phorbantis *filius fuit, & frater* Aegei, &

comes Herculis in expeditione contra Amazones, in quo bello uulneratus cùm retro domum abire uellet, in itinere mortuus eſt. Actorides, (ἀκτορίδης) Patroclus *nepos* Actoris. *Is enim ex* Aegina, *quam ei* Iupiter *à ſe uitiatam uxorem dederat,* Menœtium *genuit.* Menœtius *autem relicta* Aegina Opuntem *in* Locros *ſe contulit, & ibi* Patroclum *genuit. Fuit &* Actor *quidam* Auruncus, *cuius meminit* Verg. *lib. 12.* Aeneid. -*Validam ui corripit haſtã*
Actoris Aurunci *ſpolium, &c.*

Adamáſtus, (ἀδάμαςος) *uir fuit* Ithacenſis, *pater* Achæmenidis, *unius ex ſocijs* Vlyſsis, *quem ille* Polyphemũ *fugiens, in antro* Cyclopis *reliquit: ut placet* Vergilio *lib. 3.* Aen. *ubi ſic* Aeneam *alloquitur* Achæmenides:

Sum patria ex Ithaca, *comes infelicis* Vlyſsi,
Nomine Achæmenides. *Troiam genitore* Adamaſto
Paupere (manſiſſetq; utinam fortuna) profectus.

Latinè indomitum poſſumus interpretari: ab ἀ *priuatiuo, &* δαμάζω, *domo.*

Addua, (ἀδδούας) *fluuius eſt* Galliæ Ciſalpinæ, *qui in* Alpibus *naſcens, per medium* Larium *lacum fertur tanta leuitate ut aquæ non commiſceantur.* Autor Plin. *lib. 2. cap. 103.* Claudianus:

Addua quo ſciſſas ſpumoſior incitat undas.

Admete, es, (ἀδμήτη) *una* Nympharum, Oceani *&* Tethyos *filia.* Heſiodus *in* Theogonia:

Πειθώ τ᾽, Ἀδμήτη τ᾽, Ἰάνθη τ᾽, Ἠλέκτρη τε.

Admétus, (ἄδμητος Suidæ) Theſſalorum *rex fuit, cuius armenta nouem annos* Apollinem *pauiſſe ferunt, cùm ob interfectos* Cyclopas, *qui fulmina fecerant, quibus* Phaëthon *filius eius erat necatus,* Olympo *depulſus, humana ſpecie apud mortales exularet: à quo cùm perhumaniter*

tracta

tractaretur, ad referendum patrono beneficium à Parcis *impetrauit, ut cùm fatalis eius dies adeſſet, hac lege mortem effugeret, ſiquis reperiretur, qui illius uice mortem oppetere uellet. Quod cum amici omnes recuſarent, una* Alceſtis *uxor uitæ ſuæ diſpendio mariti uitam redemit.* Cuius *beneficij memor* Admetus, *perpetuas defunctæ uxori* Nænias *inſtituit. Alij tradunt* Apollinem, Admeti *amore captum, ſponte cœlum reliquiſſe, eiusq; equas paſcendas ſuſcepiſſe. Quam opinionẽ ſequitur & Callimachus in* Hymno Apollinis:

> Φοῖβον, καὶ Νόμιον κικλήσκομεν,
> Ἐξέτ' ἐπ' Ἀμφρύσῳ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους
> Ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

Hoc eſt: *Phœbum &* Nomium *uocamus, ex quo ad* Amphryſum *iugales paſcebat equas,* Deo *ſimilis* Admeti *amore accenſus,*

Adónia, orũ, (ἀδώνια) *feſta erant apud* Phœnices, *quibus mulieres humi ſedentes* Adonidem *flebant,* Veneris *nimirum planctum imitantes, quem illa fertur edidiſſe, amaſio ſuo in primo ætatis flore apri dente perempto.* Ad *hæc feſta non obſcurè alludit* Ouidius *ad finem lib.* 10. Metamor. *ubi* Venerem *ſic loquentem inducit,*

> *-Luctus monimenta manebunt*
> *Semper Adoni mei: repetitaq; mortis imago*
> *Annua plangoris peraget ſimilamina noſtri.*

Adónis, idis, (ἄδωνις) *filius* Cinyræ *Cypriorũ regis, &* Myrrhæ, *quẽ ob formæ excellentiam* Venus *in delicijs habuit.* Hic *apri dente ſub inguine percuſſus, interfectusq;, à* Venere *in florem anemones herbæ, qui ſanguinis colorem imitatur, dicitur conuerſus: ut probe conuenit* Theocrito *cum* Nicandro. *Quod etiam ſatis innuit* Ouidius *ad finem*

nem libri.10.Metam.his uerſibus,

-*Nec plena longior hora*
Facta mora eſt,cùm flos de ſanguine concolor ortus,
Qualem,quæ lento celant ſub cortice granum,
Punica ferre ſolent. breuis eſt tamen uſus in illo:
Nanq; malè hærentem,& nimia leuitate caducum
Excutiunt ijdem,qui perflant omnia,uenti.

Adraſtea,*ſiue* Adraſtia,(ἀδράστεια) *Neceßitatis, & Iouis filia,& ſcelerũ ultrix,alio nomine Nemeſis dicta: Huius ſedem Theologi Aegyptij ſupra Lunam conſtituere,ut inde uelut regina hæc inferiora deſpectaret.Strabo lib. 13.nominis huius originem refert ad Adraſtum regem, qui primus Nemeſi templum erexit, Adraſteamq; illam appellauit.*

Adraſtus, (ἄδραστος) *rex Argiuorũ, Thalaonis & Eurynomes filius: qui cùm duas haberet filias, Argian, & Deiphilen,in ſomnis ſibi uiſus eſt alteram leoni, alteram apro uxorem dare. Quare cùm eodem tempore Tydeus & Polynices Argos ueniſſent, ille apri, hic leonis pelle tectus, utrunq; ſibi generum adſciuit, Deiphile Tydeo, Argia Polynici tradita. Deinde cum utroq; genero Thebas profectus,ut Polynicen ab Eteocle fratre excluſum, in regnum reduceret,magno accepto detrimento in patriam reuerſus eſt:ut latius eſt uidere apud Papinium in Thebaïde.*

Adria,*maſ.gen.*(ἀδρίας) *ſinus eſt maris, Italiam ab ortu alluens,quod & Superum mare,& Adriaticum appellant.Eſt autem hoc nomen Poëtis,quàm Oratoribus uſitatius.Lucanus lib.5.*

-*Sonat Ionio uagus Adria Ponto.*

Vtitur tamen eodem nomine & Pomponius Mela lib. 2.

Huc

Hucuſq; (inquiens) Adria, hucuſq; Italiæ latus alterum pertinet. Adria autem fœm.gen. (ἀδρία) oppidum eſt Piceni, Romanorum colonia, VII.M.paß.à mari diſtans, à cuius nomine perperam docent Grammatici mare Adriaticum eſſe appellatum. Decipiuntur enim illi nominis uicinitate. Fuit enim urbs inſignis ad Padum, Atria nomine, à Tuſcis condita, amplißimo olim portu nobilis: à qua uicinũ mare primùm Atria, & Atriaticum dictum fuit: & deinde literæ unius immutatione Adria & Adriaticum: ut docet Plinius lib.3. cap.16. & Cato in Originib. Idem & Adriacum mare dicitur, & Mare Adrianum. Propert. lib.3.

Ergo ego nunc rudis Adriaci uehar æquoris hoſpes.

Horat. lib. 1. Carm. Siue mari libet Adriano.

Aea, (αἶα) ciuitas eſt Colchidis, Aeetæ regis opus, ut ſcribit Stephanus, quã Hippos et Cyanos fluuij è diuerſis locis in Phaſim influentes, peninſulã efficiunt. Fabulãtur Poëtæ, Aeã nomẽ accepiſſe à puella eiuſdẽ nominis, quæ cùm Phaſidis amnis uim effugere nõ poſſet, miſeratione deorũ in peninſulã eſt cõuerſa: quam etiam nunc (ut ueterẽ illum amorẽ poßis agnoſcere) magna ſui parte ambit, & uelut amplectitur Phaſis. Meminit hui⁹ ciuitatis Pli. li. 6. ca. 4.

Aeæe, ſiue Aeæa, (αἰαίη) inſula fuit in mari Tyrrheno, non modico olim freto ab Italia dirempta: hodie continens, ita tamen, ut paludibus circunquaque cincta inſulæ ſpeciem præbeat. In hac Homerus Circes ſedem collocauit, ſic ſcribens lib. 10. Odyß.

-Αἰαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ', ἔνθα

Δ' ἔναιε Κίρκη ἐϋπλόκαμος. Quẽ Homeri locũ uidetur Vergilius uoluiſſe imitari lib. 3. Aen. cùm ait,

Inferniq; lacus, Aeæeq; inſula Circes.

Quanq

Quanquam Seruius ibi tres diphthongos agnoſcit:ut ſit, Aeææ Circes. Circen autē Aeæam cognominatā putat à præternauigantiū execratione, propterea quòd illa crederetur homines ſua forma exuere, et ueneficijs in feras cōmutare. Rectius tamen, ſi modò tres ibi diphthōgos uelimus agnoſcere, Circen Aeæam cognominatam dicemus, ab Aea Colchorū ciuitate, quēadmodum eadē & Cytæis, ſiue Cytæa cognominatur, à Cyta eiuſdē regionis oppido. Quod etiam ab Apollonij interpretibus eſt annotatum.

Aeácides, (αἰακίδης) filius, nepos, uel aliquis ex poſteris Aeaci. Quo nomine Poëtæ frequentiſsimè utuntur pro Achille, Pelei filio, & Aeaci nepote. Vergil. 1. Aen.

Sæuus ubi Aeacidæ telo iacet Hector.

Nonnunquam etiam pro Pyrrho Achillis filio, & Aeaci pronepote. Idem 3. Aen.

Coniugio Aeacidæ Pyrrhi, ſceptriſq; potitum.

Aliquando etiam pro Pyrrho Epirotarum rege, qui pro Tarentinis aduerſus Romanos bellum geſsit: qui & ipſe ab Aeaco genus traxit. Idem 6. Aen.

Eruet ille Argos, Agamemnoniaſq; Mycenas,
Ipſumq; Aeacidem, genus armipotentis Achilli.

Hinc Aeacideius, a, um, adiectiuum ſex ſyllabarū. Ouid. 7. Metamorph.

Oenopiam Minos petit, Aeacideïa regna.

Aeacus, (αἰακὸς) Iouis filius fuit ex Aegina Aſopi filia, pater Telamonis et Pelei, qui primus inſulā in qua regnauit, Aeginam à matris ſuæ nomine appellauit, cùm antea Oenone diceretur, (ut Plinius, Stephanus, & Strabo prodiderunt) aut certe Oenopia, ut apud Naſonem legitur lib. 7. Metam.

Oenopiam ueteres appellauere, ſed ipſe

Aeacus

Aeacus Aeginam genitricis nomine dixit.
Hunc Poëtæ fabulantur apud inferos unà cum Minoë, & Rhadamātho iudicem delectum eſſe, & ſontium crimina diſcutere, & unicuiq; pro meritis pœnam conſtituere. Cui fabulæ occaſionē dedit inſignis eius iuſtitia, qua ſui tēporis mortalibus omnibus creditur præſtitiſſe. Ouid. in Ibin: - Tuaſq; Aeacus in pœnas ingenioſus erit.

Aeas, antis, (ἄïας) fluuius eſt ex Candauijs Macedoniæ mōtibus ortū ducens, & nō procul ab Apollonia Taulantiorum urbe in mare Ionium influens. Lucanus lib. 5.

Purus in occaſum, parui ſed gurgitis Aeas,
Ionio fluit inde mari.

Meminit huius fluuij etiam Plinius lib. 3. cap. 23.

Aédon, (ἀηδὼν) uxor fuit Zethi fratris Amphionis, quæ Niobes inuidens fœcūditati, ex qua iam liberos maſculos ſex Amphion ſuſceperat, clàm illos interimere decreuit. Verum cùm noctē ei facinori perpetrādo delegiſſet, per errorem Itylum filiū interfecit. Quod cum poſtea cognouiſſet, doloris impatientia contabuit, & deorum miſeratione in luſciniam, aut ut alij malunt, in carduelem eſt mutata. Virgil. de Cantu Sirenum: Quodq; leues calami, quod ſuauis catat Aëdon.

Aeëtes, uel, Aeéta, (ἀιήτης) rex Colchorum fuit, & filius Solis ex Perſa Oceani filia, & pater Medeæ, Abſyrti (qui & Aegialeus) & Calciopes: qui cùm aureum uellus à Phryxo Athamātis filio in luco Martis ſuſpenſum diligētiſſime aſſeruaret, à Medea filia proditus, & uellere, & duobus inſuper liberis ſpoliatus eſt. Nam Medea cùm Iaſoni in rapiēdo uellere ſe adiutricē præbuiſſet, unà cum illo profugit, fratremq; Abſyrtū, quē fugæ comitē aſſumpſerat, ut patrem inſequentem remoraretur, uarias in partes diſcerpſit. Poſtea tamen regno pulſus Aeetes, Iaſonis

nis beneficio illud recepit. Fabulam hanc latius exequuntur Valerius Flaccus, & Apollonius Rhodius in Argonauticis.

Aeétias, adis, (αἰητιάσ) *patronymicum fœmininum, quo Poëtæ utuntur pro Medea, Aeetæ Colchorum regis filia.* Ouid. 7. Metamor.

Concipit interea ualidos Aeetias ignes.

Aegæ, *arum,* (αἰγαὶ) *urbs eſt Ciliciæ maritima, non procul à Pyrami fluminis oſtio. Lucanus lib. 3.*

-Et extremæ reſonant naualibus Aegæ.

Sunt & Aegæ in Eubœa, à quibus Strabo Aegæum mare denominatum exiſtimat. Numerantur & aliæ eiuſdem urbes, à Stephano, quas quoniam ad præſens inſtitutum nihil pertinent, ex Plinio, Strabone, Ptolemæo, Stephano, & Pomponio Mela petendas relinquimus.

Aegæon, onis, (αἰγαίων) *gigas cẽtimanus, Titanis, & Terræ filius, alio nomine Briareus appellatus. Homerus Iliad. 1. Briarei nomẽ Dijs aſsignat, Aegæonis hominibus: illud ſuo more uetuſtius, hoc recentius eſſe indicans:*

Ὃν Βριαρέων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίωνα. *Statius in Syluis:*

Audierat duros laxantem Aegæona nexus.

Aegæũ mare, (αἰγαῖον πέλαγος, ἢ αἰγαῖος πόντος) *ampliſſimus eſt maris mediterranei ſinus, à parte oriẽtali Iſthmi Corinthiaci (ut Plinio placet) aut certè à Sunio Atticæ promõtorio (ut tradit Ptolemæus) ad ipſum uſq; Helleſpõtum extenſus, alia alijs in locis, à regionibus, quas alluit, nomina ſortitus. De ratione nominis non omnes idem ſenſerunt. Suidas ab Aegeo dictum putat, Theſei patre, quem in hoc mare ſe præcipitem dediſſe ferunt, cùm nauim filij, qua ille in Cretam ad Minotaurum uectus fuerat,*

*rat,nigro cum uelo (quod ſibi cum gubernatore ſignum conuenerat)redeuntem uideret.*Plin.*lib.* 4.*cap.*11.& Solinus *ab inſula quadam ſeu uerius ſcopulo deductum putant,in hoc mari inter* Tenum & *Chium extante, quem à capræ ſimilitudine* αἶγα *nautæ appellant. Strabo autem lib.*8. *ab* Aegis Euboeæ *oppido* Aegæum *dictum mauult. Cuius ſententiæ ut libentius ſubſcribam,facit* Græcorum *codicum conſenſus, in quibus penultima dictionis huius ſyllaba conſtanter* αι *diphthongo ſcribitur.*

Aegeria,(αἰγερία)Nympha *habita eſt,* Aricini *nemoris incola, cum qua* Numa Pompilius *nocturnos ſeſe congreſſus habere,& ab ea,quæ ad religionem cultumq; deorum pertinebant,edoceri ſimulabat.*Hanc Poëtæ *fabulantur, mortuo* Numa *doloris impatientia extabuiſſe,& deorum miſeratione in fontem ſui nominis eſſe cõuerſam.* Ouid.*in* Faſtis,

> Aegeria *eſt,quæ præbet aquas,dea grata* Camoenis
>
> *Illa* Numæ *coniux,conſiliumq; fuit.*

Aegéus,(αἰγεὺς)*filius fuit* Pandionis, & *rex* Athenarũ, *qui ex* Aethra Pitthei Troezeniorũ *regis filia* Theſeum *ſuſcepit:ex* Medea *autem ab* Iaſone *repudiata alterum filium nomine* Medum,*ut placet* Iuſtino.Hoc *iam ad ſenium uergente,* Minos Cretenſium *rex* Athenienſibus *ob* Androgei *filij ſui necẽ bellũ intulit,uictiſq; duriſsimas pacis cõditiones imperauit,ut ſeptẽ quotãnis iuuenes ex ſuis in* Cretã *mitterent,* Minotauro *monſtro obijcendos.*Quibus *legibus cùm triennio paruiſſent, euênit, ut quarto anno ſors inter omnes ex æquo ducta* Theſeum *proderet: qui maximo omnium cum dolore nauim conſcendens,à patre in mandatis accepit, ut ſi qua fatorum benignitate ſoſpes remearet,uelum nauis,quod nigrum præſentiq; for*

tunæ congruum erat, candido commutaret: idq́; eo conſilio, ut ſi quid filio accidiſſet, ſuæ fortunæ eminus pater admoneri, & calamitatis ſuæ nuntium morte poſſet præuenire. At Theſeus occiſo Minotauro, opeq́; Ariadnes è Labyrintho eductus, paternorum monitorum immemor, nigro in patriam uelo reuectus eſt. Quod cùm eminus è ſpecula intueretur Aegeus, filium interijſſe ratus, doloris impatientia in mare ſeſe præcipitem dedit. Cui uita functo Athenienſes Theſei opera grauißima ſeruitute liberati, diuinos honores inſtituerunt, deum marinum & adoptiuum Neptuni filium eum appellantes.

Aegíale, *ſeu* Aegialéa, (αἰγιάλη, ἢ αἰγιάλεια) Diome*dis uxor fuit, quã ille ad bellũ Troianũ proficiſcens, Cometæ Stheneli filio (ut Lycophron prodidit) cũ uniuerſo regno commiſit. Verùm cùm ille dextram Veneris, Aeneam ſuum defendentis, in prælio uulneraſſet, indignata Venus, uxorem eius fœdißimis amoribus implicuit, adeò ut non Cometæ ſolùm, ſed & cæteris regni ſui iuuenibus omni pudore poſito, ſui copiã faceret. Quod cùm Diomedes reſciuiſſet, in patriam redire noluit, ſed in Italiam aduectus, accepta à Dauno regni parte, in Magna Græcia conſedit: ubi & urbem condidit, quam à nomine relictæ patriæ Argos hippium appellauit: quæ deinde Argyrippa, & poſtremo Arpi fuit appellata.*

Aegialeùs, (αἰγιαλεὺς) *Aeetæ regis Colchorũ filius, & frater Medeæ, alio nomine Abſyrtus appellatus: quem ſoror, ut patri ipſam perſequenti moram inijceret, membratim diſcerpſit. Fuit & alter eiuſdem nominis, Phoronei Argiuorum regis filius, cui Apis in Aegyptum traijciẽs, Argorum regnum reliquit. Ab hoc quidam eum Peloponneſi tractum, qui Corinthiaco ſinu alluitur, olim Ae-*

gialeam

gialeam dictam exiſtimant: quamuis ueriſimilius ſit, ita à ſitu fuiſſe appellatum, quòd κατ᾽ αἰγιαλὸν, hoc eſt, ſecũdum litus ſit extenſus.

Aegídes, æ, (αἰγίδης) patronymicũ maſcul. quo Poëtæ utuntur pro Theſeo Aegei filio. Ouid. 3. de Arte:

Perfidus Aegides ducentia filia ſecutus.

Aegína, (αἴγινα) Aſopi Bœotiæ regis filia, ex qua Iupiter in ignem conuerſus, Aeacum ſuſcepit: qui poſtea inſulam Atticæ obiectam, in qua regnauit, à nomine matris ſuæ Aeginam appellauit, cùm antea Oenone (ut apud Plinium, Strabonem, & Stephanum legitur) aut certè Oenopia uocaretur, ut placet Ouidio lib. 7. Metamorph.

Oenopiam ueteres appellauere, ſed ipſe
Aeacus Aeginam genitricis nomine dixit.

Aegíochus, (αἰγίοχος) Iouis cognomentum, inde tractũ, quòd cum Titanibus pugnaturus, ægide, hoc eſt, ſcuto caprino corio contecto fuerit armatus. Et ſic erit compoſitum à nomine αἰγὶς, & uerbo ἔχω, ut ſit Aegiochus, quaſi ægida tenens. Alij malunt Aegiochum dictum eſſe ἀπὸ τῆς αἰγὸς ὀχῆς, hoc eſt, à capræ alimento, propterea quòd Iupiter infans lacte caprino in Creta fuerit nutritus.

Aegipánes, (αἰγιπᾶνες) monſtra caprinos pedes hab ẽtia, quæ Poëtarum fabulæ inter ſemideos referunt, quemadmodum Satyros & Syluanos.

Aegis, idis, (αἰγὶς) ſcutum fuit Iouis, capræ Amaltheæ, à qua nutritus fuerat, pelle contectum, quo aduerſus Titanas pugnaturus ſeſe armauit. Vnde & Aegiochus eſt cognominatus. Hoc poſtea Minerua à Ioue dono accepit, Meduſæq; caput illi impoſuit, eoq; armata pro Græcis ad Troiam pugnauit. Verg. 8. Aen.

Aegidaq; horrificã turbatæ Palladis arma Polibant.

Aegiſthus,(ἄγισθος) *Thyeſtis filius fuit ex Pelopeia eiuſdem filia, quē mater recēs natum, ut inceſtum tegeret, in ſylua exponendum curauit: ſed à paſtore inuentus eſt, et caprino lacte educatus. Vnde & Aegiſthus eſt appellatus. Hic cùm adoleuiſſet, Atreū patruum ſuum patris impulſu interfecit. Troiani uerò belli tempore Clytæmneſtram Agamemnonis uxorem, fidei ſuæ cum uniuerſo regno concreditam, per adulterium polluit: uirumq́; eius poſt Troiæ expugnationem domum redeūtem in balneis, uel (ut alij uolunt) in conuiuio obtruncauit. Tandem tamen iuſtißimas tanti facinoris pœnas dedit, ab Oreſte Agamemnonis filio unà cum Clytæmneſtra interfectus. Ouid. lib. 1. de Remed. amoris:*

Quæritur Aegiſthus quare ſit factus adulter.
In promptu cauſa eſt: deſidioſus erat.

Aegiſthus alius fuit, Beli Priſci filius, & frater Danai, qui cùm quinquaginta haberet filios, Danaus uerò totidem filias, Aegiſthus à fratre contendit, ut illius filiæ filijs ſuis uxores darentur. Quod cùm ille inuitus faceret, nec tamen quinquaginta florentes ætate iuuenes auderet iritare, nuptias quidem admiſit: cæterum filiabus iniunxit, ut ſuum quæque maritum prima nocte interficerent. Quod etiam illæ perpetrare non dubitarunt, una Hypermneſtra excepta, quæ Lynceo uiro ſuo pepercit. Apollodorus tamen Danai fratrem nō Aegiſthum uocat, ſed Aegyptum. Verùm de his infrà ſumus dicturi in dictione Belides.

Aegle,(αἴγλη) *una fuit Heſperidum, filia Heſperi regis Italiæ, quæ unà cum Erethuſa, & Heſperethuſa ſororibus amœniſsimos in Mauritania hortos dicitur habuiſſe, non procul ab eo loco, ubi poſtea condita eſt Lixos, Romanorum*

manorum colonia: quibus in hortis (ſi Poëtarum fabulis credimus) aurea naſcebantur mala, à dracone peruigili ſumma cura diligentiaq́; aſſeruata, quem tandem Hercules interemit, pomaq́; decerpſit, & ad Euryſteum retulit. Fuit & Nympha quædam hoc nomine una Naiadum, Solis (ut uolunt) & Neæræ filia. Vergil. in Sileno:

-Timidisq́; ſuperuenit Aegle,
Aegle Naïadum pulcherrima.

Aegóceros,ôtis, (αἰγόκερως) *ſignum eſt cœleſte, quod à nobis Capricornus dicitur: quod, cùm à Sole ſubitur, Solſtitium hyemale efficit. Poëtæ fabulantur hunc ex Amalthea capra natum fuiſſe, & eodem lacte cum Ioue educatum: qui poſtea cœli imperio potitus, ueterem collactaneum inter aſtra collocauit. Oritur autem hoc ſignum ferè cum pluuia: unde Humidus Aegoceros appellatur à Lucano lib. 8.*

Aegyptus, (αἴγυπτος) *regio eſt inter Aſiam & Aphricam ſita, ab hac Canopico, ab illa Peluſiaco oſtio diremta, omniq́; ex parte, præterquam qua mari alluitur, Nilo circundata: quam obrem quidam Aegyptum inter inſulas recenſuere. Oppida habuit Amaſidis tempore ad uiginti millia: ex quibus præcipua fuerunt Thebæ, Heliopolis, Abydos, Babylon, & Memphis. Hodie principatum obtinet Alexandria, ab Alexandro Magno ad chlamydis Macedonicæ figuram condita. Fuerunt autem olim Aegyptij mortalium omniũ ſuperſtitioſiſsimi: ut qui non bruta ſolùm animalia, ut canem, crocodilum, & ſimilia, uerumetiam res inanimatas inter deos collocarint. Conſtat autem totam hanc regionem pluuijs nunquam, aut rariſsimè irrigari, ſed ſo[illegible] Nili incremento fœcundari. Nomen putatur acce[illegible]e ab Aegypto Danai fratre: qui cùm*

quinquaginta haberet filios, totidem eos fratris ſui filiabus matrimonio coniunxit: quæ à patre inſtructæ ſuum quæq; maritum prima nocte interfecerunt, præter unam Hypermneſtram, *quæ* Lynceo *pepercit: ut infrà latius docebimus in dictione* Belides.

Aëllo, (ἀελλώ) *una* Harpyiarum, *ſic dicta, quaſi* εἵλωρ ἄλλο, *hoc eſt, tollens alienum.* Ouid. 13. Metamorph.

-Strophadumq; receptos
Portubus *infidis exterruit ales* Aëllo.

Eſt item Aëllo, *nomen unius ex canibus* Actæonis, *apud* Ouid. 3. Metamorp. *dictum (ut uidetur)* ἀπὸ τῆς ἀέλλης, *hoc eſt, à procella, quam curſus celeritate referebat.*

Aemónia, (αἱμονία Stephano) *regio* Macedoniæ *annexa, quæ deinde appellata eſt* Theſſalia. *Dicta autem putatur* Aemonia *ab* Aemone Deucalionis *filio, cùm antea* Pyrrhæa *diceretur à* Pyrrha *eiuſdem* Deucalionis *uxore.* Hinc *deducitur gentile maſcul.* Aemon, onis, (αἵμων Stephano) *cuius fœm. eſt* Aemonis, idis, αἱμονίς. *Item denominatiuum* Aemonius, a, um, αἱμόνιος. Ouid. *in* Epiſt. Laodamiæ *ad* Proteſilaum:

Aemonis Aemonio Laodamia *uiro.*

Nonnulli hæc omnia in capite præcipiũt aſpiranda: quod etiam apud Suidam *obſeruauimus.*

Aemus, (αἷμος Stephano) *mons eſt celſiſſimus,* Myſiam *dirimens à* Thracia, *in quo* Martis *domicilium* Poëtæ *conſtituerunt.* Lucanus *lib. 4.*

-Tunc linquitur Aemus
Thracius. *Dictus autem putatur* Aemus *ab* Aemo Boreæ *et* Orithyiæ *filio. Quidã* Hæmus *ſcribendũ præcipiũt principio aſpirato: quo pacto & apud* Suidam *legitur.*

Aenária, *inſula eſt in ſinu* Puteolano, *inter* Neapolim & Cumas

Cumas, quæ ab Homero *ἄριμοι, à* Vergilio *Inarime dicitur, à quibuſdam etiam πιθηκοῦσαι: ab alijs* Iſchia, *à forma coxendicis: quod nomē etiam hodię retinet.* Aenaria *autem dicta eſt, teſte* Plinio *lib. 3. cap. 6. à ſtatione nauiū* Aeneæ. Vide *plura de hac inſula in dictione* Inarime.

Aeneas, (*αἰνείας*) Anchiſæ *&* Veneris *filius fuit, in* Simoentis *ripis natus, pietate iuxtà & fortitudine inſignis, ut à* Virgilio *depingitur, qui ut* Romanæ *urbis originem illuſtriorem redderet, omnes tum* Achillis *tum* Vlyßis *laudes in hunc unum contulit.* Non *defuerunt tamen grauiſſimi ueteris hiſtoriæ autores, qui ab hoc &* Antenore Ilium *proditum tradiderint.* Cui *ſuſpicioni* Vergilius, *quātum poteſt, ubiq; occurrit.* Troia *capta, patrem cum* Dijs Penatibus *in humeros ſublatum, incendio eripuit.* Creüſam *uxorem in tumultu amiſit.* Anchiſen *apud* Drepanū *in* Sicilia *ſepeliuit.* Africam *(quicquid comminiſcatur* Virgilius) *nunquam attigit: neq; ſi maximè eò perueniſſet, in* Didûs *tempora potuit incidere, quæ ſeptuageſimo poſt* Romam *conditā anno* Carthaginem *condidit:* Aeneam *autem conſtat trecentis circiter & triginta annis ante urbem conditam in* Italiam *ueniſſe, ibiq; grauißima aduerſus* Turnum *bella geßiſſe: eoq; tandem ſingulari certamine deuicto,* Lauinia *uxore, & non ita multò pòſt* Latini *regno potitum eſſe.* De *mortis genere nihil certi traditur.* Sunt *qui in* Numicio *amne ſubmerſum exiſtiment.* Hoc *conſtat uel* Liuio *teſte, ſuper* Numicium *amnem ſitū fuiſſe, diuinosq; poſt mortem honores obtinuiſſe, mutatoq; nomine* Iouem Indigetem *appellatum fuiſſe.*

Aenos, (*αἶνος* Stephano) *oppidum* Thraciæ *liberum, cum* Polydori *tumulo, ab* Aenea *conditum, ſi* Vergilio *credimus ſic ſcribenti lib. 3.* Aeneid.

-Feror huc, & littore curuo
Mœnia prima loco, fatis ingreſſus iniquis:
Aeneadasq; meo nomen de nomine fingo.

Aeólia, (*αἰολία Stephano*) *inſula eſt Siciliæ adiacens, una earum, quæ à Græcis ἡφαιστιάδες, à Latinis Vulcaniæ dicuntur, & Aeoliæ. Putatur eadem eſſe cum ea, quæ alio nomine Strongyle dicitur. In ea enim Aeolus, quamuis Vulcanijs omnibus imperaret, præcipuè domicilium habuiſſe fertur. Pli. lib. 2. cap. 106. Aeolia (inquit) inſula iuxta Italiam cum ipſo mari arſit per aliquot dies ſociali bello, donec legatio Senatus piauit. Meminit huius inſulæ & Homerus lib. 10. Odyß.*

Αἰολίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθα.

Hunc quoque imitatus Vergilius lib. 1. Aeneid. inquit:
Ventorum in patriam, loca fœta furentibus Auſtris,
Aeoliam uenit.

Aeóliæ inſulæ, *quæ &* Vulcaníæ, (ἡφαιστιάδες) *inſulæ ſunt numero ſeptem, non procul à Peloro Siciliæ promontorio: quarũ ſic meminit Plinius lib. 3. ca. 8. Citra uerò Siciliam, ex aduerſo Metauri amnis, XII. M. ferme paß. ab Italia, ſeptem Aeoliæ appellatæ. Eædem Liparæorum, & Hephæſtiades à Græcis, à noſtris Vulcaniæ. Dictæ Aeoliæ, propterea quòd Aeolus Iliacis temporibus in ijs regnabat. Harum nomina ſunt Lipara, Hiera, Strongyle, Didyme, Ericuſa, Phœnicuſa, & Euonymos. Vide plura de his apud eundem Plinium libro iam citato, capite nono.*

Aeólides, (*αἰολίδης*) *patronymicum eſt maſculinum, ab Aeolo deductum: quo Poëtæ utuntur pro Vlyſſe Aeoli nepote. Aeolus enim filium habuit Siſyphum, ex quo & Anticlea ante Laërtæ nuptias natus eſt Vlyſſes. Verg.*

ſexto Aeneid.

-Comes additur unà
Hortator ſcelerum Aeolides.

Aéolis, idis, (αἰολὶς) regio eſt in minori Aſia, Lecto promontorio à Troade, Hermo autem fluuio ab Ionia diuiſa: ita dicta ab Aeolibus Græciæ populis, qui duodecim in ea urbes ædificarunt, teſte Herodoto lib. 1. Antea Myſia dicebatur: ut eſt autor Plinius lib. 5. cap. 30.

Aéolus, (αἴολος) Iouis filius ex Aceſta, ſiue Segeſta filia Hippotæ Troiani: à quo Aeolus ipſe Hippotades cognominatur à Poëtis. Ouid. 11. Metamorph.

Quòd ſocer Hippotades tibi ſit, qui carcere fortes
Contineat uentos.

Hic Iliaci tempore Vulcanias inſulas tenuiße perhibetur, & in his Strongylen, ex cuius fumo, quinam flaturi eſſent uenti, incolæ triduo prædicebant. Hinc factum eſt, ut Aeolus in uentos imperium habere crederetur. Plin. lib. 7. cap. 56. Aeolum hunc non Iouis, ſed Hellenis filium facit, eumq; primum omnium rationem uentorum tradit obſeruaſſe. Aeoli regiam deſcribit Vergilius 1. Aeneid.

Aeos, (ἆος) Typhonis filius fuit, à quo Paphon Cypri urbem conditam fuiſſe nonnulli prodiderunt, cùm tamen ſint qui Paphi filij Pygmalionis opus eſſe ſcribant.

Aepy, (αἶπυ) urbs fuit Pelopõneſi, in tractu Meſſeniaco, ſub ditione Neſtoris, quàm ἐύκτιτον, hoc eſt, bene munitã uocat Homerus in Catal. Nomen accepit à ſitus altitudine. Nam αἰπὺς idem eſt quod altus ſiue excelſus. Statius 4. Thebaid.

-Summis ingeſtum montibus Aepy.

Aequicolæ, qui & Aequiculani à Plinio appellantur, populi ſunt Italiæ, Sabinis ad Orientem proximi: quo-

rum oppida ſunt Cliternum, & Carſeoli. Vergil. 7. Aen.

Horrida præcipuè cui gens, aſſuetaq; multo
Venatu nemorum, duris Aequicola glebis.

Ouidius 3. Faſt. nominatiuũ extulit Aequicolus, inquiẽs,

Quintum Laurentes, bis quintum Aequicolus acer.

Aërope, (ἀερόπη) *uxor Atrei, ex qua Thyeſtes duos ſuſcepit filios, quos poſtea Atreus fratri comedendos appoſuit. Quorum ſcelerum turpitudine ne pollueretur, Solem auerſum fabulantur Poëtæ. Ouid. 1. Triſt.*

Si non Aëropen frater ſceleratus amaſſet,
Auerſos Solis non legeremus equos.

Aeſacus, (αἴσακος) *Priami filius ex Alixothoë nympha, qui cùm Eperies amore captus, eam per auia fugientem inſequeretur, euênit ut ſerpens à puella calcatus pedem eius mordicus appræhenderet: quo ex uulnere cùm illa interijſſet, Aeſacus doloris impatientia ſeſe in mare præcipitauit. Quem Tethys miſerata (ut lib. 11. Metamor. fabulatur Ouid.) in mergum auem conuertit.*

Aeſchylus, (αἴσχυλος) *Poëta Tragicus, qui primus perſonarum uſum in Tragœdijs inuenit, cùm antea Tragœdi fæcibus tantùm faciem perungerent. Horatius in Arte poëtica:*

Poſt hunc perſonæ, pallæq; repertor honeſtæ
Aeſchylus, & modicis inſtrauit pulpita tignis.

De huius morte memoriæ traditũ eſt, cùm caluus eſſet, & nudo capite ſub dio fortè quieſceret, aquilam teſtudinem (qui auis eius mos eſt) in ſublime detuliſſe, ſaxumq; quærentem, cui illam illideret, conſpecta caluitij albedine, ſilicem fuiſſe ratam, teſtudineq; demiſſa cranium Aeſchylo confregiſſe.

Aeſculápius, (ἀσκληπιος) *Apollinis ex Coronide Lariſſea*

riſſea filius, matre iam perēpta natus: nā cùm poſtea illa ſui copiam faceret Aemonio cuidā iuueni, cui Iſchys no mē erat, ab Apolline ſagitta cōfoſſa eſt. Sed is poſtea facti pœnitēs, ſecto eius utero cōceptū ex ſe eduxit infantē, eumq́; Aeſculapiū appellauit: Chironi in diſciplinā tradidit: ſub quo medicinæ ſtuduit. Iamq́; huius artis peritus, Dianæ precibus Hippolytum ab equis diſcerptū uitæ reſtituit: qua re cōmotus Iupiter, fulmine eū occidit. Sūt qui Meſſeniū fuiſſe tradunt, ſed Epidauri habitaſſe. Tullius ait ſepultū fuiſſe Cynoſuris Arcadiæ urbe. Colebatur primò Epidauri ſerpentis ſpecie, unde Epidaurius dictus. Cæterū Romā accitus, urbē ipſam graui peſtilentia liberauit: in cuius honorem inſigne templum in inſula Tiberis illi conſtruxerunt. Veteres gallum gallinaceum ei immolabant, Cyrenenſes capram. Duos habuit filios arte medica præſtantes, Machaonem, & Podalirium, qui unà cum Græcis in expeditionem Troianam ſunt profecti: filias autem Hygeam, Aeglen, & Panaceam. Hic primus omnium dentium euulſionem creditur inueniſſe.

Aesêpus, (αἴσηπος) filius fuit Bucolionis, filij Laomedontis, & frater Pedaſi, quos Bucolion ex Abarbarea Nympha ſuſcepit: ut eſt autor Homerus 6. Iliad. Eſt item Aeſepus, fluuij nomen, in minori Myſia, ex Idæ radicibus profluentis: teſte Plinio lib. 5. cap. ult.

Aeſis, (αἶσις) Vmbriæ fluuius eſt inter Anconem & Senogalliam in mare Adriaticum influens, non procul ab oppido ſui nominis, quod à Strabone Aeſium uocatur. Meminit huius fluuij Lucanus lib. 2. inter eos qui ex Apennino naſcuntur.

Aeſon, (αἴσων) Rethei filius fuit, & pater Iaſonis, frater autem Peliæ natu maior, cui tamen otio & quieti ſtudēs,

regnum

regnum ea conditione permiſit, ut illud filio ſuo adulto reſtitueret. Verùm Pelias regni retinendi cupidus, cùm accedente iam ad iuuentæ florem Iaſone, *futurum uideret, ut commiſſum ſibi à fratre imperium propediem cogeretur reſtituere, iuuenem laudis ſtudioſum ad* Colchicam *expeditionem incitauit, ſperans fore, ut iuuenili audacia in præceps rueret, & tot tantaq́; pericula nunquam euaderet. Verùm cùm præter omnium opinionem* Iaſon *ope* Medeæ *adiutus, aureoq́· uellere potitus, in patriam reuertiſſet, parentemq́; iam ſenio defectum inueniſſet, ab uxore, quæ* Magicarum *artium peritiſſima erat, multis precibus impetrauit, ut* Aeſonem *integræ ætati reſtitueret: quod & illa tum artis peritia, tum herbarum uirtute præſtitit: ut latius deſcribit* Valerius Flaccus *in* Argonaut. & Ouid. 10. *Metamor.* Ab Aeſone *deducitur patronymicum* Aeſonides, αἰσονίδης, *quod à* Poëtis *uſurpatur pro* Iaſone Aeſonis *filio.*

Aesôpus, (αἴσωπος) *Tragœdiarum actor clariſſimus,* Ciceroni *amicitia cõiunctus, qui ex hiſtrionica ad tãtas peruenit opes, ut ſexcentis* H-S *una ei ſteterit patina: filiã autem reliquerit adeò diuitem, ut uniones aceto liquefactos cœnis apponeret: ut tradit* Plin. *lib.* 10. *cap.* 51. *Hic eſt ille* Roſcius, *cuius meminit* Horatius *lib.* 2. *Epiſt.*

Quæ grauis Aeſopus, *quæ doctus* Roſcius *egit.*

Aeſopus *alius fuit fabulator, genere* Phryx, *conditione ſeruus: qui tempore* Crœſi Lydorum *regis floruit: cui & fabulas ſuas dicauit.*

Aeſyma, æ, (αἰσύμη Stephano) *urbs* Thraciæ *eſt, patria* Caſtianiræ, *ex qua* Priamus Gorgythionem *ſuſcepit, qui in bello* Troiano *ab* Aiace *fuit interfectus: ut eſt autor* Hom. 8. *Iliad.*

Aethio

Aethiópia, (αἰθιοπία) regio Auſtralis Africæ, ab Atlante monte, ad Aegypti uſq; fines porrecta, à meridie Oceano, à Septentrione Nilo flumine bona ex parte clauſa. Strabo Homerum ſecutus, duplicem facit Aethiopiam, alteram ad plagam Africæ orientalem, quam primi cognouerunt, qui ex Arabia ſoluerunt: alteram ad occidentem, cuius in notitiam primi peruenerunt, qui Gadibus egreßi, occiduum littus luſtrauerunt. Dicta eſt autem Aethiopia, ut Plinio placet lib. 6. cap. 30. ab Aethiope Vulcani filio.

Aethō, (αἴθωρ) nomē unius eſt ex equis Solis, igneā illius indicans naturam. Nam, (αἴθειρ) ardere eſt. Ouid. 2. Met.

Interea uolucres Pyroeis, & Heous, & Aethon,
Solis equi, quartusq; Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Eodem etiam nomine à Vergilio appellatur equus Pallantis, lib. Aen. 11.

Pòſt bellator equus poſitis inſignibus Aethon.

Eſt & equus Hectoris eodem nomine apud Homerum 23. Iliad. Item equus Plutonis apud Claud. libro 2. de Raptu Proſerp.

Aethra, (αἴθρη) filia Pitthei regis, et uxor Aegei, materq; Theſei. Ouid. in epiſt. Ariadnes ad Theſeum:

Nec pater eſt Aegeus, nec tu Pittheidos Aethræ
Filius.

Alia fuit Aethra, Oceani & Tethyos filia, uxor Atlātis, filia Iapeti, qui ex ea XII. filias, & unū filiū Hyantē nomine ſuſcepit: ſed Hyas in Libya à ſerpente occiſus eſt: cuius mortē cùm quinq; ſorores nimiū deflerent, luctu cōtabuerūt: ſed Iouis cōmiſeratione inter ſydera sūt trāslatæ, Hyadesq; à fratris nomine dictæ. Reliquæ ſeptem, eò quòd plu-

res

res ſuperſtites manſiſſent, Pleiades *ſunt appellatæ,ut au-tor eſt* Timæus Græcus *ſcriptor.*

Aetna,(αἴτνη)*mons eſt* Siciliæ *, interdiu fumum, noctu flammam euomens.* Q*uæ res* Poëtis *fabulandi occaſionẽ dedit.*Gigantes *ſub eo monte ſepultos ignem eructare.*Sub *hoc quoque monte* Vulcani *fabricam, & Cyclopum ſedẽ nonnulli conſtituerũt.* Vnde *etiam* Vergil. Cyclopas Ae-tnæos *fratres appellat. Eſt &* Aetna *oppidi nomen, in radice eiuſdem montis ſiti, non procul à* Catana, *ab* Hiero-ne *conditi,ut in urbium* Onomaſtico *refert* Stephanus.

Aetólia,(αἰτωλία) *Græciæ regio,in tertio ſinu* Europæ, Epiro, Acarnaniæ , *&* Locris *finitima. Dicta ab* Aetolo Martis *ſeu* Endymionis *filio , cùm antea* Hyantis *diceretur.*In Aetolia *olim* Diomedes *regnauit:unde à* Vergilio *lib.*11.Aetolus *cognominatur:*

Non *erit auxilio nobis* Aetolus *&* Arpi.

Africa, (λιβύη) *regio eſt latiſſima, una ex tribus præcipuis terræ partibus,ad* Orientẽ Aegypto *&* Nilo *fluuio, ab* Occaſu Oceano Atlãtico *terminata:ad* Meridiẽ Oceano Auſtrali, *ad* Septentrionẽ *mari* Libyco *abluta. Dicta* Africa,*quaſi aprica(ut quidã uolũt) quòd rectioribus* So*lis radijs ſit expoſita.aut certè ab* ἀ *priuatiuo,&* Græco *nomine* φρίκη, *quod horrorẽ ſignificat.*Eſt *enim hæc regio frigoris horrorisq; prorſus expers,ut quæ magna ſui parte inter tropicos ſita ſit.*Prouincias *habet ad* Mediterraneũ *mare duplicẽ* Mauritaniã,Tingitanã, *&* Cæſarienſem:*deinde* Numidiã,*pòſt* Africã *proprie dictam, quæ &* Africa *minor dicitur.*Hanc *excipit* Cyrenẽſis *ſiue* Pentapolitana *regio.*Poſt *hanc eſt* Libya Mareotica,Aegypto *contermina.* Interiora *tenent* Aethiopes,Maſſyli, *plurimiq; alij mõſtroſi populi,quos enumerat* Plin.li.5. *cap.*8.

Afric

Africus, (λὶψ) *uentus inter Auſtrum & Zephyrum ſpirans: ita dictus, quòd ab Africa flare uideatur. Vergil. 1. Aen.*

Vnà Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus.

Agamémnon, onis, (*ἀγαμέμνων*) *Atrei & Aëropes filius, teſte Homero (quamuis Heſiodus Polyſthenis filiũ faciat) frater autẽ Menelai: qui in ea expeditione, quam Græci ob Helenæ raptum aduerſus Troianos ſuſceperũt, omnium conſenſu uniuerſi exercitus dux eſt declaratus. Quo in bello decimo demum anno uictoria potitus, ubi primùm in Græciam rediit, à Clytæmneſtra uxore, adiuuante Aegiſtho (quo cum illa, abſente uiro, adulterij cõſuetudinem habuerat) eſt interfectus, relicto filio Oreſte, qui poſtea indignam patris necem ulciſcens, matrem unà cum adultero trucidauit. Vide Senecam in Agamemnone, & Euripidem in Oreſte.*

Aganíppe, (*ἀγανίππη, ἱπποκρήνη*) *fons Bœotiæ, Muſis ſacer, qui alio nomine dicitur Hippocrene, hoc eſt, fons Caballinus (ut à Perſio uocatur,) quòd Pegaſi equi alati ungula factus credatur. Hinc Aganippæus, a, um, poſſeſſiuum. Propert.*

Par Aganippææ ludere docta lyræ.

Itẽ Aganippis, idis, (ἀγανιππὶς) patronymicũ fœm. ſeu poſſeſsiuũ patronymica forma deductum. Ouid. 5. Faſtor.

Dicite, quæ fontes Aganippidos Hippocrenes,
Grata Meduſæi ſigna tenetis equi.

Agapénor, *pen. prod. (ἀγαπήνωρ) præfectus claſsis Agamemnonis, apud Homerum in Catalogo nauium.*

Agáſthenes, (*ἀγασθένης*) *fuit teſte Homero libro Iliad. 2. pater formoſi Polyxeni, qui nauibus ſuæ gentis præfuit in expeditione Troiana.*

Agaſt

Agáſtrophus, (ἀγάςροφος) *Pæonis fuit filius, & heros inter primos Troianorũ bellatores: ſed à Diomede uulneratus in coxa mortẽ obijt, ut ſcribit Homerus lib. Ilia. 11.*

Agathon, onis, (ἀγάθωρ) *unus fuit ex filijs Priami, qui cum patre, corpus Hectoris redempturo, ad Achillem profectus eſt: ut tradit Homerus ultimo Iliad.*

Agathócles, (ἀγαθοκλῆς) *Siculus tyrannus fuit, qui ex ſordido genere natus, patre ſcilicet figulo, cùm libidini, latrocinioq; operam dediſſet, gregariam militiam exercuit. In qua quòd manu ſtrenuus eſſet, & in concionibus perfacũdus, breui ex cẽturione tribunus militũ euaſit, & primò quidem bello contra hoſtes pugnans, magna ſuæ uirtutis præbuit experimẽta, adeò ut in demortui regis locum fuerit ſuffectus. Nec multò pòſt interfectis Syracuſanis nobilibus, cum Carthaginienſibus bellũ geßit. Deinde ſpe ampliandi regni in Italiam traiecit: cùm ſpe ſua fruſtratus eſſet, ex indignatione morbum contraxit: ex quo etiam uita functus eſt. Hic cùm figuli (ut modò diximus) eſſet filius, generis humilitatem non modò non dißimulauit, uerùm etiam eo ueluti firmißimo argumento uſus eſt, ad inflammandos ſuos ad capeſſendám uirtutem. Vnde uaſis aureis frequenter figulina ſolet admiſcere, ut oſtenderet ſordidißimæ etiam conditionis hominibus per uirtutẽ ad honores iter patere. Auſonius,*

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem
Atq; abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.

Agathyrſi, (ἀγάθυρσοι) *populi ſunt Scythis contermini, ab Agathyrſo Herculis filio ſic dicti. Hi mulieres habent promiſcuas, nihil zelotypiæ aut odij mutuò exercẽtes. Capillos atq; adeò totum corpus cœruleo inficiunt colore: unde à Virgilio Picti cognominantur, lib. 4. Aen.*

Cretesq;

Creteſq; ,Dryopeſq; fremunt, pictiq; Agathyrſi.

Agáue,*pen. prod.* (ἀγάυη) *filia Cadmi et Hermiones, & uxor Echionis, quæ in furorem uerſa, Pentheum filium, regem Thebanorũ in Orgijs Bacchi ſuis manibus dilaniauit. Verg. in Culice:*

- Quò quondam uicta furore
Vênit Nyctileum fugiens Cadmeïs Agaue.

Agáuus,*pen. prod.* (ἀγαυὸς) *unus ex Priami filijs, apud Hom. li. Ili. ult. qui patrem Hectoris corpus ab Achille redempturum comitabatur.*

Agénor,oris,(ἀγήνωρ) *Beli Priſci filius fuit, & Phœnicum rex, à quo Phœnices dicti ſunt Agenoridæ. Filios habuit Polydorum, Cilicem, Phœnicem, Cadmum, & Labdacum: filias autē Taygetam & Europam. Verg. 1. Aen.*

Punica regna uides, Tyrios, & Agenoris urbem.

Aglaïa,(ἀγλαΐα) *quæ & Paſithea à quibuſdam appellatur, una eſt Charitum, ſeu Gratiarum, filiarum Iouis & Eurynomes, ut eſt autor Heſiodus in Theogonia: aut (ut alij malunt) Liberi patris & Veneris. Reliqua uide in dictione Charites.*

Agláope,es,(ἀγλαόπη) *una Sirenum, filiarum Acheloï & Calliopes: ab aſpectus ſplendore nomen habens. Reliqua uide in dictione Sirenes.*

Aglaúros, (ἄγλαυρος) *Cecropis regis Athenienſium filia, ſoror Pandroſi, & Herſes, quæ cùm Mercurio Herſen ſororē ſuam adamanti, accepta pecunia operam ſuam eſſet pollicita, poſteaq; inuidia correpta, limen ingredienti pertinaciter obſtaret, indignatus Mercurius in ſaxum eam commutauit. Ouid. 2. Metam.*

Pars ſecreta domus ebore, & teſtudine cultos
Tres habuit thalamos, quorum tu Pandroſe dextrum,

Aglauros læuum,medium poſſederat Herſe.

Agno,ûs,(*ἀγνὼ*) *fons Arcadiæ eſſe traditur, cuius aqua ceremonijs quibuſdam commota, nebulæ more in aêrem aſcendens,largißimos demittit imbres.* Nomē *autem huic fonti dediſſe exiſtimatur* Agno,*una ex nutricibus* Iouis. Vide Cæl.Rhodig.Lect.antiqu.lib.13.cap.17.

Agonália, iū,*uel*,iorum, *quæ & Agónia ab antiquis dicebantur*,(*ἀγώνια*)*feſta erant apud Romanos menſe* Ianuario *quotannis celebrari ſolita in honorem* Iani (*ut eſt apud* Ouid.1.Faſt.) *aut certè in honorem* Agonij *dei*(*ut* Feſtus *tradit*)*qui rebus agendis præeſſe putabatur.*Hoc die Rex *ſacrorum arietem immolabat,ut tradit* Varro *lib.5.de* Ling.Lati.*Nominis rationes multæ afferuntur.* Nam Varro *loco iam citato, ex ritu ſacrorum ductum exiſtimat,in quibus miniſter ſtrictum ad arietem iugulandū tenens cultrum,idētidem rogare ſolet,* Agón'. Quam *opinionem* Ouidius *quoque attigit his uerſibus,*

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cœlitibus quo feriente cadit:
Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper agátne rogat,nec,niſi iuſſus,agit.

Feſtus(*ut diximus*) *ad* Agonium, *rerum agendarum deū, dictionis huius etymon refert.* Alij *ad* Agonem *montem, in quo die illo ſacra fieri ſolebant,qui poſtea* Quirinalis *dictus eſt,ex quo in eo conſederunt* Sabini, *in urbis portionem recepti.* Alij *à certamine curuli dictum putant, quod hiſce ferijs antiquitus ſolet celebrari.* Nam Græci *certamina & ludos ἀγῶνας appellant.* In *quam opinionem* Ouidius *quoque deſcendit,cùm ſic ſcribit:*

Fas etiam fieri ſolitis ætate priorum
Nomina de ludis Græca tuliſſe diem:

Et

Et prius antiquus dicebat Agonia ſermo.
Veraq́; iudicio eſt ultima cauſa meo.

Agónius, (ἀγόνιος) *dicebatur Deus, qui præſidebat rebus gerendis: in cuius honorem Agonalia instituta fuiſſe, existimauit Feſtus: quamuis alij aliam afferant nominis huius rationē: ut ſuprà docuimus in præcedēti dictione.*

Agragas, antis, *qui &* Acragas, (ἀκράγας) *Siciliæ mons eſt, & in eo oppidum eiuſdem nominis, Empedoclis patria, quod Latini poſtea Agrigentum dixerunt. Verg. tertio Aeneid.*

Arduus inde Agragas oſtentat maxima longè
Mœnia.

Huius incolæ Agragantini, ſiue Acragantini dicuntur, (ἀκραγαντῖνοι) qui à Cicerone uocantur Agrigentini. Lucret lib. 1.

Quorum Agragantinus imprimis Empedocles eſt.

Agrippa, (ἀγρίππας) *prænomine Marcus, Octauij Augusti gener fuit, nauali uictoria aduerſus Sext. Pompeiū inſignis. Vergil. 8. Aen.*

Parte alia uentis, & Dijs Agrippa ſecundis, &c.

Fuit & Agrippa Syluius, Tiberini filius, duodecimus Latinorum rex, qui patri ſubmerſo in regnum ſucceßit, & cùm quadraginta annis regnaſſet, moriens Romulum filium regni reliquit hæredem. Vide Liuium lib. 1. ab Vrbe. Fuerunt prætereà Iudæorum duo reges cognomento Agrippæ, quos, quòd nihil faciāt ad noſtrum inſtitutum, hîc conſultò prætermiſimus.

Agrippîna, (ἀγριππίνη) *M. Agrippæ filia, & neptis Augusti, & uxor Germanici, quem etiam in Syriam comitata eſt, ubi cùm ille miſto à Cn. Piſone ueneno interijſſet, cineres eius in Italiā reportauit, et Iuliæ familiæ monumē*

to intulit: Piſonemq; iudicio perſequuta, ad ſpontaneã necem adegit. Poſtremò apud Tiberium Cæſarem nullo ſuo merito in inuidiam adducta, inedia ſibi mortem cõſciuit. Iulia Agrippina, Germanici & ſuperioris Agrippinæ filia fuit, quæ primùm Cn. Domitio Aenobarbo nupſit, cui Neronem peperit: mortuoq; Domitio nouo quodam exemplo cum Claudio Cæſare patruo ſuo ſecundas nuptias contraxit: quem, ut Neroni filio ſuo expeditam ad imperium uiam ſterneret, uenenato boleto ſuſtulit. Sublato deinde & Britãnico, Claudij ex Meſſalina filio, cùm Neroni iam imperium ſtabiliuiſſet, in Vbiorum metropolim coloniam miſit, quam à nomine ſuo Agrippinenſem appellauit: partim ut patriam ſuam, ibi enim nata erat, ſplendidiorem redderet: partim ut ſocijs nationibus potentiã ſuã oſtentaret. Poſtremò cùm plurimorũ nobiliſsimorum hominum cæde eſſet graſſata, immiſsis Neronis iuſſu percuſſoribus, multis uulneribus eſt cõfoſſa, illud identidem clamitans, Feri uentrem, qui monſtrum tam ferum tulit. Vtriuſq; uitam latiſsimè exequitur Tacitus: poſterioris meminit & Iuuenal. Sat. 6.

-Minus ergo nocens erit Agrippinæ Boletus.

Agrius, (ἄγριος) frater fuit Oenei regis Calydoniæ, & pater Therſitæ, ut ex Euphorionis ſententia annotauit Scholiaſtes Homeri in librũ 2. Iliad. Fuit & alter eiuſdẽ nominis filius Vlyſsis ex Circe, & frater Latini: ut in Theogonia annotauit Heſiodus.

Agyieùs, (ἀγυιεὺς) Apollinis epitheton eſt, tractũ à uijs urbanis quas Græci ἀγυιὰς appellãt. Hora. li. 4. Car. Ode 6.

Dauniæ defende decus Camœnæ
Læuis Agyieu.

Agylla, (ἄγυλλα Stephano) urbs uetuſtiſsima fuit Hetruriæ, quæ

riæ, quæ poſtea mutato nomine Cære fuit appellata: ut latius uidebimus ſuo loco. Virgilius περιφραστικῶς Vrbem Agyllinam appellat, ſic ſcribens lib. 8. Aen.

Haud procul hinc ſaxo colitur fundata uetuſto
Vrbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam
Gens bello præclara iugis inſedit acutis.

Aiax(*αἴας*) *duorum fortiſsimorum Græcorũ nomen fuit: quorum alter à patre Telamone Telamonius cognominatus, proximam ab Achille fortitudinis laudem obtinuit in Græcorum exercitu. Hic cum Hectore ſingulari certamine congreſſus eſt, & uictor euaſiſſet, niſi noctis aduentu pugna fuiſſet dirempta. Qua neceſsitate adactus, re infecta ad ſuos redijt, gladio ab Hectore donatus, quem ipſe uiciſsim baltheo donauit: quæ dona (ut exitus declarauit) utriq; fuerunt exitialia. Nam Hectoris corpus hoc ipſo baltheo circa Patrocli tumulum tractum eſt ab Achille. Aiax uerò Achille interẽpto, cùm de armis illius cũ Vlyſſe iudicium inſtituiſſet, aduerſarijq; eloquentia ſuperatus inferior diſceſsiſſet, rei indignitate in furorem uerſus, in muta pecora ſæuijt, Atridas ſeſe & Vlyſſem credens interimere. Verùm ubi ad mentis ſanitatem rediјt, ſeq; deluſum cognouit, acri dolore compulſus, gladio, quẽ ab Hectore dono acceperat, in loco deſerto ſe confodit: cruorq; eius in Hyacinthũ florẽ eſt permutatus: ut latius deſcribit Oui. lib. 13. Metam. Aiax alter ab Oilei patris ſui nomine Oileus dictus eſt. Hic Locrẽſiũ rex fuit, uelox pedibus, & peritus haſtæ uibrãdæ, multaq; fortitudinis exempla in obſidione Troiana edidit. Capto autem Ilio, Caſſandram uirginẽ in Mineruæ templo (cuius illa ſacerdos erat) uiolauit. Quã ob cauſam indignata Minerua, tempeſtatem Græcis redeuntibus circa Caphareum promon-*

torium immiſit, in qua cum alij pleriq;, tum ipſe etiam Aiax perijt. Vergil. 1. Aen.

-Palláſne exurere claſſem
Argiuûm atq; ipſos potuit demergere ponto,
Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei?

Aïdoneùs, (ἀϊδωνεὺς) *rex inferorum, quem nos Ditem & Plutonem appellamus. Fuit præterea eodem nomine rex Moloſſorum, cuius filiã nomine Perſephonen Theſeus conatus fuit rapere nõ procul ab Acheronte fluuio. Vnde factus eſt locus fabulæ, Theſeum ad inferos deſcendiſſe, & Perſephonen Ditis uxorem rapere uoluiſſe. Vide Plutarchũ in uita Theſei, & quæ ſuprà annotauimus in dictione Ades.*

Aius, *Deus à Romanis dictus eſt, quem Liuius alio nomine Allocutiũ uocat. Nã olim Romæ audita uox eſt ſilentio noctis, clarior humana uoce, quæ iuberet magiſtratibus nuntiari, Galles aduẽtare: & ut prouiderẽt, ne Roma ab ijs caperetur. ex eo dict⁹ eſt Deus Aius: id eſt, loquẽs. Cic. li. 2. de Diuin. Quid ergo? Aius iſte loquẽs, quãdo cũ nemo norat, aiebat, & loquebatur: unde & nomen adinuẽnit.*

Alabánda, (ἀλάβανδα *Steph.) Cariæ ciuitas eſt, nõ procul à Mæandro fluuio, ſcorpionum copia affluens, duobus montibus ita ſubiecta, ut ciſtæ inuerſæ aſpectum exhibeat. ex hac originem traxerunt tres clariſsimi oratores, Menecles, & Hierocles fratres, & Apollonius Molo. Nomen accepit ab Alabando Euippi filio, ut Stephano placet. Apud Latinos frequentius legimus Alabandæ, arum, plurali numero. Iuuenalis Sat. 3.*

Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis.

Alalcomenæ, *ſiue* Alalcomenium (ἀλαλκομεναὶ *Straboni,* ἀλαλκομένιον *Stephano) oppidum Bœotiæ, ab*

Alalco

Alalcomenco conditore appellatum, qui & Mineruæ ſimulacrum ibidem conſecrauit, quam à ſuo nomine ἀλαλκομενηΐδα appellauit: cuius meminit & Homerus 4. Ilia.

Alánia, (ἀλανία) regio eſt Scythiæ Europææ, quæ ad Mæotidas paludes pertingit. Eius incolæ Alani: de quibus Plin. lib. 9. cap. 12.

Alánus, (ἄλανος) Scythiæ fluuius, à quo Alani populi dicti ſunt, iuxta Roxalanos: de quibus Plin. libr. 4. cap. 12. Ammianus ſcribit Alanos dici, quos priſci Maſſagetas dixerunt. Hi carnibus ueſcuntur, & panem non manducāt: equis autem utuntur uelociſſimis. Martialis lib. 7.

Nec te Sarmatico tranſit Alanus equo.

Iul. Capitol. Alanos in parte Daciæ collocat: Ptol. uerò in ea Scythiæ parte, quæ eſt intra Imaum.

Aláſtor, (ἀλάστωρ) unus eſt ex equis Plutonis, apud Claudianum lib. 2. de Raptu Proſerpinæ: ubi quatuor enumerat Plutonis equos, his uerſibus,

Orphnæus crudelè micans, Aethonq; ſagitta
Ocyor, & Stygij crudelis gloria Nycteus
Armenti, Ditisq; nota ſignatus Alaſtor.

Dictus eſt autem Alaſtor à Græco uerbo ἀλαστέω, quod eſt crucior, uel graue aliquid patior. Vnde Alaſtorem intelligere poſſumus animum ſibi male conſcium, uel malum genium mortalium mentes affligentem.

Alba, (ἄλβα) nomen eſt duarum urbium, quarum una eſt in Latio, à qua Albani populi, (ἀλβανοὶ) & Albanus mōs, ſub quo Aſcanius ciuitatē hāc Albā cōdidit, quæ (ut Liuius ſcribit lib. 1. ab urbe.) à ſitu porrectæ in dorſo urbis, lōga cognominata eſt. Alba autem dicta putatur ab omine porcæ albæ ibidē mactæ, cum ſucculis triginta: ut placet Vir. li. 8. Aen. ubi Aeneā ſic alloquitur Tiberinus:

Iámque tibi(ne uana putes hæc fingere ſomnum)
Littoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus
Triginta capitum fœtus enixa, iacebit
Alba ſolo recubans,albi circum ubera nati,
Hic locus urbis erit,requies ea certa laborum.
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

Altera eſt ad lacum Fucinum, à qua Albenſes(ἀλβιεῖς) dicuntur:quamuis etiam Albani quandoq; uocentur.

Albania,(ἀλβανία)regio eſt Scythica à colore populi uocata,eò quòd albo crine naſcantur. Hæc Nomadico generi proxima eſt inter Hiberiam & mare Caſpium,ab ortu Solis mari coniuncta,ab occaſu Hiberiæ finitima,à qua Alazone amne dirimitur. Boreale latus munitur Caucaſeis montibus, Auſtrale Armeniam contingit. Strabo ſex & uiginti linguas Albanorum fuiſſe tradit,& totidem aliquando reges. Fuere & ſub imperio Perſarum, poſtea Macedonum,deinde Romanorum. Sed Traianus Imperator his regem dedit. Nunc ſub Magno Cane degere creduntur. Ab his Albani orti ſunt,quorum pars hodie in Pelopõneſo, pars in Macedonia ſedet,iuxta Dyrrhachium, & in Epiro,quæ hodie uulgò Albania dicitur.

Albion, & Bérgion,(ἀλβίων, καὶ βέργιων) gigantes fuerunt, & filij Neptuni, in Herculis gratiam à Ioue interfecti. Hercules enim cùm Rhodani oſtia tranſiret, ei obuiam facti hi duo fratres tranſitum eius impediuerunt. Quapropter Hercules cum eis pugnauit,& cùm ſibi tela deficerent,Iouẽ patrẽ in auxiliũ uocauit,qui lapideũ imbrẽ demittẽs,inimicos eius interfecit. Autores Pomponius Mela,& Diodorus Siculus.Olim itẽ Albion dicta fuit inſula maris Septẽtrionalis,quæ hodie notiore nomine Britannia

tãnia dicitur: Albiõ dicta, à rupiũ, quibus mare abluitur, albedine. Vtitur hoc nomine Ptolemæus lib. 2. cap. 3.

Albis, (ἄλβις) *fluuius eſt nobiliſsimus, quem Romani olim uoluerunt eſſe terminum ſui imperij. Oritur ex montibus qui Morauiam à Boëmia diuidunt. Suſcepto deinde Mol ta fluuio, Pragam Boëmorum metropolim præterlabitur. Influit in mare uaſtiſsimo oſtio iuxta Hamburgam. Vulgus Germanorum hodie Elbam uocat. De hoc Luca. lib. 2.*

Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Albula, (θύμβρις, ἢ τίβερις) *nobiliſsimus Italiæ fluuius, Hetruriam à Latio, Romamq́; ipſam à Ianiculo diuidens, ita dictus ab aquæ albedine. Poſtea Tybris dictus eſt, ſiue Tiberis à Tiberino rege in eo ſubmerſo, ut lib. 1. ab urbe tradit Liuius: aut, ut alijs placet, à Tybride Tuſcorum rege, ad ripas eius occiſo. In qua ſententia eſt et Verg. ſic cribens lib. 9. Aeneid.*

- Aſperq́; immani corpore Tybris,
A' quo pòſt Itali fluuium cognomine Tybrim
Diximus: amiſit uerum uetus Albula nomen.

Albúnea, *fons & nemus agri Tiburtini, iuxta Anienem, nomen habens ab aquæ ſulphureæ albedine: aut certè ab eo quòd Albuna dea ibi colebatur, quæ eadem fuiſſe puta tur cum ea, quam Græci λευκοθέαν uocant: quanquam nõ deſunt, qui hanc Sibyllam Tiburtinam fuiſſe malint, quæ ob admirabilem ſapientiam, humanaq́; maiorem, à uicinis populis dea credita eſt, & in hoc nemore ipſam conſulentibus reſponſa dare. Verg. 7. Aeneid.*

- Lucosq́; ſub alta
Conſulit Albunea, nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat.

Alburnus, (ἄλβουρνος) *Lucaniæ mons à cãdore uerticis dictus, & portus eiuſdem nominis.* Vergil. 3. Georg.

Eſt lucos Silari circum, ilicibusq; uirentem
Plurimus Alburnum uolitans, cui nomen aſilo, &c.

Alcæus, (ἀλκαῖος) *Poëta Lyricus fuit, patria Mitylenæus, grauitate, diligentiaq; inſignis: eius carminis inuentor, quod ab ipſo Alcaîcum dicitur.* Ouid. *in* Epiſt. *Saphûs:*

Nec plus Alcæus conſors patriæq; lyræq;
Laudis habet, quamuis grandius ille ſonet.

Alcander, (ἄλκανδρος) *unus è comitibus Sarpedonis Lyciæ regis, ab Vlyſſe ad* Troiam *occiſus.* Autor Ouid. 13. *Metamorph.*

Alcáthoë, (ἀλκαθόη) *urbs eadem eſſe putatur, quam alio nomine Megaram uocant.* Ouid. 8. *Metamorph.*

Alcathoë, quam Niſus habet.

Alcáthous, (ἀλκάθοος) *Pelopis filius, qui cædis Chryſippi fratris ſuſpectus, Megaram uenit, occiſoq; leone, qui Cithæronius à loco dicebatur, adſcitus à Megareo gener, in regnũ illi ſucceſsit, & urbẽ Megarã Alcathoën appellauit. Alcathous, alius fuit* Troianus, *qui* Hippodamiam *Anchiſæ filiã uxorẽ habuit, & in pugna apud* Troiam *ab Idomeneo Cretenſi occiſus eſt: ut refert* Hom. *Ilia. li.* 8.

Alceſte, es. *ſiue* Alceſtis, idis, (ἄλκηστις) *fuit* Perilai *filia,* Admeti *Pheræorum regis coniux, quæ maritum tanto amore dilexit, ut pro eo perire non recuſauerit.* Nam *cùm Apollo ab Admeto humaniter exceptus, hoc illi à Parcis impetraſſet, ut fatalem diẽ proferre poſſet, ſi quis aut cognationis aut amicitiæ uinculo adductus ſpontaneam pro eo mortem obire uellet: cæteris id abnuentibus, ſola Alceſtis inuenta eſt, quæ mariti uitam ſua morte redimere*

non

non recuſaret. Iuuen.

-Spectant ſubeuntem fata mariti

Alceſten. Plura apud Euripidem in Alceſte.

Alceus, ei, (ἀλκεὺς) *pater fuit* Amphitryonis, & *auus* Herculis, *à quo* & Alcides (ἀλκείδης) *eſt appellatus.*

Alcídes, *pen. prod.* (ἀλκείδης) *patronymicum eſt maſculinum, ab* Alceo Amphitryonis *patre deductum, quo* Poëtæ *frequentiſsimè utuntur pro* Hercule, Alcei *nepote,* & Amphitryonis *filio: quanquam ille neſcio quem* Ionẽ *maluit ſibi patrem per dedecus adſciſcere, quàm ex* Amphitryone *natus uideri.*

Alcímede, (ἀλκιμέδη) *uxor* Aeſonis *fuit,* & *mater* Iaſonis. Val. Flaccus 1. Argonaut.

-Hunc *grauis* Aeſon,

Et *pariter uigil* Alcimede *ſpectantq́; tenentq́;*.

Alcímedon, ontis, (ἀλκιμέδων) *inſignis ſculptor fuit, cuius meminit* Virg. 3. Eclo.

Et *nobis idem* Alcimedon *duo pocula fecit.*

Alcínous, (ἀλκίνοος) Phæacum, *hoc eſt,* Corcyræ *inſulæ rex iuſtiſsimus, filius* Nauſithoi, *qui ex* Arete *uxore* Nauſicaam *filiam ſuſcepit, quæ poſtea* Telemacho *nupſit. Ad hunc cùm* Vlyſſes *naufragus perueniſſet, humaniſsimè ab eo eſt exceptus, nauiq́; ab illo ſuppeditata in patriam eſt reductus.* Hic *ſupra mortales omnes hortorum ſtudioſus fuit, quos* & *biferos habuiſſe fertur: ſi* Homero *credimus lib.* 7. Odyſs. *hortos eius mirum in modum extollenti.*

Alcippe, es, (ἀλκίππη) *una ex* Alcyonei *gigantis filiabus, quæ à patris nomine* Alcyonides *dictæ ſunt: ut refert* Suidas. Eſt *item* Alcippe *puellæ ruſticæ nomen, apud* Theocritum, & Virg. Eclog. 7.

Quid *facerẽ? neq́; ego* Alcippẽ, *neq́;* Phyllida *habebã.*

Alci

Alcíthoë,(ἀλκιθόη) *Thebana mulier fuit: quæ cùm* Bacchum, *eiusq́; Orgia contemneret, cæterisq́; mulieribus ſacra celebrantibus, cum ſororibus & ancillis lanificio operam daret, ab irato* Baccho *in ueſpertilionem mutata eſt, telæ autem in uitem & hederam.* Vide Ouidium *quarto* Metamorph.

Alcmæon, (ἀλκμαίων) Amphiarai, & Eriphyles *filius, qui matrem interfecit in ultionem patris, quem illa latitantem, ne ad bellum* Thebanum, *in quo ſe periturum ſciebat, pertraheretur, aureo monili corrupta* Polynici *prodiderat. Ob hanc itaq; cædem* Furijs *agitatus, ad* Phlegeum *fluuium peruênit, & ab eo luſtratus, filiam eius* Alpheſibœam *uxorem duxit, eiq́; aureum illud monile dono dedit quod matri occiſæ detraxerat. Verùm cum deinde ad* Acheloum *fluuium perueniſſet, conſpecta* Callirrhoë *eius filia, prioris coniugis immemor, amore eius ſtatim exarſit, & monile quod* Alpheſibœæ *iam dederat, eidem ſpe nuptiarum pollicetur. Idq́; cùm ab uxore repeteret, à fratribus eius* Themone & Axione *eſt interfectus.* Hinc Alcmæonius, a, um, Propert. lib. 3.

Aut Alcmæoniæ Furiæ, *aut ieiunia* Phinẽi.

Alcman, (ἀλκμάν) Sardianus, *poëta* Lyricus, *filius* Damantis. *Claruit uigeſima ſeptima* Olympiade, *cùm apud* Lydos *regnaret* Ardis, *pater* Aliattæ. Hic *cùm nimio amore puellam quandam deperiret, amatorios cãtus prim⁹ inuenit.* Fertur *phthiriaſi morbo interijſſe.* Suidas.

Alcmêna, (ἀλκμήνη) Electrionis, & Lyſidices *filia,* Amphitryonis *uxor: cui hac lege nupſit, ut mortẽ fratris ſui, à* Telebois *occiſi ulciſceretur.* In *qua expeditione cùm* Amphitryon *uerſaretur,* Iupiter *imagine eius aſſũpta, toto trinoctio cum* Alcmena *concubuit: quæ quamuis an-*

tea ex

tea ex uiro grauida eſſet, inſuper tamen ex Ioue *conce-pit: eodemq́; tempore* Ioui Herculem, Amphitryoni *Iphi-clum peperit.* Fabulam hanc latius deſcribit Plautus *in* Amphitryone.

Alcómenæ, (*ἀλκόμεναι*) *Ithacæ inſulæ ciuitas eſt, à qua* Vlyſſes *Alcomeneus* (*ἀλκομενεὺς*) *à poëtis appellatur.* Stephanus.

Alcon, (*ἄλκων*) *nomen proprium Cretenſis ſagittarij, cuius filium cùm draco inuaſiſſet, tanta arte direxit ſa-gittam, ut ea in ſerpentis deficeret uulnere, nec tranſiret in filium.* Fuit hic Alcon Erichthei Athenienſium *regis filius, qui ex* Attica *in* Eubœam *profugit.* Verg. Eclo. 5.

-Si quos aut Phyllidis *ignes,*
Aut Alconis *habes laudes, aut iurgia* Codri.

Alcyone, es, *pen. cor.* (*ἀλκυόνη*) Aeoli *regis uentorũ fi-lia, & uxor* Ceycis, *qui cùm ad* Apollinis Clarij *oraculũ nauigans, naufragio periſſet, eiusq́; cadauer in* Trachinis *littore ſe uxori forte obtuliſſet: illa doloris impatiens, in mare ſe præcipitauit, uerſaq́; eſt (ut* Poëtæ *fabulantur) in auem ſui nominis.* Vide Ouid. *lib.* 11. Metamor. *Altera fuit* Alcyone, Eueni *fluminis filia, uxor* Idæi, *antea* Mar-peſſa *appellata: quam cùm* Apollo *rapuiſſet, non dubita-uit maritus ſumpto arcu & ſagittis uxorem ui ab eo re-petere.* Quod *cùm fruſtra conatus eſſet, parentes filiæ ca-ſum lugentes, commutato nomine* Alcyonen *eam appella-runt, quòd fatum ſuperiori* Alcyone *non diſsimile ſorti-ta uideretur.* Hæc Homerus 9. Iliad.

Alcyoneùs, (*ἀλκυονεὺς*) *gigas fuiſſe traditur,* Porphy-rionis *frater, ab* Hercule *telis confoſſus: cuius & filiæ, quas ſeptem numerant, ob patris mortem in mare præci-pitãtes ſe, ab* Amphitrite *in* Alcyones, *ut quorundam o-*

pinio

pinio eſt, ſunt mutatæ. Harum nomina ſunt, Phoſthonia, Anthe, Methone, Alcippe, Pallene, Drymo, & Aſterie. Ex Suida.

Alecto, ûs, (ἀληκτώ) Acherontis, & Noctis filia, una Furiarum infernalium, ſoror Tiſiphones, & Megeræ. Dicta Alecto, ab ἀ priuatiuo, & λήγω ceſſo, propterea quòd mentes ſibi malè conſcias iugiter infeſtet, nullamq; ijs requiem permittat. Verg. 7. Aen.

Luctificam Alecto dirarum à ſede ſororum, &c.

Aléctryon, (ἀλεκτρυὼν) adoleſcens fuit (ut fabulatur Lucianus) Marti adeò familiaris, ut adulterij, quo Veneri ille commiſcebatur conſcius adhiberetur, foribusq; cuſtos apponeretur, ne Solis interuentu depræhenderetur adulter. Verùm cùm ille ſomno oppreſſus negligentius excubias ageret, amantes eius fiducia in utranque aurem dormientes, à Sole depræhenſi ſunt, & apud Vulcanum delati, adamantinis catenis multò antè eum in uſum paratis, ſunt impliciti. Qua de cauſa indignatus Mars, Alectryonem in auem ſui nominis trāsformauit, quem Gallum Latini appellant: qui etiam hodie ueteris negligentiæ memor, Solis aduentum cantu ſuo prænuntiat.

Aleij campi, (ἀλήϊα πεδία) locus eſt Lyciæ, in quem cecidit Bellerophontes, cùm à Pegaſo ab œſtro agitato excuteretur: ſic dictus, quòd in eo cæcus errarit Bellerophontes, donec periret.

Alemáni, (ἀλεμανοὶ Stephano) populi Septentrionales, qui & Germani dicuntur: Rheno fluuio à Gallis, Alpibus ab Italis deſcreti: ita dicti patrio uocabulo, quaſi prorſus uiri. Sidonius:

-Rhenumq; ferox Alemane bibebas.

Algidus, mons eſt Dianæ ſacer, ab urbe Roma XII. M. paſ.

paſſ. diſtans, ab aſſiduo frigore ita appellatus. Horat. in Carm. ſeculari:

Quæq; Auentinum tenet, Algidumq;. Idem alibi:
Quicunq; aut gelido prominet Algido.

In hoc monte oppidum erat Algidum, quod nunc Roca Papæ ex ueteris ſitus deſcriptione exiſtimatur. Proxima certè ſylua etiam hodie Algidi ſylua appellatur: in cuius ingreſſu eſt Regillus lacus.

Allia, (ἀλλίας) nomen fluuij, qui à Cruſtuminijs montibus prælto defluens alueo, Tiberino amni miſcetur, quadragesimo ab urbe lapide, ubi magna ſtrage Romani à Gallis Senonibus profligati ſunt. Vnde factum eſt, ut is dies, quo id prælium commiſſum eſt, Allienſis diceretur, & inter dies atros, nefaſtosq; haberetur. Lucanus lib. 2.

Et damnata diu Romanis Allia faſtis. Verg. 7. Aen.
Quosq; ſecãs infauſtum interluit Allia nomen.

Allóbroges, (ἀλλόβρογες, καὶ ἀλλόβρυγες Stephano) populi Galliæ iuxta Rhodanum, nunc Sabaudienſes, & Delphinates, uictoria Fabij, & Catilinæ cõiuratione noti, ad tractum Lugdunẽſem ſiti Ptolemæo. Horatius Epod. 16.

Nouisq; rebus infidelis Allobrox.

Almo, onis, (ἄλμων) riuulus eſt ante portam Capenam, in quo ſacerdotes Cybeles deæ ſimulacrum, & cultros ſanguinolẽtos, & ſua uulnera ſolent abluere. Ouid. 4. Faſt.

Eſt locus, in Tiberim quà lubricus influit Almo.

Eſt & Almo, ſiue Almon apud Verg. 7. Aen. paſtoris nomen, filij Tyrrhei, regij pecoris magiſtri, qui in tumultu, inter Troianos Latinosq; paſtores exorto fuit interfect⁹.

Alocùs, (ἀλωεὺς) nomen Gigantis, Titanis, & Terræ filij, cuius uxor Iphimedia à Neptuno uiolata duos peperit filios, Otum, & Ephialtem: quos Aloeus pro ſuis educauit:

cauit: unde & Aloïdæ (ἀλωεῖδαι) appellati ſunt. Hi cùm Gigantibus ſuperis bellum inferentibus, opem ferrent, Apollinis & Dianæ telis confixi ſunt. Verg. 6. Aeneid.

Hic & Aloïdas geminos, immania uidi
Corpora, qui manibus magnum reſcindere cœlum
Aggreßi.

Alope, (ἀλόπη) Cercyonis regis filia fuit, quam cùm pater à Neptuno compreſſam reſciuiſſet, puerum, quem illa pepererat, in loco deſerto feris obijci iußit, Alopen autem carceri includi: ubi cùm doloris impatientia extabuiſſet, Neptuni miſeratione in fontem ſui nominis eſt commutata. Puerum autem cùm paſtores inueniſſent ab equinis uberibus pendentem, liberaliter educarunt, & à re ipſa Hippoochum nominarunt. Vide hæc latius apud Hyginum Fab. poëtic. cap. 186.

Alpes, (ἄλπεις, τὰ ἄλπεινα ὄρη) à candore niuium dictæ ſunt, quia perpetuis ferè niuibus albeſcunt. Sabini enim Alpum dixere, quod poſtea Latini Album: unde Alpium nomen. Sillius, clauſas niuibus rupes, ſuppoſtaq; cœlo Saxa, uocat. Sunt autem montes altißimi Galliam, & Germaniam ab Italia dirimentes, alia alijs in locis cognomina ſortiti. Alibi enim Iuliæ Alpes, alibi Cotiæ, alibi Graiæ dicuntur. Has primi omnium Argonautæ creduntur traieciſſe, deinde Galli, pòſt etiam Annibal, qui per eas igni acetoq; ſibi uiam aperuit. Ab Alpibus duplex olim Gallia denominata eſt, ut una Ciſalpina diceretur, Alpibus & Rubicone amne intercepta: altera Tranſalpina, quæ rurſus in Belgicam, Celticam, & Aquitanicā diuiditur. De Alpium longitudine & latitudine uide Plinium lib. 3. cap. 19.

Alpheſibœa, (ἀλφεσίβοια) filia fuit Phlegei fluminis, quam

quam Alcmæon Amphiarai *filius in matrimonium ſuum pellexit, dato illi aureo monili, quod matri à ſe occiſæ detraxerat.* Verùm *cùm poſtea ad* Acheloum *amnem perueniſſet,* Callirrhoës *filiæ eius, amore captus, idem illi monile futurarum nuptiarum ſpe pollicetur.* Idq; *cùm ab uxore repeteret, à fratribus eius eſt occiſus.*

Alphêus, (ἀλφειὸς) *fluuius eſt in* Elide Peloponneſi *regione, quem* Pauſanias *lib.* 5. *tradit occultis meatibus ſubter mare labi, & in* Arethuſam Siciliæ *fontem deſinere.* Qua *in re ſecutus eſt* Poëtarum *fabulas, qui* Arethuſam *uenatricem fuiſſe tradunt, ab* Alpheo *adamatam: cui cùm ille uim adhibere pararet,* Dianæ *miſeratione in fontem ſui nominis eſſe conuerſam, occultisq; meatibus, ne amatoris undis pollueretur, in* Siciliam *uſq; fugiſſe, tandemq; in ea parte* Syracuſanæ *urbis, quæ* Ortygia *dicitur, magna aquarũ ui erupiſſe:* Alpheumq; *amatæ* Nymphæ *deſiderio eôdem eſſe inſecutum.* Verg. 3. Aen.

> -Alpheum *fama eſt huc* Elidis *amnem*
> Occultas *egiſſe uias ſubter mare, qui nunc*
> Ore Arethuſa *tuo* Siculis *confunditur undis.*

Verùm *hæc fabuloſa eſſe conſtat: cùm* Alphei *aquæ nuſquam abſorbeantur, ut docet* Strabo *libro* 6. *eiusq; oſtiũ manifeſtè uideatur inter* Ichthyn *promontorium, &* Haliartum *oppidum.* Ab Alpheo *fit patronymicũ fœm.* Alpheïas, *quo* Poëtæ *utuntur pro* Arethuſa Nympha, *ab* Alpheo *adamata.* Ouid. 5. Metamor.

> Tunc *caput* Eleis Alpheïas *extulit undis.*

Alpînus, *malus quidam* Poëta *fuit, qui* Memnonis Auroræ *filij res geſtas deſcripſit, ſed tam infeliciter, ut ab* Horatio *dicatur* Memnonem *iugulare.*

> Turgidus Alpinus *iugulat dum* Memnona, *&c.*

Alphius, (ἄλφιος) *fœneratoris inſignis nomen, à quo primùm profecta dicitur celebris illa ſententia, Vel optima nomina non appellando mala fieri.* Huius meminit Horatius Epod. 2.

Althæa, (ἀλθαία) *Theſtij filia, et Oenei regis Calydoniæ uxor, mater autem Meleagri: quo recèns nato, uiſa ſibi eſt uidere Parcas igni aßidentes, quarum una arrepto ex igne torre, puero ſe dixit tam diuturnum uitæ terminum conſtituere, quoad torris ille conſumptus eſſet. Althæa itaq; poſt diſceſſum Parcarum torrem igni exemptũ multos annos diligentißimè aſſeruauit. Verùm cùm adultus iam Meleager in celebri illa apri Calydonij uenatione, Plexippum & Toxeum auunculos occidiſſet, Atalãtæ præmium eripere conantes: indignata Althæa, fatalem Meleagri ſtipitem in ignem coniecit: quo conſumpto, Meleager quoque eſt extinctus. Quare cognita, Althæa ſibi quoque necem conſciuit. Deſcribitur latius hæc fabula ab Ouidio 8. Metam.*

Alyáttes, (ἀλυάττης) *Lydorũ rex fuit, Crœſi pater, cuius memoriæ extructum eſt monumẽtum apud Sardis, maxima impenſæ parte ab ancillis, quæ omnes apud Lydos corpore quæſtum faciunt, in hoc opus collata. Hinc Crœſus ipſe à Poëtis dicitur Alyatticus. Horat. 3. Carm.*

Quàm ſi Mygdonijs regnum Alyattici
Campis continuem.

Alyxóthoë, (ἀλυξοθόη) *Nymphæ nomen, ex qua Priamus in antro cõpreſſa Aeſacum filium ſuſcepit. Ouidius 11. Metamor.*

Aeſacon umbroſo furtim peperiſſe ſub antro
Fertur Alyxothoë.

Amalthéa, (ἀμαλθέια) *filia fuit Meliſsi Cretenſium regis,*

gis, quæ unà cum ſorore Meliſſa, Iouem lacte, & melle nutrierunt. Fuit item una Sibyllarum cognomento Amalthea, cuius meminit Tibullus:

Quicquid Amalthea, & quicquid Marpeſia dixit.

Amanus, (ἄμανος Stephano) pars Tauri montis, qua Syria à Cilicia diuiditur. Lucanus lib. 3.

-Venêre ſerores
Cappadoces, duri populus nunc cultor Amaui.

Amáracus, (ἀμάρακος) Cinyræ regis Cypri puer, qui caſu lapſus cùm ferret unguenta, fregit alabaſtrum. Quā ob cauſam doloris impatientia contabuit, & in ſampſuchum herbam eſt commutatus, quæ ab eo Amaracus dici cœpit. Vulgus hodie Maioranam appellat. Verg. 1. Aen.

-Vbi mollis amaracus illum
Floribus & dulci aſpirans complectitur umbra.

Ex hac herba nobile conficitur unguentum, ad molliēdos neruos aptiſſimum, ut eſt autor Plin. li. 21. Lucretius li. 3.

-Poſteſq; ſuperbos
Vngit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.

Amarúſia, (ἀμαρουσία) Dianæ cognomen eſt, tractum (ut Pauſaniæ uidetur) ab Amarynthο Eubœæ uico, ubi ſumma cum ueneratione colebatur Diana.

Amarynthus, (ἀμάρυνθος) uicus eſt Eubœæ inſulæ, iuxta Eretriā, in quo Diana colebatur, quæ inde Amaruſia dicta eſt. Strabo libro 10.

Amaſênus, fluuius Volſcorum, quem Metabus Priuernatium tyrānus ſuorum fugiens furorem natādo traiecit: filiam autem haſtæ alligatam in ulteriorem proiecit ripam. Eſt & alius in Sicilia eodem nomine, de quo Ouid. libro 15. Metamorphoſ.

Nec non Sicanias uoluens Amaſenus arenas.

Amâſis, (ἄμασις) *nomen proprium regis* Aegypti, *cuius tumulus fuit una pyramidum, dicente* Lucano *li.9.*

Non *mihi pyramidum tumulis euulſus* Amaſis.

Hic *legem cõdidit, ut quiſq; quotannis apud præſidem rationem uitæ redderet, demonſtraretq́; unde uiueret, aut quo quæſtu ſuſtentaretur: qui hoc non faceret, morte afficeretur.* Hanc legem Solon ab Aegyptijs tranſtulit ad Athenienſeis. *Regnauit eodem tempore in* Aegypto, *quo ſeptem Sapientes in Græcia floruerunt. Multa de hoc* Plutarchus *in Sympoſio ſeptem Sapientum, &* Diogenes Laërtius *in uita* Periandri.

Amata, *uxor fuit* Latini *regis & mater* Lauiniæ, *quæ cũ* Turni *res deteriore iam cõditione eſſe cerneret, &* Aeneam *copias ad urbis expugnationem admouere, laqueo gulam fregit, ne uicto aut occiſo* Turno, Aeneam *generum uidere cogeretur.* Amata *item à* Pontificibus *appellabatur uirgo* Veſtalis, *cùm ad miniſterium* Veſtæ *capiebatur, propterea quòd prima, quæ hoc ritu capta fuit, hoc fuerit nomine. Capi autem idcirco dicebatur, quòd ueluti bello capta, à parente, uel ab eo in cuius poteſtate erat, manu à pontifice maximo appræhenſa abducebatur.*

Amathûs, thuntis, (ἀμαθοῦς) *Cypri ciuitas eſt* Veneri *ſacra, in qua &* Adonis *colebatur.* Vergilius *libro* 10.

Eſt Amathus, *eſt celſa mihi* Paphos, *atq;* Cythera. Oui.
Piſcoſamq́; Gnidon, *grauidamq́;* Amanthunta *metallis.*

Hinc Amathuſius, *à, um,* (ἀμαθούσιος) Verg. *in* Ciri:

Quòd *ſi animo quouis alio iactaris amore:*
Nam *te iactari, non eſt* Amathuſia *noſtri*
Tam *rudis, ut nullo poßim cognoſcere ſigno.*

Amathus, amathi, (ἄμαθος) *fluuius* Pylon *urbem,* Neſtoris *patriam, præterlabens: à cuius nomine* Pylos *ipſa* Amathoëſſa *uidetur appellata apud* Homerum *in* Catalogo.

logo. Hic etiam Pamiſus uocatur, & Mamaus, & Arcadicus. Autor Strabo lib. 8.

Amathúſia, (ἀμαθȣ́σια) inſula in mari Cilicio. ab Amathunte uetuſtiſsima urbe ſic appellata: quæ nunc notiore nomine Cyprus dicitur. Plinius lib. 5. cap. 31. Inde Amathuſiacus, a, um, adiectiuum. Ouidius Metam. 10.

Lactantes uitulos, Amathuſiacasq́; bidentes.

Amázones, pen. cor. (ἀμάζονες) fœminæ bellicoſiſsimæ Scythiam iuxta Tanaim primùm, deinde Pontũ ad Thermodoonta incolentes. Dictæ Amazones, eò quòd altera mamma carerent, ab ἀ ſine, & μαζὸς, mamma. Mos enim fuit Amazonibus, interfectis maribus quos genuiſſent, ſeruare fœminas, earumq́; infantium mãmas dextras inurere, ne impedimento eſſent ad pugnam conſerendam, & ne ſagittarum iactus impediretur. Harum reginæ fuerũt Marthesia, & Lampedo, quæ maiorem Europæ partem ſubegerũt. Marthesiæ filia Orithyia ſucceſsit, quæ ſororẽ Antiopen habuit. Poſt Orithyiam Pentheſilea regno potita eſt: quæ ad bellũ Troianũ profecta, Phrygibus auxilium ferens, ab Achille poſt multas res præclariſsimè geſtas, occiſa eſt. Hæc ſecurim bellicam & peltam prima omnium inueniſſe dicitur. Claruit quoq; inter Amazones Menalippe, itẽ Hippolyte, quæ ab Hercule capta eſt, & poſtea à Theſeo in uxorem ducta. Ver. de ærũnis Herculis:

Threïciam ſexto ſpoliauit Amazona baltheo.

Fuêre & in Libya Amazones: unde Silius Ital. lib. 2. Haſbiten quandam Amazonica pelta inſignem facit.

Ambrácia, (ἀμβρακία) urbs in Epiro, Pyrrhi regia, ita dicta ab Ambrace rege, Theſproti filio: à qua proximus ſinus Ambracius dictus eſt. Hinc Ambraciẽſis, & Ambraciotes, ſiue Ambraciota, (ἀμβρακιώτης). Ex hac urbe ori-

ginem traxit Theombrotus, Ambraciota dictus, qui quum Platonis librum de æternitate animarum perlegiſſet, præcipitem ſe dedit in mare. Ouid. 13. Metam.

Prætereunt uecti certatam lite deorum
Ambraciam.

Ambróſia, (ἀμβροσία) *cibus eſt deorum (ut Poëtis placet) quemadmodum Nectar eorundem potio. Martialis:*

Iuppiter ambroſia ſatur eſt, & nectare uiuit.

Dicta Ambroſia ab ἀ priuatiuo, & βροτὸς mortalis: ſiue quòd peculiaris eſſe crederetur deorũ immortaliũ cibus, ſiue quòd ea ueſcentes immortales fieri putarētur. Dioſcorides Ambroſiā ſcribit Romanis uocari Caprũ ſyluaticũ, alijs Botryn, alijs Apiũ ruſticũ. Plinius herbam eſſe ſcribit odore non iniucũdo, uagi nominis, & circa uarias herbas fluctuātē. Hinc deducitur adiectiuũ, Ambroſius, a, um, ꝑ immortali, diuino, odorifero, fragrāti. Ver. 1. Aen.

Ambroſiæq; comæ diuinũ uertice odorem Spirauêre.

Améria, (ἀμέριον Stephano) *ciuitas in Vmbria, ante Perſicum bellum annis noningentis ſeptuaginta quatuor cõdita: unde ſalix Amerina apud Plin. lib. 24. cap. 9. Et, Amerina retinacula pro uiminibus. Verg. 1. Georg.*

Atq; Amerina parant lentæ retinacula uiti.

Vbi Seruius Amerina retinacula, uirgas quibus uites religantur: quæ uirgæ abundant circa Ameriam oppidum Italiæ, cuius crebrā in Roſciana fecit Cicero mentionem.

Amiternum, (ἀμίτερνον) *Cāpaniæ urbs, Criſpi Salluſtij patria, eadem (ut creditur) cum ea, quæ hodie Aquila dicitur. Hinc Amiternus, a, um: ut, Cohors Amiterna. Vergil. 7. Aen.*

Vnà ingens Amiterna cohors, priſciq; Latini.

Amitháon, onis, (ἀμιθάων) *pater Melāpodis medici, et*

uatis,

uatis.Statius 3.Theb.

-Solers tibi cura futuri
Amphiaraë datur:iuxtaq; Amithaone cretus
Iam ſenior,ſed mente uirens,Phœboq; Melampus.

*Hinc Amithaonius,a,um,*Verg.3.Georg.

Quæſitæq; nocent artes:ceßêre magiſtri
Phillyrides Chiron,Amithaoniusq; Melampus.

Amminei,*populi fuerunt Campaniæ,eius agricultores, qui poſtea dictus eſt* Falernus. Vnde Amminea *uina olim dicta ſunt,teſte* Macrobio, *quæ poſtea appelata ſunt* Falerna,*à regione nimirum nomen ſortita, non (ut Seruius ſomniat)ab eo quòd ſine minio eſſent,hoc eſt,alba & ruboris expertia.*Verg.3.Georg.

Sunt etiam Ammineæ uites, firmißima uina.

Ammodites,*(ἀμμοδύτης)ſerpens eſt,non dißimilis uiperæ,arenæ colorem referens:unde & nomen uidetur accepiſſe.*Lucanus *lib.9.*

Concolor exuſtis,atq; indiſcretus arenis
Ammodites.

Ammon,onis, *(ἄμμων Straboni & Suidæ)*Iupiter *appellatus fuit,qui in deſertis* Lybiæ *ſub arietis forma colebatur.Cuius appellationis ratio hæc fuiſſe traditur.Quũ* Liber *pater per deſerta* Libyæ *exercitum duceret,uniuerſa iam* Aſia *deuicta, & ſiti admodum laboraret, imploraſſe à patre auxilium dicitur: eiusq; precibus exauditis,ſine mora ei arietem aiunt apparuiſſe: quẽ dum fugientem perſequitur, perueniſſe illo duce ad fontem amœnißimum:eaq; ratione uoti compotem factum,exiſtimaſſe arietem illum fuiſſe* Iouem, *eiq; templum miræ magnitudinis in arena conſtituiſſe, & deum uocaſſe* Ammonem: *ſiue quòd* Aegyptiorum *lingua ita uocetur* Iupiter: *ſiue*

quòd in medijs arenis (quas Græci uocant ἄμμους) templum hoc fuerit erectum. De hoc Lucanus lib. 9.

Quamuis Aethiopum populis, Arabumq́; beatis
Gentibus, ac Indis unus ſit Iuppiter Ammon.

Ammóthea, (ἀμμοθέα) *Nympha marina, Nerei & Doridis filia, ut placet* Heſiodo *in Theogonia: ita dicta ἀπὸ τοῦ ἄμμου καὶ θέειν, quaſi per arenam diſcurrens.*

Amphiaraus, (ἀμφιάραος) *Oeclei filius ex Hypermneſtra Theſtij filia, qui cùm ſe in bello Thebano periturum ſciret, ſi eò proficiſceretur, domi latitauit, ſola uxore cõſcia, quæ illi uitæ neceſſaria clàm ſuggerebat. Cùm itaq; diu fruſtra quæſitus eſſet, Adraſtus, qui non exiguũ ad uictoriam momentum allaturum exiſtimabat, ſi Amphiaraus uates futurorum peritiſsimus, unà ad bellum pertraheretur, Eriphylen uxorem illius, ſuamq́; ſororem aureo monili corrupit, ut uirum ſibi indicaret. Quam uxoris perfidiam ægrè ferens Amphiaraus, cùm iam militiam detrectare non poſſet, Alcmæoni filio in mandatis dedit, ut poſt mortem ſuam proditionis pœnas à matre repeteret. Nec fefellit Amphiaraum ſuum uaticinium. Primo ſiquidem die, quo ad Thebas pugnatum eſt, unà cum curru & equis terræ hiatu eſt abſorptus. Qua re audita, Alcmæon matrem interemit, aureũq; monile ei detraxit, quod poſtea AlpheſibϾ uxori donauit. Vide hæc latius apud* Papinium *in Thebaide.*

Amphictyon, (ἀμφικτύων) *Deucalionis filius fuit, qui poſt Cranaũ Atticæ imperauit. Ab hoc primũ ſomniorũ & portentorum interpretationem inuentã uolunt. Fuit & Amphictyõ Heleni filius, qui primus ampliſsimũ illud Græciæ concilium dicitur inſtituiſſe, quod à nomine eius Amphictyonicum eſt appellatum: de qua re uide Dionyſium*

ſium Halicarnaſſeum lib.14.

Amphidamas, antis, (ἀμφιδάμας) Buſiridis filius fuit, quē Hercules, quòd paternæ crudelitatis in mactādis hoſpitibus ſe miniſtrū præberet, unà cū patre interemit.

Amphigenia, (ἀμφιγένεια) oppidum Peloponneſi, in tractu Meſſeniaco, cuius meminit Statius 4. Theb.

Huic parere dati, quos fertilis Amphigenia,
Planaq́; Meſſene, montanaq́; nutrit Ithome.

Meminit huius oppidi & Homerus in Catalogo nauium.

Amphilochus, (ἀμφίλοχος) filius fuit Amphiarai uatis, ex Eriphyle ſuſceptus. Cuius lib. 11. Odyſſ. meminit Homerus.

Amphimachus, (ἀμφίμαχος) Cteati filius, unus ex quatuor ducibus Epeorū, apud Homerū in Catal. nauiū.

Amphion, (ἀμφίων) filius fuit Iouis ex Antiope Nyctei filia, quæ cùm Lyco regi nupſiſſet, ab Epapho (ut apud Hyginum legitur) aut certè Epopeo (ut in Corinthiacis habet Pauſanias) per dolum eſt conſtuprata. Quare cognita Lycus uxorem repudiauit. quam Iupiter iam uiduā cōpreſſit: ex quo & grauida effecta eſt. Id ſentiēs Dirce, cum qua ſecundas nuptias Lycus contraxerat: ſuſpicata eſt uirum ſuum clàm cum Antiope conſueſcere: eamq́; ob cauſam famulis imperauit ut carceri eam includerent. Verùm inſtante iam tēpore partus, Iouis miſeratione ſoluta eſt, & in Cithæronē montem cōfugit: ibiq́; partus dolore correpta, cùm idoneum pariendi locum quæreret, in ipſo biuio gemellos edidit: quos paſtores ibidem inuentos pro ſuis educarunt, & alterum quidem Zetum appellarunt, ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον: alterum autem Amphionem, ὅτι ἐν διόδῳ, ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν μητὴρ αὐτὸν ἔτεκεν. Hi poſtea adulti, cognitis iniurijs, quibus matrē ſuam affecerat

Dirce, tauri indomiti caudæ eam alligarunt: taurоq́; per loca aſpera agitato, diris eam cruciatibus dilaniarunt: donec eius miſertus Bacchus *in fontē ſui nominis eam cõmutauit.* Fuit autē Amphion *muſicus tam inſignis, ut teſtudinē à* Mercurio *dicatur accepiſſe, eiusq́; ſono ſaxa ad urbis* Thebanæ *conſtructionem attraxiſſe.* Horat. *in* Arte:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda

Amphisbæna, *ſiue (ut alijs placet)* Amphiſibæna, (ἀμφίσβαινα, ἢ ἀμφισιβαίνα) *ſerpens eſt in* Libyæ *deſertis, duo habens capita: unde & circulatis tractibus creditur incedere.* Lucanus *lib. 9.*

Et grauis in geminum ſurgens caput amphiſibæna.

Amphiſſa, (ἄμφισσα) *urbs* Locrorum, *qui* Ozolæ *dicuntur, ita appellata, teste* Stephano, *quòd undiq; montibus cingatur.* Lucan. *lib. 3.*

Phocaïcas Amphiſſa manus, ſcopuloſáque Cyrrha.

Hinc Amphiſſæi, (ἀμφισσαῖοι) *qui* Delphicum *templum diripuerũt, ut eſt uidere apud* Demoſthenem *in oratione pro* Cteſiphonte.

Amphithoë, es, (ἀμφιθόη) *Nympha marina,* Nerei *&* Doridis *filia: ut poſt* Heſiodum *tradit* Hyginus *in* Fabulis *poëticis.*

Amphitrite, (ἀμφιτρίτη) *Nerei filia & uxor* Neptuni, *mater autem* Tritonis, *quanquàm à* Poëtis *non rarò pro ipſo accipitur* Oceano. Ouid. *1.* Metam.

- Nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Dicta Amphitrite, παρὰ τὸ ἀμφὶ τρίβειν τὴν γῆν, *hoc eſt, ab eo quòd terram circumquaque atterat.*

Amphitus, (ἄμφιτος) *alter ex aurigis* Caſtoris *&* Pollucis

lucis: à quo & Telchio Heniochi originem traxerunt, teſte Plinio lib. 5. cap. 6.

Amphitryo, (ἀμφιτρύων) *princeps Thebanus Alcei filius, & Alcmenæ Herculis matris coniux: cui illa hac conditione nupſit, ut mortem fratris ſui, à Telebois occiſi, ulciſceretur. In qua expeditione cùm Amphitryo uerſaretur, Iupiter imagine eius aſſumpta, toto trinoctio cum ea concubuit: quæ quamuis antea ex uiro grauida eſſet, inſuper tamen ex Ioue concepit: eodemq́; tempore Ioui Herculem, Amphitryoni Iphyclum peperit. Hinc deducitur Amphitryonides patronymicum, & per epentheſim Amphitryoniades, quo Poëtæ utuntur pro Hercule, Amphitryonis reuera filio: quamuis ob rerum geſtarum magnitudinem nonnulli originem eius ad Iouem retulerint. Vergi. 8. Aeneid.*

Intercà cùm iam ſtabulis ſaturata moueret
Amphitryoniades armenta.

Amphryſus, (ἄμβρυσος, καὶ ἄμφρυσος Stephano) *fluuius Theſſaliæ, iuxta quem armenta regis Admeti Apollo pauiſſe traditur. Luca. lib. 6.*

Irrigat Amphryſus famulantis paſcua Phœbi.

Hinc Amphryſius, a, um, ἀμφρύσιος. *Vnde Sibyllam Phœbi ſacerdotem, Amphryſiam uatem uocat Vergil. 6. Aen.*

Quæ contra breuiter fata eſt Amphryſia uates.

Item Amphryſiacus, ca, cum. Papinius:

Aut Amphryſiaco paſtor de gramine carpſi.

Eſt & nomen duarum urbium, quarum altera in Phocide, altera in Bœotia collocatur à Strabone lib. 9.

Ampycus, (ἄμπυκος) *Titanoros filius, qui ex Chloride, ut ait Apollonij Commentator, Mopſum augurem ſuſcepit: qui à patris nomine Ampycides appellatur. Ouid. lib. 12.*

12. *Metamorphoſ.*

Nec tu crediderìs tantùm cecinìſſe futura,
Ampyciden Mopſum &c.

Amſanctus, *locus eſt in medio Italiæ apud Hirpinos, ſulphureas habens aquas, quæ quòd undiq; ſyluis anguſtijsq; clauſæ ſint, tam peſtilentem emittunt odorem, ut propius accedentes eo enecentur. Hinc factus eſt locus fabulæ, in Amſancti uallibus, inferorum ſpiraculum eſſe.* Cic. 1. de Diuin. *Quid enim nõ uidemus, quàm ſint uaria terrarũ genera? ex quib⁹ et mortifera quædã pars eſt, ut et Amſancti in Hirpinis, & in Aſia Plutonia, quæ uidimus.* Ver. 7 Aen.

Eſt locus Italiæ in medio ſub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris
Amſancti ualles, &c.

Amúlius, (ἀμέλιος) *Procæ filius fuit, & frater Numitoris, cui, quamuis natu minor, regnum ui abſtulit, Lauſumq; unicum eius filium de medio ſuſtulit. Rheæ quoque Syluiæ, per ſpeciem honoris Veſtalem eam legens, perpetua uirginitate ſpem partus ademit: quæ tamen non ita multò pòſt à Marte (ut Romani credi uoluerunt) compreſſa, geminos peperit, Romulum ſcilicet & Remum: qui poſtea adulti, Amulium interfecerunt, auumq; Numitorem reſtituerunt in regnum. Vide hæc latius apud Liuium lib. 1. ab urb.*

Amycla, (ἀμύκλη) *una è filiabus Niobes, quam tradit Pauſanias cum Melibœa ſorore ſeruatam, implorata Latonæ uenia. Homerus tamen omnes interijſſe tradit.*

Amyclæ, (ἀμύκλαι) *urbs Laconiæ, Tyndari regia, in qua nati ſunt Caſtor & Pollux. Hinc Amyclæus, a, um, ἀμυκλαῖος.* Verg. 3. Georg.

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis

Cylla

Cyllarus.

Fuerunt et alteræ Amyclæ in Italia inter Tarracinam & Fundos in paludibus, à Laconibus conditæ, iuxta Seruiū: quarum ciues, quum Pythagoricam ſectam ſequerētur, & abſtinerent cæde animalium, nec uicinæ paludis ſerpentes interimerent, ab illis deleti ſunt. Alij non à ſerpentibus, ſed hoſtium repentino aduentu hanc urbem deletā prodiderunt. Nam cùm aliquoties falsò nuntiatus eſſet aduentus hoſtium, poſtea cautum eſt, ne quis amplius nuntiaret. Inde ex improuiſo captæ ſunt Amyclæ. Huc alludens Vergilius 10. Aen. Tacitas Amyclas appellat.

Amycus, (ἄμυκος) *Neptuni & Melies Nymphæ filius, Bebryciorum rex, qui eam conſuetudinem habuit, ut aduenas in Bebrycium nemus ad cæſtuum certamen prouocaret, & inſidijs circunuentos ibidem interficeret. Cùm itaque Argonautæ in Bebrycium ueniſſent, Pollux ab eodem ad certamen prouocatus, cognitis inſidijs, ſocios conuocauit, & ab ijs adiutus Amycū interfecit. Verg. 5. Aen.*

-Qui ſe
Bebrycia ueniens Amyci de gente ferebat.

Amycus item unus è Centauris fuit, Ixionis & Nubis filius. Ouid. 12. Metamorph.

Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud ueritus ſpoliare ſuis.

Alius fuit Aeneæ comes. Vergil. lib. 9.

-Inde ferarum
Vaſtatorem Amycum, &c.

Amydon, (ἀμυδὼν) *ciuitas Pœoniæ, quæ auxilia miſit Troianis. Iuuenalis Sat. 3.*

Hic alta Sycione, aſt hic Amydone relicta.

Amymóne, (ἀμυμώνη) *una ex quinquaginta filiabus Danai,*

nai regis, quæ dum ſe in ſyluis iaculando exerceret, Satyrum percußit imprudens, qui impetu in eam facto, uim ei uoluit inferre. Quapropter implorato Neptuni *auxilio, id ab eo paſſa eſt, quod à* Satyro *formidarat.* Itaque *prægnans facta,* Nauplium *peperit: ut in fabulis* Poëticis *autor eſt* Hyginus. *Eſt & Amymone fons iuxta* Lernam, *ab* Amymone Danai *filia nomen habens. Fertur enim* Neptunus *ab* Amymone *imploratus, tridentem in* Satyrum *emiſiſſe: illum uerò leui corporis declinatione ictum euitaſſe, tridẽtemq́; in petra hæſiſſe: quem cùm inde* Neptuni *iuſſu euulſiſſet* Amymone, *fons limpidißimus ſubſecutus eſt, quẽ* Neptunus *à nomine adamatæ puellæ* Amymonen *appellauit. Meminerunt huius fontis* Plin. *lib. 4. cap. 5. &* Strabo *libro octauo.*

Amyntas, (ἀμύντας) *pater fuit* Philippi Macedonis, & Alexandri Magni *auus. Eſt item paſtoris nomen apud* Theocritum, & Vergil. 3. Eclog.

At mihi ſeſe offert ultrò meus ignis Amyntas.

Amyntor, (ἀμύντωρ) *unus fuit ex filijs* Aegypti, *à* Damone *uxore,* Danai *filia prima nocte interemptus: ut in* Fabulis Poëticis *autor eſt* Hyginus.

Anácreon, (ἀνακρέων) Poëta Lyricus *fuit, ex* Teo Ioniæ *ciuitate, ut ſcriptis, ita & toto uitæ genere ſupra modum laſciuus. Amauit inter cæteros* Batyllum Samium, *inſigni forma puerum.* Horat. *in* Epod.

Non *aliter Samio dicunt arſiſſe* Batyllo
Anacreonta Teïum.

Perijt *ſtrangulatus acino uuæ paſſæ, ut tradit* Plin. *libro ſeptimo, capite ſeptimo.*

Anágnia, (ἀναγνία Ptolemæo) *ciuitas* Hernicorum *in* Latio, *ubi* Antonius *ſorore* Auguſti *contempta, &* Cleo-

patra

patra in uxorem ducta, monetam feriri iuſſit. Verg. lib. 7.

Quos diues Anagnia paſcit, &c.

Anáphe, (ἀνάφη) *inſula eſt una Sporadum, inter Theraſiam & Aſtypalæam, quam Plin. lib. 2. cap. 87. enumerat inter eas, quæ diu aquis tectæ, tandem emerſerunt. Nominis ratio à Stephano hæc traditur, quòd Argonautis intermeſtri luna tempeſtate iactatis, opportunè apparuerit.*

Anâphs, (ἄναπις) *Siciliæ fluuius leniter decurrens, decem ſtadijs procul à Syracuſis in mare defluens. Ouid. 5. Metamorphoſ.*

Præterit & Cyanen, & fontes lenis Anapis.

Anaúros, (ἄναυρος) *fluuius Theſſaliæ, ex Pelio monte fluens: ita dictus, quòd nulli obnoxius ſit auræ. Luc. lib. 6.*

Quiq; nec humenteis nebulas, nec rore madentem
Aëra, nec tenues uentos aſpirat Anauros.

De hoc fluuio, uel potius torrente, uide plura apud Apollonium Argonaut. lib. 6.

Anauſis, (ἄναυσις) *apud Flaccũ in Argonaut. procus eſt Medeæ, Alanorum & Heniochorum rex, poſtea à Styro riuali interfectus.*

Anaxárete, (ἀναξαρέτη) *puella fuit Cypria, ex Salamine oppido, forma inſignis, & regia ſtirpe ſuperba, quā cùm Iphis infimæ ſortis iuuenis perditiſſimè amaret, & ab ea ludibrio haberetur, doloris impatientia ſeſe ad fores eius ſuſpendit: cuius funus cùm Anaxarete ſiccis, immotisq; oculis intueretur, in ſaxum eſt conuerſa, ut fabulatur Ouid. libr. 14. Metamorph.*

Ancæus, (ἀγκαῖος) *Lycurgi filius fuit, patria Tegeates, unus ex Argonautis, ut in fab. Poët. refert Hyginus. Fuit et alter Ancæus Neptuni filius, patria Samius: qui & ipſe inter Argonautas ab eodē cōmemoratur Hygino. Hic ſtrenuiſſimus*

nuiſsimus agricola habitus fuit: ſed cùm operas nimio labore premeret, prædictum ei fuit à ſeruo, nullũ eum uineæ illius quam tũ plantabat, uinum bibiturum. Paucis pòſt annis, coacta eius uineæ uindemia, iuſsit ſibi ex lacu uinum hauriri, increpans eum, qui futurum prædixerat, ut nunquã eius uineæ uinum biberet. Iamq; calicem ori admoturo nuntiat quidam, aprum miræ magnitudinis uineam uaſtare. Abiecto itaq; poculo cùm aprũ uellet interficere, ab illo dente ictus interijt. Huc alludit Horatius, cùm ait:

-Inter calicem ſupremaq; labra
Multa cadunt. Vide Eraſ. Adag.

Anchémolus, (ἀγχέμολος) Rhœti regis Marrubiorũ filius fuit, qui cùm Caſperiæ nouercæ ſtuprum intuliſſet, à patre ad ſupplicium petitus, ad Turnum in militiam profugit: ubi à Pallante Euandri filio eſt interfectus. Hæc Seruius in illud Verg. 10. Aen.

Hinc Sthelenum petit, et Rhœti de gente uetuſta
Anchemolum, thalamos auſum inceſtare nouercæ.

Anchíale, (ἀγχιάλη) urbs Ciliciæ, Sardanapali opus, qui ſepulcro ſuo incidendum curauit, Tarſum ſe & Anchialẽ uno die cõdidiſſe: ut refert Strabo lib. 14. Ex hac urbe ortum traxit Athenodorus, qui eam non à Sardanapalo, ſed ab Anchiale conditam affirmat, Iapeti filia, & matre Cydni, à quo uicinus fluuius nomen accepit: ut in urbium Onomaſtico refert Stephanus.

Anchíalos, (ἀγχίαλος) urbs Thraciæ, teſte Pomponio Mela, in intimo Ponti ſinu, ubi mare alterum ſui flexum angulo finit, non procul ab Apollonia. Ouid. 1. Triſtium:

-Et ab his per Apollinis urbem
Vecta per Anchiali mœnia findat iter.

Anchíſes, (ἀγχίσης) Capyos filius, ante bellum Troianũ,

nemorum

nemorũ latebras, & ſolitudines coluiſſe fertur, gregibus & armentis intentus: quibus cùm uacaret, à Venere adamari cœpit, quæ ex illius concubitu grauida facta, ad ripas Simoëntis peperit Aeneam. Verg. 1. Aen.

Túne ille Aeneas, quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus Phrygij genuit Simoëntis ad undam?

Porrò cùm ſe Veneris concubitu potitum gloriaretur, à Ioue fulmine eſt afflatus. Propterea dicunt eum Troianorum conſilijs non interfuiſſe. Ardente Troia cùm nulla ſalutis ſpes appareret, ſenio confectum Aeneas humeris impoſuit, ſecumq; Drepanum uſq; Siciliæ urbem uexit, ubi fatis conceßit.

Ancíle, *ſcutum breue erat, autore Feſto, ita ex utroq; latere reciſum, ut nullus angulus uideri poſſet, & ſummum infimũq; eius latus medio pateret. Fertur id Numæ Pompilij tempeſtate de cœlo decidiſſe, unaq; editam uocem, omnium potẽtißimam fore ciuitatem, quandiu in ea manſiſſet. Itaq; facta ſunt eiuſdem generis plura, quibus id miſceretur, ne internoſci cœleſte poſſet. De hoc Oui. 3. Faſt.*

Ecce leui ſcutum uerſatum leniter aura
Decidit: à populo clamor ad aſtra uenit.

Et paulò poſt:

Idque ancile uocat, quod ab omni parte reciſum eſt:
Quemq; notes oculis, angulus omnis abeſt.

Ancon, onis, (ἀγκών) *urbs eſt totius Piceni celeberrima, portum habens inſigni opere à Traiano Cæſare extructum. Nomen habet à ſitu, qui cubiti flexuram refert. Græci enim & cubitum, & locũ cubiti modò ſinuoſum, ἀγκῶνα appellant. Plin. lib. 3. cap. 13. Ab ijſdem colonia Ancon, appoſita promontorio Cumero in ipſo flectentis ſe oræ cubito. Lucanus lib. 2.*

Illic Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Ancus, (ἄγκος) *cognomento Martius, quartus fuit Romanorum rex, Numæ Pompilij ex filia nepos, qui & Latinos bello domuit, & Ianiculum ponte Sublicio urbi coniunxit, Romanorumq́; limites ad mare uſque promouit, ubi & Oſtiam condidit. Reliqua uide apud Liuium lib. 1. ab Vrb. cond. Dictum autem uolunt Ancum, quòd alterũ cubitum (quem Græci uocant ἀγκῶνα) incuruum haberet, eumq́; exporrigere non poſſet. Vide Seruium in illud Vergilij 6. Aeneid.*

- Quem iuxtà ſequitur iactantior Ancus.

Andes, ium, *uicus non procul à Mantua, Vergilij patria. Hinc Andinus, adiectiuum: ut Andinus uates: cantus Andinus. Sil. lib. 8.*

Mantua Muſarum domus, atque ad ſydera cantu
Euecta Andino. id eſt, Vergiliano.

Andrógeos, (ἀνδρόγεως) *præclaræ indolis adoleſcens, Minois Cretenſium regis filius fuit, qui ab Athenienſibus & Megarenſibus per inuidiam occiſus eſt, quòd palæſtra cæteros ſuperaret. Quapropter ſuſcepto à Minoë aduerſus hos populos bello, primò Megarenſeis ſubegit, deinde Athenienſeis ſibi tributarios fecit, & in Androgei memoriam pueros Athenienſeis Minotauro cœpit obijcere. Verg. 6. Aeneid.*

In foribus letum Androgeo: tum pendere pœnas,
Cecropidæ iuſsi.

Andrómache, (ἀνδρομάχη) *Eetionis regis Thebarum, quæ in Cilicia ſunt, filia, & Hectoris Troiani uxor, & mater Aſtyanactis, quæ à uirili pugna nomen ſortita eſt. Fuit enim uirili animo ſepta, & quædam ueluti uirago. Hanc mortuo Hectore Pyrrhus in Græciam abduxit, &*

ex ea

ex ea Moloſſum filiũ ſuſcepit: poſteaq; Heleno uati Priami filio eam uxorem tradidit, regniq; portionem eidem aßignauit. Verg. 3. Aeneid.

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia ſeruas?

Andrómede, (ἀνδρομέδη) *Cephei, & Caßiopes filia, quæ ob matris ſuperbiam, quæ ſe Nereidas forma antecellere gloriabatur, à Nymphis ſcopulo fuit alligata, & ceto deuoranda expoſita, ſed Perſei uirtute liberata, qui illàc opportunè iter faciens, & cetum interemit, & Andromeden uxorem duxit. Poſtremò Mineruæ beneficio inter aſtra collocata dicitur. Oritur in parte piſciũ duodecima. Propertius lib. 2.*

Andromede monſtris fuerat deuota marinis,
Hæc eadem Perſei nobilis uxor erat.

Andros, (ἄνδρος) *inſula eſt Eubœæ adiacens, una Cycladum: de qua Plin. lib. 4. cap. 12.*

Angítia, *Aeetæ filia, & ſoror Medeæ, quæ prima Marſis remedia contra uenena fertur oſtendiſſe. Silius lib. 8.*

Aeetæ prolem Angitiam mala gramina primam
Monſtrauiſſe ferunt, tactuq; domare uenena.

Putatur hæc ſedem habuiſſe apud Marſos, non procul à Fucino lacu. Verg. 7. Aeneid.

Te nemus Angitiæ, uitrea te Fucinus unda,
Te liquidi fleuêre lacus.

Anio, *ſiue* Anien, (ἀνίων) *nobilis Italiæ fluuius in montibus Trebianorum naſcens, Tiburtinum irrigans agrum, ubi è ſublimi in ſubiectam uallem magno impetu delabens efficit cataractam: deinde per plana fluens, tres nobiles lacus ſecum in Tiberim defert. Nomen autem accepiſſe putatur ab Anio Hetruſcorum rege, qui inſequens Cethegum, filiæ ſuæ raptorem, cùm eum aſſequi non poſ-*

ſet,in hunc fluuium inſilijt, & ut Anio *uocaretur, effecit.* Propertius *lib.4.*

*R*amoſis Anio *quà pomifer incubat aruis.*

Hinc Anienus,*a,um.*Idem,

Siue Aniena tuos tinxerit unda pedes.

Anius,(ἄνιος) Rex Deli *inſulæ,&* Apollinis Delij *ſacerdos,pater autem* Andri. Verg.*lib.3.*Aeneid.

Rex Anius,*rex idem hominum,*Phœbiq; *ſacerdos.*

Anna, *(ἄννα)* Beli *filia, ſoror* Didonis, *quæ poſtquàm mortuam ſororem uidit,&* Carthaginem *ab* Iarba Gætulorum *rege occupatam,relicta ſede patria,ad* Battum *regem,qui* Melitæ *inſulæ imperabat, curſum arripuit.* A *quo iure ueteris hoſpitij benignè ſuſcepta, duos & ultra annos ibi manſit. Sed quum* Pygmalionem *fratrem iam cum armis aduentare didiciſſet,*Battus *ueritus potentiã illius,* Annam *ut inde abiret hortatus eſt.* Mox *igitur mare ingreſſa,dum* Cameram *nauigare contenderet,ui tempeſtatis acta, in* Laurentem *oram peruenit, ubi iam* Aeneas *pacatis rebus,& ducta uxore* Lauinia, *imperabat.* Hic *tum fortè ſolo* Achate *comitatus,in litore nudis pedibus ambulabat.*Qui *quum errantem* Annam *aſpexiſſet, & uix ſibi perſuadere poſſet eam eſſe,tandem agnitam compellat.*Timuit *illa principiò,ſororis caſum ante oculos ponens:poſtea uerò ab illo benignè inuitata, in regiã cum eo profecta eſt.*Cui *mox* Lauinia *amorem coniugis ſuſpectum habens, tendere inſidias cœpit.*Sed Anna *in ſomnis à* Didone *monita,ut infauſtam domum relinqueret,ſtatim per feneſtram exilijt.* Quumq; *citato curſu ad* Numicium *amnem perueniſſet,in eum ſe præcipitem dedit.* Orta *deinde luce, magno clamore eam quæritantes per* Laurentem *agrum proficiſcũtur.* Apparent *ueſtigia*

pedum

pedum uſque ad Numicium amnem, ultrà nihil uidetur. Quod dum admirantes ſecum animis uolutant, ipſa loqui uiſa eſt:

-Placidi ſum Nympha Numici,
Amne perenne latens, Anna Perenna uocor.

Quapropter læti conuiuia celebrarunt, eam pro dea uenerantes: quē ritum poſtea longiſſimo tempore ſeruarūt.

Annibal, (ἀννίβας) *Amilcaris filius fuit, & Carthaginienſium dux, qui perpetuos octodecim annos Italiā ferro flammaq́; crudeliſſimè uaſtauit: T. Sempronium Conſulem ad Trebiam, Flaminium ad Traſimenum lacum, Paulum Aemylium, & Varronem apud Cannas ingenti Romanorum ſtrage ſuperauit. Deinde in Campaniam conuerſus, bonam eius partem in deditionem accepit: uarioq́; poſtea euentu non pauca cum Romanis prælia conſeruit: donec à ſuis, qui iam à Scipione obſidebantur, reuocatus, retro in Africam traiecit: ubi cum Scipione prælio congreſſus, magnaq́; ſuorū ſtrage ſuperatus, primùm ad Antiochum, deinde ad Pruſiam confugit: ubi & ſupremum uitæ diem clauſit, hauſto, quod in anuli gemma circunferebat, ueneno. Reliqua, quoniam ad noſtrum inſtitutum magnopere non pertinent, ex Plutarcho, Liuio, & Silio Italico petenda relinquimus.*

Antæus, (ἀνταῖος) *gigantis Libyci nomen, Neptuni ex Terra filij, magno ac procero corpore: quippe qui in quadraginta cubitos excreuerit. Hic cum Hercule congreſſus, quoties membra labore defecta eſſent, tactu terræ recreabatur. Qua re animaduerſa, Hercules, altè ſublatum terræ contactu prohibuit, pectoriq́; ſuo arctius aſtrictum enecuit. Horat. lib. 3. Carm.*

Strauit Antæum Libycis arenis.

Vide Lucanum ad finem lib. 4. ubi hanc fabulam latiſsimè deſcribit.

Antándros, (ἄντανδρος) *Phrygiæ urbs, ad Meridiem poſita, quam habitauere Leleges, finitimi Cilicibus. Sub hac Aeneas, exciſa iam patria Italiam petiturus, claſſem comparauit. Vergilius 3. Aen.*

-Claſſemq́; ſub ipſa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.

Antémnæ, (ἄντεμναι) *urbs Sabinorum, quaſi ante amnē dicta, quòd eam amnis præterfluat: de qua Verg. lib. 7.*

Tela nouant Atina potens, Tiburq́; ſuperbum,
Ardea, Cruſtumeriq́;, & turrigeræ Antemnæ.

Anténor, (ἀντήνωρ) *unus fuit ex Troianorum principibus, qui deleta à Græcis Troia, adiunctis ſibi Henetis & Paphlagonibus, in intimum maris Adriatici ſinū peruênit: ubi primùm exiguum condidit oppidulum, quod à nomine relictæ patriæ Troiam appellauit. Verùm cùm id affluente undiq; multitudine perangustum uideretur, paulò longius à mari urbem condidit ampliorem, quam de nomine ſuo Antenoream appellauit: quamuis poſtea mutato nomine Patauium primùm, mox Padua fuerit nuncupata. Verg. 1. Aen.*

Antenor potuit, medijs elapſus Achiuis,
Illyricos penetrare ſinus, atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontes ſuperare Timaui.
Hìc tamen ille urbem Pataui, ſedesq́; locauit
Teucrorum.

Hunc nōnulli ueteris hiſtoriæ autores grauiſsimi, patriæ ſuæ proditorem extitiſſe prodiderunt, & Vlyſſem diſsimulato habitu intra mœnia agnitum domi ſuæ occultauiſſe. id certè conſtat, quòd & Græcorum legatos benignè

nignè identidem hoſpitio exceperit, & reddendæ Helenæ à principio autor extiterit. Obijt Patauij, ubi etiã hodie ſepulcrum eius oſtenditur.

Anthédon, (ἀνθηδὼν) *urbs eſt Bœotiæ, habitata quondam à Thracibus: de qua Pomponius & Strabo lib. 9. Nomen habet (ut Steph. exiſtimat) ab Anthedone Neptuni pronepote: aut certè,* διὰ τὸ πασῶν ἀνθηρότάτην εἶναι, *hoc eſt, quòd omnium floridiſsima ſit. Sita eſt in extremo littore Bœotiæ, è regione Eubœæ inſulæ. Vnde Homerus* ἀνθηδόνα ἐσχατόωσαν, *hoc eſt, ultimam uel extremam Anthedonem appellat, Iliad. 6.*

Antheus, (ἀνθεὺς) *Antenoris filius fuit, quem Paris amauit, & imprudens interfecit. Quo nomine etiam dictus eſt unus ex Aeneæ ducibus: de quo Vergil. 5. Aen.*

Anthea, Sergeſtumq́; uocat.

Anthîa, (ἄνθεια) *urbs fuit propinqua Pylo, ſub ditione Agamemnonis, una earum, quas ille Achilli obtulit, ut ſecum in gratiam rediret: ut eſt autor Homerus 9. Iliad.*

Anticlêa, (ἀντίκλεια) *fuit mater Vlyſsis, quæ quum duceretur ad Laërtæ nuptias, à Siſypho latrone, Aeoli filio, capta eſt, & uitiata: ex quo & Vlyſſem creditur cõcepiſſe. Quod Aiax apud Ouid. 13. Metamor. uitio uertit Vlyſsi:*

- Quid ſanguine cretus
Siſyphio, furtisq́; & fraude ſimillimus illi,
Inſeris Aeacidis alienæ nomina gentis?

Antícyra, (ἀντίκυρα) *inſula ad ſinum adiacens Maleacum, & Octam montem, cuius meminit Strabo libro. 9. In hac, autore Plinio, elleborum tutiſsimè ſumebatur. Ouid. lib. 4. de Pont.*

I bibe, dixiſſem, purgantes pectora ſuccos,
Quicquid & in tota naſcitur Anticyra. Vnde

quoties inſanum hominem ſignificare uolumus, Anticyræ *egere dicimus.* Horat. *lib.* 2. Epiſt.

Si tribus Anticyris caput inſanabile, nunquàm
Tonſori Licino commiſerit.

Antigone, (ἀντιγόνη) *Oedipodis Thebanorum regis filia, quæ patri cæco à Creonte in exilium acto, ſe uiæ ducem præbuit: fratribusq; ſuis Polynici & Eteocli mutua cæde interemptis, contra Creontis edictũ, funebre officiũ præſtitit: ob quam pietatem poſtea unà cum Argia Polynicis coniuge iuſſu tyranni eſt interfecta.* Hæmon *quoque nobilis adoleſcens, qui mutuo eius amore tenebatur, ſua ſeſe manu ad tumulum eius iugulauit. Fuit etiam hoc nomine una filiarũ Laomedontis, quam cùm formæ ſuæ fiducia nimis arrogantem reddidiſſet, à Iunone in ciconiam mutata eſt.* Vide Ouid. *lib.* 6. Metam.

Antilochus, (ἀντίλοχος) *Neſtoris filius maior natu, quẽ in bello* Troiano Memnon *Auroræ filius interemit. Vnde patris precibus motus* Achilles *Memnona occîdit. Ouidius tamen uult ab* Hectore *fuiſſe occiſum Antilochum. Ita enim ait in* Epiſtol. Penelopes:

Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore *cæſum,*
Antilochus noſtri cauſa timoris erat.

Antimachus, (ἀντίμαχος) Colophonius, *poëta Græcus, qui quũ poëma quoddã obſcurum in auditorio recitaret, atq; omnes, præter* Platonem, *quòd minimè illud intelligerẽt, diſceßiſſent:* Plato *mihi (inquit) pro omnibus.* Huic *in carmine nimia prolixitas uitio data eſt.* Fertur *enim in* Thebaïde *ſua uigeſimumquartum uolumen impleuiſſe, antequàm duces* Thebas *uſq; perduceret.* Antimachos *quoq; alios duos* Suidas *ponit, alterũ* Aegyptiũ, *patria* Hieropolitanum, *qui* Coſmopœiam *heroico carmine*

mine conſcripſit: alterum poëtam Melicum, cognomento Pſecam. Fuit item præter hos etiam alius Antimachus Troianus, qui donis Alexandri auroq́; corruptus, impedimento fuit, quò minus Helena redderetur. Quin et pro concione Troianos hortatus eſt, ne Menelaũ, cùm legatus ad eos in urbem ueniſſet cum Vlyſſe, redire ad ſuos ſinerent: ſed in urbe aſſeruarent, trucidarentq́;, Homero autore lib. Iliad. 11.

Antíopa, (ἀντιόπη) Nyctei filia fuit, & uxor Lyci Thebanorum regis. Hanc cùm Iupiter in Satyrum mutatus compreſsiſſet, Lycus repudiauit, uxoremq́; Dircen ſuperinduxit, quæ Antiopam in carcerem coniecit. Verùm inſtante partus tempore, illa ruptis uinculis, in Cithærone̅ montem ſe recepit, ubi & Amphionem & Zethum peperit: qui à paſtoribus inuenti & educati, maternæ iniuriæ ultores extiterunt, Lyco cum Dirce uxore interfecta. Vide hæc latius ſuprà in dictione Amphion.

Antíphates, (ἀντιφάτης) Læſtrygonum anthropophagorum rex, unus ex poſteris Lami, Formiarum conditoris: in cuius littora cùm aliquando eiectus eſſet Vlyſſes, tresq́; à ſocijs emiſiſſet, qui regionem explorarent, Antiphates unum ex his appræhenſum ore dilaniauit: reliqui duo uix fuga ſalutem quæſiuerunt: quos Antiphates cum magna Læſtrygonum manu inſecutus, naues Vlyßis omni conatu oppugnauit, ſaxisq́; & trabibus in eas coniectis omnes demerſit, una tantùm excepta, qua Vlyſſes ipſe cum nobilioribus aliquot ſocijs uehebatur, qui ſuccisis repentè rudentibus, ſe ſuosq́; certiſsimæ neci eripuit. Ouid. 14. Metam.

Inde Lami ueterem Læſtrygonis, inquit, in urbem
Venimus: Antiphates terra regnabat in illa.

Vide hæc latius apud Homerū *li.10: Odiſ. Alius fuit An- tiphates, Sarpedonis nothus, qui Aeneam in Italiam ſecu- tus, à* Turno *Rutulorum rege eſt occiſus. Vergil.9. Aen.*

Et primum Antiphaten: Is enim ſe primus agebat.
Thebana de gente nothum Sarpedonis alti.

Antíphus, (ἄντιφος) *Priami filius ex* Hecuba, *quem A- gamemnon unà cum* Iſo *fratre, ſed illegitimo thoro nato, in bello* Troiano *interfecit.* Antiphus *alius fuit,* Theſ- *ſali filius, & nepos* Herculis, *qui cum fratre* Phidippo *dux triginta nauium cum alijs* Græcis *ad* Troiam *naui- gauit, ut eſt apud* Homerum *lib.* Iliad. 2.

Antium, (ἄντιον) *urbs fuit* Volſcorum, Romanorum *co- lonia: ita dicta, quòd ante alias urbeis in ipſo littore ſita fuerit, ad otium rerumq́; urbanarum permutationem ac- commodata.* Habebat *hæc urbs celeberrimum* Fortunæ *templum.* Horat. 1. *Carm.*

O diua, gratum quæ regis Antium.

Hinc Antiates *dicti ſunt urbis huius incolæ: qui olim claſ- ſe plurimum polluerunt: cuius rei indicio id eſſe poteſt, quòd deleto à* Romanis Antio, *roſtra nauiū in foro affixa, nomen fecerint loco, ex quo concio haberi ſolet ad popu- lum: de qua re uide* Liuium *lib.1. ab urb.*

Anûbis, (ἄνουβις) *Oſiridis filius fuit, teſte* Diodoro, *quē* Aegyptij *uita functum pro deo coluerūt, ſimulacrū eius canino effingentes capite, eò quòd uiuus canem in armo- rum inſignibus geſtaſſet.* Huc *alludit* Virgil. 8. Aen. *cùm* Anubim Latratorem *cognominat,*

Omnigenûm q; deûm monſtra, & latrator Anubis.

Anxur, (ταῤῥάκινα) *urbs eſt* Volſcorum *in* Italia, *bidui itinere ab urbe* Roma *diſtans, quam hodie* Tarracinam *di- cūt.* Eſt *autē hoc nomē tā maſcul. quàm neut. gen.* Marti.

Siue

Siue ſalutiferis candidus Anxur aquis

Horatius 1. *Serm. Sat.* 5.

Millia tum pranſi tria repſimus, atq; ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Dicitur autẽ Anxur(*ut Seruius docet*) *quia illic colebatur* Iupiter *imberbis, quẽ idcirco* Auxurũ, *quaſi* ἀνάξυρον, *uocabãt, quaſi* ἄνευ ξυροῦ, *hoc eſt, ſine nouacula.* Vergilius *Aeneid.* 7.

Circæumq; iugum, queis Iuppiter *Anxurus aruis*
Præſidet.

Anytus, (ἄνυτος) Rhetor Athenienſis *fuit, acerrimus* Socratis *inimicus: à quo & reus peractus eſt.* Hor. *libro* 1. *Serm. Sat.* 4.

- Qualia uincunt
Pythagoram, Anytiq; *reum, doctumq;* Platona.

De hoc uide Plutarchum *in uita* Socratis.

Aon, (ἄων) Appulus *quidam fuit* (*ut eſt autor* Lactantius) *qui factione ſuorũ patria pulſus, nauigio ad* Eubœam *uenit, & inde ſe in* Bœotiã *cõtulit, ubi populis mõtes habitãtibus imperauit, eosq;* Aones, *ex ſuo nomine appellauit: à quibus* Neptuni *filius eſt habitus, cùm* Onchesti *ditiſſimi cuiuſdã* Appuli *filius fuerit. Filiũ reliquit* Dymantem, *ex* Parichia *coniuge, qui ei fato functo in regnum ſucceſſit.*

Aónia, (ἀονία) *regio* Bœotiæ, *ab* Aone *rege* Neptuni *filio dicta, quem factione ex* Appulia *pulſum in* Bœotiam *tradunt ueniſſe, ac de ſuo nomine montanam regionem* Bœotiæ *uocitaſſe* Aoniam, *& incolas ipſos* Aonas. *Hinc* Aonius, (ἀόνιος) *adiectiuum.* Ouid. 1. Metam.

Separat Aonios Actæis Phocis *ab aruis.*

Itẽ Aonis, idis, (ἀονὶς) *patronymicũ fœmininũ: quo poëtæ frequentiſſimè utuntur pro ipſis* Muſis. Iuuenal. *Sat.* 7.

Aptusq;

-Aptusq́; bibendis
Fontibus Aonidum.

Aórnos,(*ἄορνος*)*olim dictus fuit lacus inter Puteolos & Baias, qui poſtea paucarum literarum mutatione dictus eſt Auernus. Aornos dictus, quòd auibus careat: ſiue quòd aues ſuperuolantes graui eius odore enecentur: ſiue quòd ſulphureæ exhalationes aërem uſq; adeò extenuent, ut aues ſuſtinere non poßit. Verg. 6. Aen.*

Spelunca alta fuit, uaſtoq́; immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumq́; tenebris:
Quam ſuper haud ullæ poterant impunè uolucres
Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad conuexa ferebat,
Vnde locum Graij dixerunt nomine Aornon.

Plinius prætereà in Procemio libro 4. eiuſdem nominis locum collocat in Epiro, qui & ipſe ab exhalatione auibus peſtifera nomen accepit.

Apélles,(*ἀπελλῆς*)*pictor fuit eximius, patria Cous, qui omneis prius genitos, futurosq́; poſtea, artificio ſuperauit. et picturæ plura ſolus propè contulit, quàm cæteri omnes. Floruit Alexandri Macedonis temporibus: qui tantũ illi tribuit, ut ab uno illo pingi uoluerit: De hoc Ouid.*

Si nunquàm Venerem Cois pinxiſſet Apelles,
Merſa ſub æquoreis illa lateret aquis.

De hoc uide multa apud Plin. lib. 35. cap. 10. Apelleus, a, um, adiect. Stat. lib. 5. Syl.

Vt uel Apelleo uultus ſignata colore.

Apennînus,(*ἀπεννῖνος*)*mõtium Italiæ longè maximus, non procul à Genua Ligurũ capite initium ſumens, Italiamq́; quanta quanta eſt, mediam dirimens, tandemq́; in duo ſe ſcindens brachia, quorum alterum in agrum Bru-*

tium ad fretum uſq; Siculum : alterum per Apuliam uſq; ad Superum mare porrigitur. Dictus Apenninus, quaſi Alpes Pœninæ, propterea quod Annibal Pœnus, Romanis bellũ illaturus, illâc iter fecerit, alterumq; oculũ eo in monte amiſerit. Quo fit, ut nonnulli Apœninũ malint appellare. Hinc Apenninicolæ dicuntur, qui Apenninum montem incolunt. Verg. 11. Aen.

Apenninicolæ bellator filius Auni.

Apesûs, ſuntis, *(ἀπεσοῦς) mons Nemeæ ſuperiacẽs, ubi Theſeus Ioui primũ operatus creditur. Dictus ab heroë, cui Apeſas nomen erat. Papinius:*

Mons erat audaci ſeductus in æthera dorſo,
Nomine Lernæi dicunt Apeſunta coloni,
Gentibus Argolicis olum ſacer.

Pli. tñ li. 4. ca. 5. Apesãta appellat, quo pacto et in caſtigatioribus nonnullis Statij exẽplaribus ſcriptũ offendimus.

Aphareùs, *(ἀφαρεὺς) patris Lyncei nomẽ eſt: à quo Ouidius Lynceum prolem Aphareiam uocat lib. 8. Metamo.*

Aphídnæ, arum, *(ἄφιδναι Stephano) locus celebris in Attica. Seneca in Hippol.*

Paruas nunc alius calcet Aphidnas.

Aphríca, *(λιβύη) tertia orbis pars, ab Aſia Nilo fluuio, ab Europa mari mediterraneo diſcreta: ita dicta, quaſi Aprica, quòd ſolis æſtibus maximè ſit expoſita. Alij à Græcis ſumptum putant nominis huius etymon, ut Africa dicta ſit, quaſi ἄνευ φρίκης, hoc eſt, ſine horrore aut frigore. Eſt enim hæc regio calidiſſima, ut quæ magna ſui parte inter Tropicos ſita ſit. uide plura ſuprà in dictione Africa. Gentile eſt Apher, ſiue Afer, (λιβύς) Vergil. 3. Geor.*

—Omnia ſecum
Armentarius Apher agit, tectumq;, laremq;.

Aphri

Aphricus,(λὶψ)*uentus eſt inter Auſtrum et Zephyrũ ſpi rans,ita dictus,quòd ab Africa flare uideatur.* Ver.1. Aen.
Vnà Eurusq; Notusq; *ruunt,creberq; procellis*
Aphricus.

Aphrodite,es,(ἀφροδίτη)*Veneris eſt cognomen,à Græco* ἀφρὸς *deductum,quod ſpumam ſignificat.* Ferunt enim *Saturnum Cœlo patri uirilia execuiſſe, & in mare abiecisse:eaq; fluctibus agitata, ſpumam emiſiſſe, ex qua Venerem natam uolunt.*

Apicius,(ἀπίκιος)*nobilis fuit* Romanus, *omniũ helluonum maximus gurges, cui parum fuit & principum congiaria,& Capitolij uectigal deuoraſſe, niſi inſuper gulæ ſuæ monimentum poſteris reliquiſſet, edito de gulæ irritamentis uolumine,quod etiam hodie omnium manibus teritur.* Hunc Seneca *in lib.de Conſolatione ad* Albinum *ſuo ſeculo uixiſſe teſtatur,& laqueo uitam finiuiſſe, cùm ſubductis rationibus ex ſeſtertio milies, quod in culinã cõgeſſerat,cẽties tãtũ ſupereſſe ſibi cognouiſſet,* Iuue,*Sa,*11.
-*Quid enim maiore cachinno*
Excipitur populi,quàm pauper Apicius?

Apidanus,(ἀπιδανος)*fluuius eſt Theſſaliæ,cui* Enipeus, *Melas, & Phœnix miſcentur, quos ipſe ſecum in Peneũ defert:ut habet* Lucanus *lib.*1.
-It *gurgite uaſto*
Apidanus,nunquamq; celer,niſi mixtus, Enipeus.

Apina,& Trica,*duo oppida Apuliæ fuerũt, quæ Diomedes euertit tanta ignominia,ut in prouerbij ludibrium tranſierint.*Pli. *lib.*3. *cap,*11.Diomedes *ibi deleuit gentes Monadorum,Dardorumq;, & urbes duas, quæ in prouerbij ludicrũ uertêre,* Apinam & Tricam. Hinc *quoties rem nullius pretij oſtendere uolumus* Apinas & Tricas,
nom

nominamus. Martialis *lib.* 13.

Sunt Apinæ, Tricæq́; *& ſi quid uilius iſtis.*

Apis, (ἄπις) Argiuorum *rex fuit,* Iouis *filius ex* Niobe Pho*ronei filia, alio nomine* Oſiris *apellatus, qui* Iſidem *uxorem duxit.* Hîc Achaîæ *regno* Aegialeo *fratri conceſſo, in* Aegyptum *traiecit: ubi cùm homines rudes ad mitiorē uitæ cultū traduxiſſet, colendarūq; uinearum rationē eos edocuiſſet, concordibus omnium uotis in regem eſt adſcitus.* Cumq́; *aliquandiu mira prudentia, pariq; clementia* Aegypti *regnū adminiſtraſſet, multaq́; in ſubditos beneficia cōtuliſſet, uita tādē functus, pro deo eſt habitus, eūq́;* Aegyptij *ſub uiui bouis imagine coluerūt.* Is *toto corpore erat niger, cādida frōte, in tergo alba nota inſignis, duplicibus pilis in cauda, et lingua cāntharo notatꝰ, eūq; certos uitæ annos excedere non licebat: quibus peractis, in ſacerdotū fonte eū demergebāt: deinde indicto iuſtitio, ueſte ſciſſa, et laceratis crinibus defunctū plangebāt: inuēto uerò alio mirificè lætabātur.* Reſponſa *autē nō ut reliqua oracula dare ſolebat: ſed ſi manu oblatū pabulū ſumpſiſſet à conſulentibus, ſecūdos euentus, atq; omnia proſpera decernebat: ſi uerò abnueret, omnia ſiniſtra portendebat.* Ideo *cùm à* Germanico Cæſare *pabulum oblatū renuiſſet, funeſtum omen, & indubiam necem, quæ paulò pòſt ſecuta eſt, prænuntiauit.* Ouid. 3. de Ponto:

Et comes in pompa corniger Apis *erat.*

Apollo, (ἀπόλλων) *qui &* Phœbus, Iouis *&* Latonæ *filius: in* Delo *inſula eodem cum* Diana *partu editus.* Adultus Pithonem *ſerpentem ſagittis occidit: deinde &* Cyclopes *qui fulmen fabricarant, quo filius eius* Aeſculapius *à* Ioue *ictus fuerat, & ad inferos præcipitatus. ob quod facinus aliquandiu diuinitate priuatus,*

Admeti

Admeti Theſſaliæ regis armenta apud Amphryſum eiuſdem regionis fluuium pauit. Amauit Cyrenen puellam. Item Daphnen, Penei fluminis filiam: quæ fugiens illius amorem, in laurum conuerſa eſt, arborem Deo huic ſacrā. Item Hyacinthum, liberali forma puerulum, quem mortuum in florem ſui nominis cōmutaſſe fertur. Branchum item Theſſalum, cui in ſuo templo ſacra fieri iuſſit. Vicit Marſyam tibicinem, à quo laceſſitus fuerat tibiæ cantu: uictumq; excoriauit. Ilij muros, adiuuāte Neptuno, Laomedonti regi ædificauit. Medicinæ uſum primus inuenit. Citharam à Mercurio accepit. Huic triplicē antiquitas aſſignauit poteſtatem, Solem in cœlo, Liberum patrem in terris, & Apollinē apud inferos appellans. Vnde etiam tria inſignia circa eius ſimulacrum uidemus: Lyram, quæ nobis cœleſtis harmoniæ imaginem monſtrat: Clypeum, qui terrenum numen oſtendit: Sagittas, quibus infernus Deus indicatur & noxius. Vnde & Apollo dictus eſt, ut quidem exiſtimant, ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν, quod perdere ſignificat, ſiue deſtruere, quòd non paucos nimio æſtu credatur extinguere. Vnde etiam ſpicula ei aſſignauit uetuſtas: quæ tamen non dextra geſtat, ſed ſiniſtra, quòd ad iuuandum promptior ſit, quàm ad nocendum. Vnde etiā nōnulli παρὰ τὸ ἀπαλλάττειν τὰς νόσους, hoc eſt, ab abigēdis morbis, Apollinē dictum exiſtimant. Hinc Apollineus a, um, (φοίβειος) ut, Ars Apollinea, quam modò medicinā accipimus. Ouid. 3. Triſt.

Nullus Apollinea qui leuet arte malum.

Modò diuinandi artem. Ouid. in Ibin de Tireſia uate:

-Apollinea clarus in arte ſenex.

Aponus, (ἄπονος) fons eſt in agro Patauino, calidis ſcatens aquis, ad inueteratorum morborum curationem utiliſſi

liſsimis.Lucanus lib.6.

-Aponus terris ubi fumifer exit,

Atq; Antenorei diſpergitur unda Timaui.

Dictus Aponus,quòd citra dolorem morbis medeatur.Extat apud Claudianum Epigramma de Aponi balneis, quo admirabilem aquæ illius naturam graphicè deſcribit.

Apſus,(ἄψος)*fluuius eſt in ea parte Macedoniæ, quæ Adriatico mari incumbit.Lucanus lib.5.*

Tellus quam uolucer Gemuſus,quam mollior Apſus

Circumeunt ripis.

Apúlia,(ἀπουλία *Straboni*)*regio eſt Italiæ, inter Calabriam & Picenum, ſecundùm maris Adriatici littus extenſa.* Horat.lib.3.Carm.

Nutricis extra limen Apuliæ.

Hinc Apulus,a, um,(ἄπουλος.) *Lucanus lib.5.*

Appulus Adriacas exit Garganus in undas.

Aquárius,rij,(ὑδροχόος)*undecimum ſignũ zodiaci eſt, proximum Capricorno, quod oritur 15.Calend. Februar. Fabulãtur Poëtæ, hunc fuiſſe Ganymedem,quem Iupiter, eius pulchritudine captus, ab aquila in cœlum raptum, miniſtrum ſuum feciſſe exiſtimatur.*

Aquila,(ἀετὸς)*quantum ad noſtrum attinet inſtitutum, ſidus eſt cœleſte, cuius ala dextera circulum æquinoctialem attingit,ſiniſtra autem non longè à capite Ophiuchi uidetur figurata. Roſtrum eius à reliquo corpore diuidit circulus à Cancro ad Capricornum perueniens.Exoriente Leone,occidit:exoritur autem cum Capricorno. Habet in capite ſtellam unam,in utraq; ala unam,& unã in cauda.Fabulantur Poëtæ,hanc eam eſſe aquilam, quæ Ganymedem rapuit,eiusq; officij gratia à Ioue inter aſtra fuiſſe collocatam. Vide Hyginum in Aſtronom.Poët.*

Aquiléia, (ἀκυληΐα) *urbs eſt Carnorum, ad Natiſonem fluuium, Romanorum colonia, XII. M. diſtans à mari, iuxta quam & Timauum amnem nonnulli collocarunt. Martialis:*

Et tu Ledæo felix Aquilẽia Timauo.

Aquitánia, (ἀκουϊτανία) *tertia Galliæ Comatæ pars, à Pyrenæis montibus ad Garumnam amnem extenſa, ut placet Plinio lib. 4.cap.17. quanquam non deſunt, qui eius terminos ad Ligerim uſque producãt, & ab obliquis fluuij eius aquis Aquitaniam dictam exiſtiment. Huius regionis incolæ dicuntur Aquitani, (ἀκουϊτανοί.)*

Ara, (βωμὸς) *quantum ad præſens attinet inſtitutum, ſignum eſt cœleſte, Antarcticum circulum propè contingens, inter Hoſtiæ caput, & extremam Scorpionis caudã collocatum. Occidit ſub exortum Arietis: exoritur autem cum Capricorno. Stellas habet omnino quatuor, quarum duæ in ſumma, reliquæ in ima eius parte ſitæ finguntur. Inter aſtra autem ideo putatur translata, quòd in ea fœdus arctiſſimum percuſſerint Dij, quo tempore inferentibus bellum Gigantibus, cœli poſſeſſionem armis tutari cogebantur. Vide Hyginum de Signis cœleſt. & in Aſtron. Poët.*

Arabarches, (ἀραβάρχης) *Publicanus erat apud Aegyptios, qui præerat exigẽdo uectigali de ijs pecoribus, quæ ex Arabia in Aegyptum adducebantur. Iuuenal. Sat. 3.*

-Inter quos auſus habere
Neſcio quis titulos Aegyptius, aut Arabarches.

Vide Alciatum lib. 1. Prætermiſſorum, ubi hunc Iuuenalis locum exponit.

Arábia, (ἀραβία) *regio Aſiæ ampliſſima, à Peluſiaco Nili oſtio, ad Babyloniam uſq; extenſa, eaq; parte qua Oceano alluitur,*

alluitur, peninſulæ ſpeciem præbens, ab Ortu ſinu Perſico, ab Occaſu Arabico, à Meridie Mari Rubro abluta. Dicta Arabia ab Arabo Apollinis ex Babylone filio, quem quidam medicinæ inuentorem faciunt, ut refert Plin. libr. 7. cap. 56. Diuiditur autem Arabia uniuerſa in tres præcipuas partes: quarũ quæ Aegypto Iudææq; proxima eſt, à Petra urbe uetuſtiſſima, Petræa appellatur. Poſt Petræã, ſequitur alia Arabiæ pars, ἔρημος, hoc eſt, Deſerta Ptolemæo uocata, Straboni autem Scenitis, ἀπὸ τῶν σκηνῶν, quòd gẽs uaga & ſine ædificijs in tentorijs habitet. Hæc à Meridie montib. Arabiæ Felicis cincta eſt, à Septentrione Meſopotamiam habet, ab Occidente Petræã. Arabia Felix Meridiem uerſus, inter duos ſinus Arabicũ, & Perſicum, ueluti peninſula excurrit, fluminibus ſcatens: &, ut Strabo ſcribit, bis quotannis, ut India, ſeritur ob fœcunditatem. Vide Pli. lib. 6. cap. 28. Ab Arabia fit gẽtile Arabs. Verg. 8. Aen.

-Omnis eo terrore Aegyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes uerterunt terga Sabæi.

Legitur & Arabus in eadem ſignificatione. Verg. 7. Aen.

Siue Getis inferre manu lacrymabile bellum,
Hyrcanisue, Arabisue parant.

Aráchne, (ἀράχνη) puella fuit Lydia, Idmonis Colophonij filia, lanificij uſq; adeò perita, ut ne cum Pallade quidem in certamen uenire dubitarit. Cumq; utraq; artis ſuæ ſpecimen edidiſſet, nihilq; inueniſſet Pallas, quod in tela eius poſſet repræhendere, ad uim confugit, caputq; Arachnes radio buxeo; quem manu tenebat, iterum atque iterum uerberauit. Quam iniuriam ægrè ferens Arachne, laqueo uitam finiuit, Mineruæq; miſeratione in Araneam eſt cõmutata. Latius exequitur hãc fabulam Oui. 6. Met.

Aracynthus, (ἀράκυνθος) mons eſt Acarnaniæ, teſte Plinio lib. 4. cap. 2. Eſt & alter in Attica mons eiuſdem nominis: de quo Vergil. 2. Eclog.

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Sunt tamen, qui putent ibi Vergilium perſonæ paſtoritiæ rationem habuiſſe: ideoq; in Attica mõtem collocaſſe, qui reuera eſt in Acarnania: cuius generis pleraq; etiam apud Theocritum animaduertimus. Stephanus præterea Aracynthum in Bœotia collocat: à quo Mineruam Aracynthiam dictam ſcribit.

Aræthyrea, (ἀραιθυρέα) regiuncula eſt Achaiæ propriè dictæ, poſtea Aſophis dicta, urbem habens eiuſdem nominis, quam Homerus in Catalogo ab amœnitate commendat, ἀραιθυρέην ἐρατεινὴν eum appellans. De hac Plinius lib. 4. cap. 5. & Strabo lib. 8.

Araris, ſiue Arar, (ἄραρ Straboni) fluuius Galliæ Lugdunenſis, à monte Vogeſo per fineis Heduorum & Sequanorum leni agmine fluens, & tandem iuxta Lugdunum ſe Rhodano immiſcens. Lucan. lib. 6.

-Rhodanumq; fluentem
Præcipitauit Arar.

Verg. 1. Eclog.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Arátus, (ἄρατος) Poëta Cilix, Menecratis diſcipulus, Aſtronomiæ peritiſsim⁹, cuius Phœnomena extãt Græcè, eadẽq; Latinè à Cicer. adhuc adoleſcẽte uerſa. Oui. 3. Amo.

Cum Sole & Luna ſemper Aratus erit.

Araxes, (ἀράξης) fluuius eſt Armeniæ, eodem in monte, ex quo Euphrates naſcitur, ortum habens, Armeniamq; ab Atropatia diuidens. De hoc ſic ſcribit Pompon. Mela lib. 3. Araxes Tauri latere demiſſus, quoad campos Armeniæ

ſecat

ſecat, labitur placidus, neque in utram partẽ eat, quan-quam intuearis, manifeſtum. Cùm in aſperiora deuenit, hinc atq; illinc rupibus preſſus, & quantò anguſtior, tantò magis pernix. Frangit ſe ſubinde ad oppoſita cautium: atq; ob id ingenti cum murmure, ſonansq; deuoluitur, adeò citus, ut quà ex præcipiti caſurus eſt, in ſubiectam nõ declinet ſtatim undam, ſed ultrà quàm canalem habet, euo-bat plus iugeris ſpatio, ſublimis, & aquis pendentibus ſe-metipſum ſine alueo ferens. Deinde ubi incuruo arcuatoq; amne deſcendit, fit tranquillus, iterum per campos taci-tus, & uix fluens, in littus elabitur. Hæc ille. Meminit hu-*ius fluuij &* Lucan. *lib. 7.*

Armeniumq; *bibet miles* Romanus Araxem.

Arcadia, (ἀρκαδία) Peloponneſi *regio intima, à mari un-diq; remota: ab* Arcade Iouis *&* Caliſtûs Lycaonis Arca-*diæ regis filia, ſic appellata.* Hæc, *ut* Euſtathius *docet, ali-quãdo dicta eſt* Pelaſgia, *à* Pelaſgo *rege, magno, & ſapiẽ-te uiro, qui uitæ cultioris autor eis fuit, & uictum ex ſtir-pibus herbarum, arborumq; frondibus tranſtulit ad glan-dem, maximeq; ad fagineam.* Aliquandò *etiam* Lycaonia, *aliquando* Gigantis, *& aliquando* Parrhaſia *dicta eſt, te-ſte* Stephano. *Arcas autem cùm* Pelaſgos *in deditionem re-degiſſet, eorum regionem* Arcadiã *nominauit.* Scribit Pli-*nius hãc uniuerſam, ueluti penſante æquorũ incurſus na-tura, in mõtes 76. attolli.* Habet *aſinos proceriſsimos, qui ob corporis magnitudinẽ in prouerbiũ abierunt.* Habet *& lapidẽ aſbeſton, hoc eſt, inextinguibilem.* Oppida *eius præcipua ſunt* Mantinea, Tegea, *&* Stymphalus. Mõtes Pholoë, Cyllene, Lycæus, Mænalus, *&* Nonacris. Fluuij Ladon, *&* Erymanthus. *Fuit autẽ tota hæc regio paſtio-ni potius pecoris, q̃ aut negotiationi, aut agriculturæ de-*

dita: ideoq; Pana paſtorum deum, uelut peculiare numen ſibi uendicarunt. Vergil. 4. Eclog.

Pan deus Arcadia mecum ſi iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe iudice uictum.

Arcas, (ἄρκας) Iouis, & Calliſtûs filius, quā ille in Dianæ imaginē cōuerſus cōpreſſit. Qua re ex uteri tumore cognita, Diana ſuo illā cœtu expulit. Nec ita multò pòſt Arcadē in ſyluis peperit. Quā ob cauſam indignata Iuno, pellicem in urſam commutauit: in quam cùm Arcas aliquando incidiſſet, eamq; iaculo interficere pararet, Iupiter culpæ ſuæ conſcius, utrumq; in cœlū tranſtulit, atq; ex illa quidē Vrſam maiorem, ex Arcade uerò Arctophylaca effecit. Latius narrat hanc fabulam Ouidius lib. 2. Metamor. & paulò aliter Hyginus, in tractatu de Signis cœleſt. Eſt & Arcas, gentile, ab Arcadia deductum. Ouid. 1. Faſtor.

Arcadis Euandri nomen tibi ſæpe refertur.

Arcéſilas, ſiue (ut apud Lactium legitur) Arceſilaus, (ἀρκεσίλας, ἢ ἀρκεσίλαος) Philoſophus fuit, ex Pitane Aeolica ciuitate ortus, qui relicto natali ſolo, Sardeis ſe primū, deinde et Athenas cōtulit: ubi initio Crantorē, deinde & Polemonē audiuit. Poſt hæc eximius et ipſe Philoſophus effectus, mediā primus Academiam inuexit. Fuiſſe autē traditur miro ingenij acumine, ſed nimia in diſputādo pertinacitate. Fuit enim aſſertor ἀκαταληψίας: unde & Ignorantiæ magiſter à Lactantio appellatur. Hic eſt ille, quem Cice. libr. 5. de Finib. ait euertiſſe omnem Philoſophiam, quemadmodum Gracchi euerterunt Rempubl. Induxit enim Philoſophiæ quoddam genus ἀσύστατον: hoc eſt, quod ſubſiſtere non poteſt: aſſerens nihil omnino ſciri poſſe: quod certè abſq; repugnantia intelligi non poteſt. Si enim ſciamus nihil ſciri poſſe, falſum eſt nihil ſciri

poſſe:

poſſe: cùm iam aliquid ſciamus. Perſius Sat. 3.

-Non ego curo

Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones.

Fuit etiã Arceſilaus unus è quinq; ducibus Bœotorũ, qui ad Troiam cum L. nauibus aduenerũt. Hom. lib. Iliad. 2.

Arcéſius, (ἀρκέσιος) Iouis fuit filius, pater Laërtis, ut teſtatur Vlyſſes apud Ouid. 13. Metamorph.

Nam mihi Laërtes pater eſt, Arceſius illi,

Iuppiter huic &c. ſcilicet Arceſio.

Archémorus, (ἀρχέμορος) Lycurgi Nemeæ regis filius, & alũnus Hypſipyles filiæ Thoantis: alio nomine Opheltes dictus: quem cùm nutrix ſitientibus qui ad Thebarum expeditionem proficiſcebantur, Argiuis, Langiã fontem oſtenſura, tantiſper in gramine depoſuiſſet, arrepens è proximis uirgultis ſerpens puerum interemit. Quam ob cauſam cùm Lycurgus Hypſipylen uellet interficere, ab Argiuis prohibitus eſt: qui in demortui pueri honorẽ, & orbi patris ſolatium, agonem annuũ inſtituerunt, eumq; à loco Nemeæa appellauerunt. Quinetiam fontem ipſum qui antea Langia dicebatur, à pueri nomine Archemoriũ nũcuparunt. Vide hæc latius apud Statiũ lib. 5. Thebaïd.

Archeptólemus, (ἀρχεπτόλεμος) filius Iphyti, auriga Hectoris, Enipeo interfecto à Diomede, ſuffectus: ut tradit Homerus Iliad. lib. 5.

Archígenes, (ἀρχιγένης) medicus fuit ex Apamia Syriæ ciuitate, Agathini diſcipulus, qui rem medicã Romæ exercuit Traiani temporibus. Hæc Suidas. In hunc Archigenẽ, tanquam in hominem imperitum, ſæpiſſimè inuehitur Galenus. Meminit eiuſdẽ & Iuuenalis Sat. 7.

Tunc corpore ſano Aduocat Archigenem.

Archílochus, (ἀρχίλοχος) Poëta fuit Lacedæmoni9, in-

uētor carminis Iambici,*quod ab eo* Archilochiū *uocatur: quo* Lycamben *quendam, quòd filiam ſibi pactam alteri locauiſſet,ad ſuſpendiū creditur adegiſſe.* Horat.*in* Arte:

Archilochum *proprio rabies armauit* Iambo.

Archimédes,(ἀρχιμήδης) *Aſtrologus,& geometra fuit eximius,qui uelut deus terrenus,mechanico artificio ſphæram uitreā fecit,in qua mira arte diſsimiles motus circulorum uiſebātur.* De qua *ſic ſcribit* Claudian.

-*Iura poli,regnumq;* Deorum,

Ecce Syracoſius *tranſtulit arte ſenex.*

Percurrit *proprium mentitus ſignifer annum,*

Et *ſimilata nouo* Cynthia *menſe redit.*

Perijt *in expugnatione* Syracuſarum,*cùm tamen* Marcellus *uictor maximè eum ſeruatū cuperet.* Verùm *cùm ipſe animo ac oculis in terra defixis formas geometricas deſcriberet, à milite ignaro quis eſſet,interfectus eſt.*

Archytas,(ἀρχύτας) Heſtiæi,*ſiue(ut alij malunt)* Mneſarchi *filius,*Philoſophus *fuit* Pythagoricus, *patria* Tarētinus,*eiusq; ciuitatis facilè princeps,qui* Platonē *aduerſus* Dionyſij *inſidias præſtitit incolumē.*Hic *in* Mathematicis *maiorē humano captu progreſſum feciſſe traditur, adeò ut & cubum primus inuenerit, & columbam ligneā tā affabrè effinxerit,librauerit,& inflauerit,ut uiuæ uolatum imitaretur.*Primus *etiam platagen, hoc eſt, crepitaculum puerorum traditur inueniſſe,quò pueros nunquā quieſcētes detineret,& à perículoſioribꝰ ludis auocaret.* Hinc *factus eſt locus prouerbio,ut deſipientes, & puerilia tractantes ad* Architæ *platagen dicamus recidiſſe.* Archytæ *huius meminit &* Horat.*lib.*1.*Carm.*Ode 28.

Arctóphylax, (ἀρκτοφύλαξ) *ſidus iuxta maiorem* Vrſam,*alio nomine* Bootes.Cic.*in* Phænom. Arati:

Arctophylax, uulgò qui dicitur eſſe Bootes.

Latinè Vrſæ *cuſtodẽ interpretari poſſumus.* Nã *ueluti cuſtos quidã* Vrſæ *adhibitus, à tergo eã ſubſequitur. Simili ètiã ratione* Bootes *appellatur, q̃ in modũ bubulci plauſtrũ ſequatur: ruſtici enim* Septẽtriones Plauſtra *uocant. Fabulãtur autẽ poëtæ, hũc eſſe* Caliſtûs *ex* Ioue *filiũ, cui nomen* Arcadi *fuit: ut latius ſuprà explicuimus ſuo loco.*

Arctos, (ἄρκτος) *apud* Græcos *urſum, uel urſam ſignificat. Quo fit, ut & pro duobus ſignis* Septentrionalibus *accipiatur, quæ & à* Latinis Vrſæ *appellantur. Sunt autem* Arcti *duæ* Septentrionali *polo, uelut axe quodam, nixæ,* Arctico *circulo clauſæ, & ita collocatæ, ut utraque reſupinata, alterius contegat caput: ſed caput eius, quæ ſuperior eſt, ad caudã inferioris cõtendat. Alterã maiorẽ* Vrſam, *ſiue* Elicen: *alteram minorem* Vrſam, *ſiue* Cynoſuram *appellant.* Hanc Phœnices, *illam* Græci *nautæ obſeruant.* Ouid. 4. Faſt.

Eſſe duas Arctos, *quarum* Cynoſura *petatur*
Sidonijs, Elicen *Graia carina notet.*

Elicen *ſcribit* Heſiodus Caliſto Lycaonis Arcadiæ *regis filiam fuiſſe.* Hanc *ſtudio uenationis inductam, relicto patre, ſeſe in ſyluas contuliſſe, factamq́; unam ex comitibus* Dianæ, *à qua cùm mirificè amaretur, quodam die ſolam in ſyluis inuentam, à* Ioue *compreſſam fuiſſe. Quod facinus quum aliquandiu celaſſet, tandem iuſſam cum cæteris uirginibus lauari, tumore uteri crimen detexiſſe. Quamobrem indignatã deam, in* Vrſæ *effigiem eam commutaſſe, quæ* Græcis ἄρκτος *appellatur: in ea ſpecie non multò pòſt filiũ peperiſſe, quem* Arcada *nominauit: à quo poſtea dicta eſt* Arcadia Peloponneſi *regio. Hinc deducitur adiectiuum* Arctous, a, um, ἀρκτῷος, *idem ſignificans*

quod ſeptentrionalis. Martial. lib. 10.

Felices, quibus urna dedit ſpectare coruſcum
Solibus arctois, ſyderibuſq́; ducem.

Arctous orbis, Luc. libr. 1. Arctoa ſedes. Et Arctous polus, Senec. in Herc. Oetæo.

Arctûrus, (ἀρκτοῦρος) *ſtella in ſigno Bootæ poſt caudam maioris Vrſæ, cuius ortus & occaſus tempeſtates facit: dictus Arcturus,* παρὰ τὴν τῆς ἄρκτου οὐρὰν, *hoc eſt, ab Vrſinæ caudæ ſimilitudine.* Verg. 1. Georg.

At ſi non fuerit tellus fœcunda, ſub ipſum
Arcturum, tenui ſat erit ſuſpendere ſulco.

Ardea, (ἀρδέα) *nomen urbis in Latio, Turni & Rutulorum regia, à* Danaë Perſei *matre, uel, ut alij malunt, à* Dauno Pilumni *filio condita: & à feruore regionis ſic dicta, quæ decem & octo milliaria ab urbe eſt poſita. Martialis:*

Ardea ſolſtitio, Pæſtanaq́; rura petantur,
Quiq́; Cleonæo ſidere feruet ager.

Seruius Ardeam dictam ait, quaſi arduam, id eſt, magnam & nobilem. Hyginus *uerò ab augurio auis Ardeam dictam uult.* Hanc *urbem poſt* Turni *mortem igne conſumptam, & in auem ſui nominis commutatam eſſe fabulatur* Ouidius 14. Metamorph.

Areopagus, (ἄρειος πάγος Stephano) *uicus erat Athenis à templo Martis ſic cognominatus, ubi primum iudicium capitis actum fuiſſe ſcribit* Plin. libr. 7. *Nam cum Mars* Halirrhothium, Neptuni *filium, qui uim* Alcippæ *filiæ ſuæ intulerat, occidiſſet, à* Neptuno *homicidij reus factus eſt, cauſaq́; à duodecim Dijs in* Areopago *cognita, ſex ſententijs eſt abſolutus: ut refert* Hellanicus 1. Hiſtor. Hinc *Areopagitæ* (ἀρειοπαγῖται) *dicti ſunt iudices ſe-*

uerißimi

uerißimi apud Athenienſes, qui in Martis templo cauſas capitales cognoſcebant, idq́; noctu, ut non tam eos, qui dicerent, quàm quæ dicerentur, obſeruarent.

Aréte, (ἀρήτη) *filia fuit Rhexenoris, quæ patruo ſuo Alcinoo nupſit, eiq́; tres filios peperit, & filiam unam nomine Nauſicaam: ut refert Homerus lib. 8. Odyß.*

Arethûſa, (ἀρέθουσα) *uirgo uenatrix, Dianæ comes, ab Alpheo amata, cuius uim cùm effugere non poſſet, Dianæ miſeratione in fontem ſui nominis dicitur commutata: qui ne amatoris aquis pollueretur, per ſubterraneos cuniculos in Siciliam aufugit, & iuxta Syracuſas uberrimo aquarum gurgite emergit. Vnde & Syracuſæ Arethuſides dicuntur ab Ouid. lib. 4. Faſt.*

Vtq́; Syracuſas Arethuſidas abſtulit armis
Claudius.

Didymus præterea octo enumerat eiuſdem nominis fontes: quos, quoniam à præſenti inſtituto prorſus ſunt alieni, ex ipſo petendos reliquimus.

Arétium (ἀρήτιον) *ciuitas Tuſciæ, non procul à Tiberis fontibus, optimo fictilium genere imprimis celebrata, quæ uaſa Aretina appellabantur. Marti. lib. 14.*

Aretina nimis ſpernas ne uaſa monemus:
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

Argæus, (ἀργαῖος) *Pelopis fuit filius, & Alectoris pater. Alius fuit Licymnij, qui ab Hercule abductus, ui morbi peregrè perijt, cuius crematos cineres Hercules retulit, ut iuſiurādū, quod dederat ſe illū reducturū, ſeruaret. Hūc dicūt primū fuiſſe, qui crematus ſit, & ab eo deinde morē ſeruatū. Eſt item Argæus (ἀργαῖον) Cappadociæ mōs, arduus, & perpetuis pruinis rigens, cui Mazaca ciuitas, Capadocū metropolis ſubiacet. Autor Strab. li. 12.*

Argan

Arganthónius, (ἀργανθόνιος) Tarteſſiorum rex in Hiſpania, quem Plinius ait uixiſſe c x x annos: Silius autẽ c c c. qui eius meminit lib. 3.

Arganthoniacos armat Carteia nepotes.
Rex proauus ſuit humani ditiſſimus æui,
Ter denos decies emenſus belliger annos.

Argía, (ἀργεία) Adraſti Argiuorum regis filia fuit, & uxor Polynicis, tanta in uirum pietate, ut cadauer eius inter maximos cæſorum aceruos nocturno tempore conquirere non dubitarit, & contra edictum Creontis funeris iuſta ei perſoluere, ab una adiuta Antigone, quæ & ipſa noctu deceptis cuſtodibus Thebis egreſſa erat, ut fratribus ſupremum pietatis præſtaret officium. Quam rem tam impotenter tulit Creon, ut utranq; ſine mora iuſſerit interfici. Vide hæc latius apud Statium in Thebaïde.

Argilêtum, locus erat Romæ iuxta Palatium, ita dictus (ut quidã uolũt) ab Argo Argiuorũ duce, qui ab Euãdro hoſpitio exceptus, cùm in affectati regni ſuſpicionẽ ueniſſet, ab Arcadibus, inſcio (ut uolũt) Euandro eſt occiſus: cui poſtea Euãder tumulũ erexit, quẽ de nomine eius Argiletum appellauit. Huc alludit Ver. 8. Aeneid.

Et letum docet hoſpitis Argi.

Alij Argiletũ dictũ putant, quaſi Argilletum, ab argilla, hoc eſt, creta, cuius eo in loco magna erat copia. Vtranq; opinionem refert Varro libro 4. de Lingua Latina.

Argiphontes, æ, (ἀργειφόντης) cognomen eſt Mercurij, tractum ab Argo centoculo, Iûs cuſtode, quem Iouis iuſſu interfecit. Mythologici interpretantur Argũ ſphæram eſſe ſtellatam, quòd illi inſit ſpecies quædam cœleſtium oculorum. Io autem terram eſſe uolunt, quam Aegyptij in hieroglyphicis literis bouis imagine exprimũt.

Hanc

Hanc Argus, hoc eſt, cœlum ſtellatum, nocturno tempore deſuper uidetur obſeruare. Mercurium autem Solem interpretantur, qui Argũ tunc dicitur occidere, cùm luminis ſui magnitudine ſtellas omnes obſcurat, earũq; cõſpectũ mortalibus eripit. Vide Macrobiũ Satur. lib. 1. ca. 19.

Argo, (*ἀργὼ*) *generis fœminini, prima nauis fuiſſe creditur, qua Iaſon, unà cum flore iuuentutis Græciæ in Colchida nauigauit, uellusq; aureum, à Medea adiutus in Græciam reportauit. Verg. 4. Eclog.*

Alter erit tum Tiphys, & altera, quæ uehat Argo
Delectos heroas.

Volunt autẽ hanc nauem Argo appellatam ab Argo architecto, de quo Flaccus:

Ad charum Tritonia deuolat Argum
Moliri hunc puppim iubet & demittere ferro
Robora.

Diodorus à uelocitate dictam putat: nam ἀργὸς inter cætera ſignificat uelocem. Alij ab Argiuis, qui in ea uecti fuerunt, malunt appellatam. Quod ſentire uidetur Cicer. libr. 1. Tuſc. quæſt. quum ait, Et eas anguſtias, per quas penetrauit ea, quæ eſt nominata Argo, quia Argiui in ea delecti uiri uecti, petebant pellem inauratam arietis. Eſt & Argo, ſignum cœleſte, quod & Nauis appellatur. Oritur pridie Idus Mart. Vide Hyginum de Signis cœleſtibus. Ab Argo deducitur adiectiuum Argous, a, um, (ἀργῷος.) Horat, in Epod.

Non huc Argoo contendit remige pinus.

Argonautæ, (*ἀργωναῦται*) *dicti ſunt heroës illi, qui cum Iaſone in Colchos profecti ſunt numero amplius quinquaginta: ex quibus præcipui fuere Caſtor & Pollux, Peleus, Tiphys, Mopſus, Zethes, Calais, Telamon, Orpheus, Hercules,*

cules, & Hylas puer. Sic cognominati à naui, quâ nauigauerunt. De his Orpheus lib. 1. & Apollon. in Catal. heroũ, & Flaccus in Argonaut.

Argos, (ἄργος, τὸ) clariſſima ciuitas Peloponneſi, non procul à Mycenis, quæ ad diſcrimen aliarum eiuſdem nominis urbium Argos hippium dicebatur, quòd agrum haberet paſcendis equis imprimis idoneum. Dicitur & Dipſion, ab aquæ penuria: quò fit, ut plures eodem utantur puteo: quod genus eſt apud illos arctiſſimæ ſocietatis. Aliquando & Phoronicum dictũ eſt, teſte Steph. à Phoroneo primo rege. Eſt autẽ hoc nomen in ſingulari numero neutri generis, ſed apud Latinos uix aliter quàm tribus caſibus declinatum. In plurali uerò maſculinum eſt, more nominum ſecundæ declinationis inflexum. Horat.

Aptum dicit equis Argos, diteſq; Mycenas.

Verg. 7. Aen.

Ecce autem Inachijs ſeſe referebat ab Argis
Clara Iouis coniux:

Idem libro decimo:

Herculis Anthorem comitem, qui miſſus ab Argis.

Hinc Argiui Græci dicti ſunt, & Argolicus ſinus, & Argolici duces, & Argolica regio. Eſt itẽ Argos oppidũ Theſſaliæ, quod & Pelaſgicon dicunt, à Pelaſgis. Luca.

-Vbi nobile quondam
Nunc ſuper Argos arat.

Aliud in Acarnania, Amphilochicum cognominatum, quod Alcmæon eiuſq; liberi condidere, ut inquit Strabo libro 7. Fuit & Argos Apuliæ oppidum, à Diomede cõditum, & primùm à nomine relictæ patriæ Argos hippium appellatum: quod deinde Argyrippam, & poſtremò Arpos uocitarunt. Theſſaliã quoq; aliquando Argos

gos Pelaſgicum appellatam fuiſſe, autor eſt Plin. libr. 4. cap. 7. Ipſam præterea Peloponneſum antiqui Argos, & Argos Achaïcum appellauere: ut ſcribit Strabo li. 8.

Argus, (ἄργος) Ariſtoris filius fuit, πανόπτης à Græcis cognominatus, quòd totus oculis ſcateret. Hunc Poëtæ fabulantur à Iunone conſtitutum fuiſſe cuſtodem Iûs Inachi filiæ, quam Iupiter in iuuencæ formam commutauerat. Hunc poſtea Mercurius Iouis iuſſu interfecit, oculis eius fiſtulæ ſono ſopitis. Iuno autem oculos eius aui ſuæ, hoc eſt, pauonis caudæ inſeruit. Ouidius lib. 1. Metamor.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:
Inq; ſuis uicibus capiebant bina quietem,
Cætera ſeruabant, atq; in ſtatione manebant.

Mythologici Argum interpretantur ſphæram eſſe ſtelliferam, innumeris oculis, hoc eſt, ſtellis refulgentem: Mercurium autem Solem eſſe uolunt, qui tunc Argum dicitur occidere, cùm diurno ſuo lumine ſtellarum lucem obſcurat. Vide Macrob. 1. Satur. cap. 19. unde & ἀργειφόντης cognominatus eſt, quòd Argũ peremerit. Myſticè autẽ Argus eſt cœlũ ſtellatũ, luce diſtinctum, quibus ineſſe quædã ſpecies cœleſtium uidetur oculorũ. Argus quoq; uocatus fuit architectus eius nauis, qua Iaſon, reliquiq; Argonautæ in Colchos nauigarũt. Val. Flac. lib. 1. Argo.

—Ad charum Tritonia deuolat Argum,
Moliri hunc puppem iubet, &c.

Argus item dictus fuit canis Vlyßis, qui ſolus dominum uigeſimo demum anno domum redeuntem agnouit: ut fabulatur Homerus Odyß. lib. 17.

Argyrippa, (ἀργύριππα Stephano) oppidum fuit Apuliæ, à Diomede conditum, & primum à nomine patriæ Argos hippium appellatum: quod deinde Argyrippam, & poſtr

& poſtremò Arpos uocitarunt. Vergilius 11. Aen. penultimā dictionis huius corripit, alterum p, ſuo iure abijciēs:

Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis
Victor Gargani condebat Iapygis aruis.

Ariadne, (ἀριάδνη) filia Minois Cretenſium regis ex Paſiphaë, quæ Theſei amore capta, filum ei tradidit, cuius ductu, occiſo iam Minotauro, è labyrintho euaſit. Cuius tamen beneficij parum memor Theſeus, Ariadnen in Naxo inſula ſolam deſtituit: ubi à Libero patre inuenta eſt, qui eam ſibi matrimonio iunxit, coronamq́; quam à Venere acceperat ſeptem ſtellis ornatam, eidem dono dedit: quæ poſtea aſtris illata, Corona Gnoßia dicta eſt.

Aricia, (ἀρικία) oppidum fuit Latij poſt Albanum montem, in uia Appia, ab Hippolyto Theſei filio conditum, ita dictum ab Aricia nobili Atticæ regionis fœmina, quam idem fertur adamaſſe. In agro Aricino præſtantißimi proueniebant porri: de quibus Martialis lib. 13.

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros.

Ibidem erat & nemus Aricinum, nocturnis Numæ cum Aegeria congreßibus notißimum; in quo & Diana Hippolytum abſcondit, Aeſculapij opera ad uitam reuocatum. Nec procul inde abeſt Aricinus lacus, quem Dianæ ſpeculum ueteres nominabant.

Aries, (ἀριὲς) primum eſt zodiaci ſignum, quod Sol ingrediens 4. Idus Martias æquinoctium uernū efficit. Fabulantur poëtæ hūc illum ipſum eſſe arietem, qui aureo uellere inſignis Phryxum per Helleſpontum traiecit. Alij eum eſſe malunt, qui Libero patri in Libyæ deſertis ſiti laboranti fontem oſtendit. Vide Hyginum de Signis Cœleſtibus.

Arimaſpi, (ἀριμασποὶ) populi ſunt Scythiæ Europææ, uerſus

uerſus Aquilonis exortum,ut tradit Plinius lib.7. Hi *u=nicum in media fronte oculum habent,& cum gryphibus auri cuſtodibus continuè præliantur.*Lucanus *lib.3.*

- *Auroq́; ligatas*
Subſtringens Arimaſpe comas.

Ariminum(ἀρίμινον) *antiquum* Flaminiæ *oppidum,ad* Rubiconem,*antiquum* Italiæ *limitem.Lucanus lib.1.*

Vicinumq́; minax inuadit Ariminum.

Arion,(ἀρίων) *citharœdus nobilis fuit,&* Poëta *Lyri=cus,ex* Methymna *Leſbi ciuitate ortus,qui primus* Dithy*rambos creditur inueniſſe.* Hic *cùm ex* Italia,*ubi ingen=tem pecuniæ uim arte ſua meruerat,* Corinthum *traijce=ret,uideretq́; à nautis qui opibus ſuis inhiabant, ſibi inſi=dias ſtrui, nonnihil ſpatij ab ijs ſibi concedi poſtulauit, quo,ueluti cygnus moriturus,ſuas ſibi exequias caneret.* Quod *cũ impetraſſet,ſtans celſa in puppi,carmen orthi=um dijs marinis cecinit:quo peracto,ſe in mare præcipi=tem dedit:ſtatimq́; à delphino exceptus, ad* Tænarum La*coniæ promontorium eſt peruectus:unde ſeſe ad* Perian=*drum,* Corinthiorum *tyrannum, contulit: qui emiſsis nauigijs cum militibus,nautas compræhendit:qui rem,uti geſta erat, confeſsi, grauiſsimo ſupplicio eius iuſſu ſunt affecti.*Refert *hiſtoriam hanc,ſiue potius fabulam* Hero=*dotus lib.1. &* Plutarchus *in Sympoſio ſeptem Sapien=tum.*Nec *obſcurè ad eam alludit* Vergil.Eclog.5.

-*Sit* Tityrus Orpheus,
Orpheus *in ſyluis,inter delphinas* Arion.

Eſt *item* Arion,*apud* Statium,*nomen equi* Adraſti,*quem* Neptunus *in equum conuerſus ex* Erinny *genuit, deditq́;* Capreo, Haliarti *filio,qui eundem* Herculi *donauit,* Her*cules autem* Adraſto, *qui illius beneficio ex infauſto illo*

prælio apud Thebas geſto, incolumis euaſit, cùm reliqui Argiuorũ duces penè omnes ibi fuerint occiſi. Prope. li. 2.

Qualis & Adraſti fuerit uocalis Arion
Triſtis ad Archemori funera uictor equus.

Arîsba, ſiue Arísbe, (ἀρίσβη) oppidum fuit Troadis, in littore Rhœteo, ab Achille euerſum. Vergil. 9. Aen.

Bina dabo argento perfecta, atq; aſpera ſignis
Pocula, deuicta genitor quæ cepit Ariſba.

Lucanus lib. 3.

-Et nimium glebis exilis Ariſbe.

Aríſtæus, (ἀρισαῖος) filius fuit Apollinis ex Cyrene, filia Penei fluuij Arcadiæ, qui deinde in Arcadia regnauit, & primus apum, olei, & mellis uſum, lactisq; coagulum demõſtrauit, & alia quàm plurima adinuenit: ut refert Iuſtinus lib. 14. Primus quoq; apum ex bubulis uiſceribus reparandarum rationem traditur inueniſſe. Nam cùm Eurydicæ Orphei uxori amore eius captus, uim inferre conaretur, illa per auia fugiens, morſu ſerpentis eſt occiſa: in cuius ultionẽ Nymphæ omnes apes perdiderũt. Quapropter matris auxiliũ implorauit, quæ illũ ad Protea cõſulendũ perduxit: à quo infortunij cauſam edoctus, Eurydicen ſacrificijs placare iuſſus eſt: quod cùm faceret, taurosq; quatuor & totidẽ iuuencas immolaret, ingens apũ multitudo è bobus erupit, atq; hoc pacto apes ſuas recuperauit, ut ſatis copioſè tradit Ver. ad finẽ li. 4. Geor. ibi,

Paſtor Ariſtæus fugiens Peneïa Tempe.

Ariſtarchus, (ἀρίσαρχος) nomen Grammatici, qui tãtum ſibi in Homeri poëmate permiſit, ut uerſus quos uellet, uelut ſuppoſititios partus, ab Homeri familia ſubmoueret. Vnde etiam hodie Ariſtarchos uocamus alienorum ſcriptorum cenſores. Ouidius de Ponto:

Corri

Corrigere at res eſt tanto magis ardua, quanto
Magnus Ariſtarcho maior Homerus erat.

Ariſtíppus, (ἀρίστιππος) *Philoſophus fuit Cyrenaicus, Socratis auditor, qui primus Socraticorum mercede philoſophatus eſt. Habuit ingenium ad omnia pro tēpore, loco, & perſona ſimulanda omnino promptum, & ob hoc Dyoniſio erat chariſſimus. Vnde Platonē dicere ſolitum, Solum eſſe Ariſtippum, quem & panni decerent, & chlamys. Quā Platonis ſententiā explicans Horatius, inquit:*

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res.

Opes, tanquam ſapienti inutiles, mira animi magnitudine contempſit: adeò ut cùm è patria in Græciam philoſophādi cauſa proficiſceretur, iuſſerit ſeruos aurum proijcere, ut expeditiores ad iter capeſſendum eſſent. Sūmum bonū poſuit in leui motu ad ſenſum emananti: id eſt, in uoluptate corporis ſenſus titillante. Verùm ut præſentibus uoluptatibus libēter fruebatur: ita abſentes magnopere nō requirebat. Eo tamē nomine malè audiuit, quòd ſeruilius & præter Philoſophi dignitatem Dionyſio adularetur: unde & Regium canem nonnulli appellarunt. Quòd & lib. 1. Epiſt. tangit Horatius:

Si pranderet olus, patienter regibus uti
Nolet Ariſtippus.

Qui ab eo fluxerunt, & in dogmate permanſerunt, ab hominis patria Cyrenaici ſunt appellati.

Ariſtóclides, (ἀριστοκλίδης) *Orchomeni tyrannus fuit, qui cùm Stymphalidem uirginē adamaret, nec eam ad mutuum ſui amorem poſſet inducere, primùm patrem eius, quem conatibus ſuis putabat obſtare, de medio ſuſtulit: deinde & uirginem ipſam, cùm ad aram confugiſſet, nec inde ſe pateretur auelli, multis uulneribus cōfodit. Quam*

crudelitatẽ tam ægrè tulit uniuerſa Arcadia , *ut publicè bellum ſuſciperet, uirginisq; necem tyranni morte ulciſceretur.*

Ariſtóphanes,(ἀριςοφάνης)Poëta *Comicus fuit,*Philippi *filius,ex* Lindo Rhodi *oppido ortus,lege uerò* Athenienſis,*inuentor tetrametri uerſus.*Hic *poëtarum omnium mordaciſsimus habitus eſt,& in carpendis hominum uitijs liberrimus.*Cum Socrate *inimicitias exercuit, quẽ in* Nubibus, *ut iuuentutis corruptorem acerrimè inſectatur.* Filios *habuit* Ararota,Philippum,Philetærum, Comicos *omnes.* Docuit *fabulas* L I I I I.*teſte* Suida. Horat.*lib.*1. Sermo.Sat.4.

Eupolis,atq; Cratinus,Ariſtophanesq; Poëtæ.

Aríſtor, (ἀρίςωρ)Crotopi *filius fuit,& pater* Argi *cẽtoculi,qui ab eo* Ariſtorides *uocatur.* Oui.1.*lib.* Metamor.

Donec Ariſtoridæ *ſeruandam tradidit* Argo.

Arîus,(ἄρειος)*fluuius eſt,* Aſiæ *regionẽ irrigans, quæ media eſt inter* Indos *&* Parthos, *quæ à fluuij huius nomine* Aria *ſiue* Ariana *eſt denominata, teſte* Plinio *lib.*6. *cap.* 23.Hinc *&* populi *ipſi* Arij *dicti ſunt.*Lucanus *lib.*3.

-Hinc *fortis* Arius,

Longaq; *Sarmatici ſoluens ieiunia belli*

Maſſagetes.*&c.*

Arménia, (ἀρμενία)*regio* Aſiæ *inter* Taurũ *&* Caucaſum *montes ſita,& à* Cappadocia *ad* Caſpium *uſq; mare protenſa:ab* Armeno *quodam* Rhodio (*ut ex* Antipatri *ſentẽtia tradit* Stephanus)*ita appellata.*Hæc(*ut* Pli. *li.*6. *autor eſt*)*duplex eſt,maior ſcilicet,et minor.* Maior *poſt* Mediam *ad occidentem occurrit.*Ea(*ut ait* Ptolemæus)*à ſeptentrione* Colchidem *habet,*Iberiam, *&* Albaniam: *ab occaſu magnum* Euphratis *curſum,qui* Cappadociam,*minorem*

norem Armeniam, & Syriam Comagenē relinquit à dextris: ab oriente partem Hyrcani maris ac Mediā, quà mōtes Caſpij aſſurgunt: à meridie Meſopotamiam atq; Aſsyriam. Minor Armenia à maiori Euphrate fluuio, à Cappadocia Lyco dirimitur. Montes in Armenia ſunt Moſchici, qui ſupra partē Ponti ad Cappadociā ſe efferunt: Pariedrus, in quo fontes habent Euphrates & Araxes fluuij: Antitaurus, qui ab Euphrate ſciſſus, & Mediā percurrens, poſtremò Abus appellatur: Gordiæus ex quo Tigris oritur. Taurus, ac Niphates, qui Meſopotamiam atque Aſsyriam ab Armenijs diſterminant: Caſpij, qui uergunt ad Medos: & Caucaſij, qui ſeptentrionalia, Iberiam uerſus, Albaniamq; concludunt. Flumina ſex, Cyrus, qui monte ortus Caucaſo, à ſiniſtris Iberiam Albaniamq; dimittens, Armeniam à dextris, in Hyrcanum defertur pelagus: Araxes, Phaſis, Lycus, Tigris, Euphratesq;. Hinc Armenius, a, um, adiect. Horat. in Epod.

Cantaber Agrippæ, Claudi uirtute Neronis
Armenius cecidit. Verg. 5. Eclog.
Armenius curru ſubiungere tigres.

Arpi, orum, (ἀργύριππα Sephano) oppidum Apuliæ, à Diomede cōditū, et primùm à nomine relictæ patriæ Argos hippium appellatū: quod deinde mutatis tēporis proceſſu aliquot literis, Argyrippam, & poſtremò Arpos uocitarunt. Vergil. 11. Aen.

Non erit auxilio nobis Aetolus, & Arpi.

Arpînum, (ἀρπῖνον) Volſcorum ciuitas inter Foram, & Aquinum, in monte porrecta, M. Tullij, & C. Marij patria: qui inde Arpinates dicuntur. Iuuenal. Satyr. 8. de Cicerone:

Hic nouus Arpinas ignobilis, & modò Romæ

Municipalis eques, galeatum ponit ubiq;
Præſidium attonitis. Et *paulò pòſt de Mario,*
Arpinas alius Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere mercedes alieno laſſus aratro.

Arria, (ἀῤῥία) *matrona fuit* Romana, (*quãquam non deſunt, qui* Patauinã *faciãt*) *generis nobilitate, & pudicitia inſignis, uxor* Pæti, *quæ damnato uiro, prior ſe gladio confodit, eundemq; deinde eximens uiro tradidit, ſuo eum exẽplo exhortãs, ut fortiter moreretur.* De *hac* Martialis:
Caſta ſuo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de uiſceribus traxerat ipſa ſuis.

Arſaces, (ἀρσάκης) *nomen proprium* Parthorum *regis, cuius memoriæ hunc honorem* Parthi *tribuerunt propter quæſitum, conſtitutumq; ab eo regnum, ut omneis deinde reges ſuos* Arſaces *appellauerint, quemadmodum* Aegyptij *reges ſuos uocauerunt* Ptolemæos. Quin & Parthi *ipſi ab eo dicti ſunt* Arſacidæ. Lucan. *lib.* 1.
Plus illa uobis acie, quàm creditis, actum eſt,
Arſacidæ.

Arſinoë, (ἀρσινόη) *fuit filia* Ptolemæi, Lagi *filij, qui* Aegyptum *poſt* Alexandrum *tenuit, & uxor* Lyſimachi *regis* Macedoniæ *forma præſtantiſſima: à cuius nomine* Ptolemæus Philadelphus *eius frater urbem in* Cyrenaica *regione conditam* Arſinoën *appellauit.* Fuit & *altera* Arſinoë, Ptolemæi Auletæ *filia, & ſoror* Cleopatræ, *quæ eo tẽpore, quo* Cæſar Alexãdriæ *in regia obſidebatur, ad* Achillã *ſeſe contulit, bellũq; unà adminiſtrare cœpit, ſperãs futurum, ut* Ptolemæo *fratre, &* Cleopatra *ſorore de medio ſublatis, regnum ad ſe perueniret.* Verùm *mox controuerſia de principatu inter ipſam &* Achillam *orta, cùm uterq; alteri inſidiaretur,* Arſinoë *per* Ganymedem *famulum*

lum Achillã interfici curat, ſolaq; exercitus imperio potitur. De hac Lucanus lib. 10.

Nec non ſubrepta paratis
A famulo Ganymede dolis, peruenit ad hoſtes
Cæſaris Arſinoë.

Artáxata, orum, (ἀρτάξατα) clariſſima Armeniæ urbs, ad Araxẽ amnẽ ſita, quã Annibal Artaxiæ regi cõdidit, à quo & nomen accepit, teſte Strabone lib. 11. Iuuenal. Satyr. 2.

Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

Artêmis, (ἄρτεμις) Dianæ ſiue Lunæ cognomentum, à luminis eius natura impoſitum, ſiue ab eo, quòd aërem ſecet, quaſi ἀερότομις: ſiue (ut Strabo lib. 14. tradit) ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν, hoc eſt, ab eo quòd integros reddat partus. Diana enim parientibus præeſſe putabatur.

Artemíſia, (ἀρτεμισία) Mauſoli Cariæ regis uxor, quæ inſigni pudicitia prædita fuiſſe perhibetur, & uirum ultra humanæ affectionis fidem amaſſe creditur. Nã & mortui cineres uino cõmiſtos ebibit: & memoriæ eius tã ſplẽdidũ erexit ſepulcrum, ut magnifica omnia monumenta, Mauſolea deinceps ab illius nomine fuerint appellata.

Artemíſium, (ἀρτεμίσιον) lucus eſt prope Ariciam, Dianæ ſacer, quaſi Dianæum dictũ. Latini Nemus, & agrum uicinum, Nemorenſem dixerunt, unde & Nemorẽſis rex, dictus eſt ſacerdos illius regionis.

Aruales fratres, dicti ſacerdotes, quos Romulus primus inſtituit, ſeq; inter illos duodecim fratres nominauit, quorum officium erat, Cereri, & Baccho pro frugum & uini ubertate ambaruales hoſtias mactare: quæ idcirco Ambaruales dicebãtur, quòd antè quàm mactarẽtur, ter circum arua ducebantur. Vergil. lib. 1. Georg.

Terq; nouas circum felix eat hoſtia fruges.

Ei ſacerdotio Acca Laurētia, Romuli nutrix, quæ poſtea populum Romanum hæredem inſtituit, tribuit inſulas albas, & ſpiceam coronam pro religioſiſsimo inſigni, quæ prima apud Romanos corona fuit. Et hic honos non niſi uita finiebatur, exulesq́;, & captos comitabatur.

Aruérni, (ἀόερνοι Stephano) populi Galliæ ad Ligerim ſiti, qui quòd ſe à Troianis oriūdos putarent, Romanorū ſe fratres appellare non dubitarunt. Lucanus lib. 2.

Aruerni noſtros auſi ſe dicere fratres.

Hi cùm aduerſus Cæſarem arma cepiſſent, duce Vercingentorige, ingenti ſuorum clade ſunt ſuperati.

Aruíſium, (ἀρουίσιον) promontorium eſt in Chio inſula, generoſiſsimo uini genere nobilitatum, quod ab ipſo Aruiſium dicitur. Vergil. 6. Elog.

Vina nouum fundam calathis Aruiſia nectar.

Hæc uina Budæus ea eſſe exiſtimat, quæ hodie literæ unius adiectione Maruiſia dicuntur: quæ tamen nō tam è Chio, quàm è Creta inſula aduehi conſtat.

Arūs, uates Thuſcꝰ fuit, diuinādi ſciētia inſignis. Luc. li. 1.

Acciri uates, quorum qui maximus æuo,
Aruns incoluit deſertæ mœnia Lunæ, &c.

Eſt itē nomē uiri, qui Camillā occidit, de quo Verg. lib. 11. Aen. Fuit etiā hoc nomine Tarquinij Superbi filius natu maximus, qui in ea pugna, quæ ad Regillum lacū facta eſt, Iuniū Brutū interemit, & ab illo uiciſsim (dū uterq; hoſtis potius feriendi, quàm corporis ſui tegendi rationē habet) haſta traiectus eſt. Vide hiſtoriā apud Liu. li. 2. ab ur.

Aſarôtum, (ἀσάρωτον) pauimentum picturæ arte elaboratum, à Græcis primùm inuentum: ſic dictum, quòd uerri non debeat. Nam deducitur ab ἀ priuatina particula, & σαίρω, uerro: unde & ſcopæ à Græcis σάροι dicuntur. Solebant

bant quippe purgamenta cœnarum, quæ ἀνάλεκτα uocã- tur, è pauimento euerri, dum ſubtegulanea pauimenta in uſu erant. Poſtea *aſarotis inuentis, ceſſauit uſus ſcoparũ, manibusq́; colligi purgamenta cœperunt, pauimenta ue- rò ſpongijs mundari.* Pap. *lib.* Syl*uarum,*

-Va*rias ubi picta per arteis*
Ga*udet humus, ſuberantq́; nouis aſarota figuris.*

De *hoc uide plura apud* Plini.*lib.*36.*cap.*25.

Asbolus, (ἄσβολος) *nomen unius ex canibus* A*ctæonis, à fuligineo pilorũ colore impoſitũ.* N*am* ἄσβολος G*ræ- cis fuligo eſt.* O*uid.*3. M*etam.*

Et *niueis* Leucon, & *uillis* A*ſbolus atris.*

Aſcálaphus, (ἀσκάλαφος) A*cherontis, &* Orph*nes* A- *uernalis nymphæ filius fuit, poſtea à* Pro*ſerpina in bubo- nem mutatus.* N*am poſt raptam à* Plutone Pro*ſerpinam, cùm* Ceres *filiæ ſuæ reditum à* Ioue *ea lege impetraſſet, ſi nihil apud inferos guſtaßet cibi,* A*ſcalaphus eam prodi- dit, quòd decerptum ab arbore malũ comediſſet.* I*ndigna- ta itaq;* Pro*ſerpina, ſibi* A*ſcalaphi indicio negatum eſſe reditum, conuertit eum in bubonem auem funeſtam, & triſtium ſemper rerum nuntiam.* O*uid.*5. M*etamorph.*

Aſcánius, (ἀσκάνιος) A*eneæ filius, teſte* V*ergilio, ex* C*reuſa, regis* P*riami filia: quãuis* L*iuius lib.*1. *ab urbe ad- dubitet,* C*reuſæ'ne, an* L*auiniæ filius fuerit, eiuſdẽq́; fu- gæ laborumq́; in quærendis ſedibus ſocius.* D*ictus eſt au- tem primùm* A*ſcanius ab* A*ſcanio* T*roadis fluuio, deinde* I*lus ab* I*lo* T*roianorum rege, poſtea* I*ulus à prima bar- bæ lanugine.* V*nde* V*erg.*1. A*eneid.*

A*t puer* A*ſcanius, cui nunc cognomen* Iulo
A*dditur:* I*lus erat, dum res ſtetit* I*lia regno, &c.*

H*uic, cùm auus & pater iam diruta* T*roia, de fuga diſce-*

ptarent, flammula quædã in capitis uertice apparuit, quæ tamẽ nihil læſionis intulit, neque etiam manibus extingui potuit: unde illi futuri imperij omen ſumpſerũt. Poſt hæc *cũ patre poſt multos errores in* Italiam *uenit, ubi* Turno *occiſo, et patre etiã mortuo, cùm apud* Lauiniũ 30. *annis regnaſſet,* Albã Lõgã *cõdidit, reſtituta tamẽ prius in regnũ nouerca, quæ antea ob timorem in ſyluas aufugerat. Tãdẽ cùm in uniuerſum trigintaocto annis imperij gubernacula tenuiſſet, iam moriens, cùm uideret filiũ* Iulũ *Syluiũ regno nõ ſatis aptũ, ſyluiũ* Poſthumũ *fratrẽ, ſed ex diuerſa matre, pietate & iuſtitia præſtantẽ, regni hæredem reliquit.* Eſt *præterea* Aſcanius, Myſiæ *ſuperioris, ſiue* Bithyniæ *lacus, fluuiũ emittens eiuſdem nominis, qui circa* Eribœam *in* Propontidem *illabitur.* Vergil. 3. Georg.

> *Trans Gargara, transq; ſonantem
> Aſcanium.*

Vide Strabonem *lib.* 12. & 14.

Aſcra, (ἄσκρα) *uicus* Bœotiæ *in aſpero & ſterili loco, in dextra parte* Heliconis, Heſiodi *patria.* De *quo* Gel. *lib.* 2.

> *Aſcram rus miſerum penes hic* Helicona *colebat,*
> Hyberno *dirũ, triſte æſtu, optabile nunquã.*

Inde Aſcræus, a, um, ἀσκραῖος. Vergilius 2. Georg.

> *Aſcræumq; cano* Romana *per oppida carmen.*

Aſia, (ἀσία) *una eſt ex tribus præcipuis terræ partibus, quam non immeritò nõnulli dimidiam orbis terrarũ partem faciunt, ut quæ reliquas duas magnitudine non adæquet modò, uerùm etiam ſuperet.* Ab *europa* Tanai *fluuio, ab* Africa Nilo *dirimitur: ab ortu, Septentrione &* Meridie Oceano *abluitur.* Dicta Aſia, *ab* Aſia Nympha, Oceani & Tethyos *filia,* Iapeti *coniuge, ex qua* Prometheum *ortum ferunt: ſiue (ut alij malunt) ab* Aſio Lydo,

Manei

Manei filio. Hanc diſcriminis cauſa Aſiam maiorem plerunque appellamus. Eſt enim & Aſia minor, ſuperioris pars, in Cherroneſi formā coacta, cuius iſthmus à ſinu Iſſico ad Pontū uſq; Euxinū pertingit. Huius partes ſūt Cilicia, Lycaonia, Paphlagonia, Pōtus, Cappadocia, Bithynia, Phrygia, Myſia, Lydia, Pāphylia, Aeolis, Ionia, Lycia, & Caria. De maiori Aſia accipiendū eſt illud Verg. 1. Aen.

-Lybiæ deſerta peragro
Europa, atq; Aſia pulſus.

De minori autem illud. 3. Aeneid.

Poſtquam res Aſiæ, Priamiq; euertere gentem
Immeritam uiſum ſuperis.

Eſt & Aſia, (ἀσία λίμνη) nomē paludis in Myſia, propè Cayſtrum fluuium, à quo uicinos campos Aſia prata uocauit Verg. 1. Georg.

Iam uarias pelagi uolucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.

In hac autem ſignificatione Aſia primam ſyllabam producit, quam alioqui corripit, ut facilè eſt uidere in teſtimonijs paulò antè adductis.

Aſilas, (ἀσίλας) auguris nomen, qui Aeneæ in auxilium uenit contra Turnum. Verg. lib. 10. Aen.

Tertius ille hominum, diuûmq; interpres Aſilas, &c.

Aſine, es, (ἀσίνη) oppidū Peloponneſi in ſinu Meſſenio. Lucanus lib. 8.

Quas Aſine cautes, & quas Chios aſperat undas.

Hinc Sinus Aſinæus, Straboni lib. 8. & Pomp. Mel. lib. 2. Aſine item inſula eſt una ex Sporadibus, quas Electridas nonnulli uocant, in mari Adriatico, cuius meminit Pomp. lib. 2. & eius interpres Vadianus.

Aſis, idis, (ἀσὶς, ἀσιάτις) poſſeſſiuum fœmininum, patronym

nymica forma ab Aſia deductum. Ouid. 9. Metamor.

-Celeriq; carina
Aegæas metiris aquas, et in Aſide terra
Mœnia constituis.

Aſius, (ἄσιος) *filius fuit* Dymantis, *&* *frater* Hecubæ, *ſed ex diuerſis patribus, &* Hectoris *auunculus, qui* Priamo *aduerſus* Græcos *auxilium tulit, ut* Homerus 2. Iliados *tradit.*

Asôpis, idis, (ἀσωπὶς) *regiuncula eſt* Peloponneſi, *in tractu* Achaïæ *propriè dictæ circa* Phliuntem *: ita dicta ab* Aſopo *fluuio, cui adiacet. Ab* Homero Aræthyrea *dicitur, teſte* Plin. *lib.* 4. *cap.* 5. *Strabo lib.* 8. *etiam* Aſopiam *appellat.*

Aſopiades, (ἀσωπιάδης) *patronymicum maſculinum, quod apud* Poëtas *accipitur pro* Aeaco, Aſopi *nepote, qui pater fuit* Aeginæ *matris* Aeaci. Ouid. 7. Metamor.

Huic Aſopiades, *petis irrita, dixit, &c.*

Asôpus, (ἄσωπος) *fluuius eſt* Bœotiæ, Thebas, Platæas, *&* Tanagrã *præterfluens.* Hũc Poëtæ Aeginæ *patrem faciunt, quam* Iupiter *in ignem conuerſus uitiauit, & ex ea* Aeacũ *ſuſcepit.* Quod *cùm reſciuiſſet* Aſopus, *tã ægrè id tulit, ut undas ſuas in aſtra euomens,* Ioui, *quoad potuit, bellum intulerit.* Hinc *fit* Aſopis (ἀσωπὶς) *patronymicum fœm. quo* Poëtæ *utuntur pro* Aegina Aſopi *filia.* Ouid. 6. Metamor.

Aureus ut Danaën Aſopida *luſerit ignis.*

Eſt *&* Aſopus *alius in* Peloponneſo, *in* Chronio *monte naſcens, & non procul à* Lechæo *in ſinum* Corinthiacũ *influens.* Item *alius in* Aſia *propriè dicta, iuxta* Laodiceam *in* Lycum *fluuium ſe exonerans.* Item *quartus in* Paro *inſula.* Quorum *omnium meminit* Strabo *lib.* 8.

Aſpis

Aſpis,(ἀσπὶς) *quantum ad noſtrum pertinet inſtitutum, promontorium eſt in littore Africæ, à forma clypei dictum, urbem habens eiuſdem nominis, quæ à* Latinis *Clupea dicitur.* Silius:

In *Clypei ſpeciem curuatis turribus Aſpis.*

Aſsáracus,(ἀσσάρακος) Trois *filius fuit, auus* Anchiſæ, *&* pater Capyos. Verg.3.Geor.

Aſſaraci proles, *demiſſæq́; ab* Ioue gentis.

Nomina. Idem lib.1.

Cùm domus Aſſaraci *Phthiam, claraſq́;* Mycenas

Imperio *premet.*

Aſſus,(ἄσσος) *urbs eſt* Troadis, *teſte* Strabone lib.13. *& natura, & arte munita, ab ea parte, qua mare ſpectat, arduum & erectum aſcenſum habens.* Vnde *factus eſt locus uulgatiſsimæ illi* Stratonici *ſententiæ,* Qui *celeri paſſu* Aſſum *it, magnum uitæ periculum adit. Circa hãc urbem ſarcophagus effodiebatur, à quo cadauera omnia in eo condita, intra quadrageſimum diem, ſolis dentibus exceptis, abſumebãtur.* Autor Plin.lib.36.cap.17.Ex *hac urbe ortum traxit* Cleantes Stoicus *philoſophus, qui* Zenoni *in ſchola ſucceßit, quam ipſe* Chryſippo *tradidit.*

Aſſyria, (ἀσσυρία) *regio eſt maioris* Aſiæ, *quam* Ptolemæus *ab* Ortu Mediæ *parte terminat, ab* Occaſu Meſopotamia *, à* Septentrione *parte minoris* Armeniæ *, iuxta* Niphaten *montẽ, à* Meridie Suſiana. Tibullus,

Eoiq́; Arabes, *diues &* Aſſyria.

Plin.lib.5.cap.12. Aßyriam *docet* Syriæ *partem eſſe, quæ poſtea uocata eſt* Adiabene. Strabo *autem longè latiores* Aßyriæ *fines aßignat, eo nomine compræhendens* Babyloniam, *& maximam circuniacentium regionum partem.* Eadem *&* Syria *à* Græcis *uocata eſt, teſte* Iuſtino *libr.1.*

& He

& Herodoto libr.7. quanquam multo latiores Syriæ fines fuerunt, quàm Aſſyriæ. Dicta eſt autem Aſſyria (ut refert Auguſtinus libr.15.de Ciuitat. ab Aſſur filio Sem. Hinc Aſſyrius, a, um, (ἀσσύριος.) Vergil. 4. Eclog.

-Aſſyrium uulgò naſcetur amomum.

Aſta, (ἄστα) ciuitas eſt Bœticæ, inter Sacrũ promontoriũ, & Herculeas columnas, de qua Plin.lib.3.cap. 1. Eſt & Aſta, Inſubriæ urbs, non longè à Nouaria diſtans, De hac Claudianus:

-Nec plus Pollentia rebus
Contulit Auſonijs, aut mœnia uindicis Aſtæ.

Meminit & Plinius libro 35.cap.12.

Aſtárte, (ἀστάρτη) Syriorum numen erat, quam alio nomine Atergatim, aut Derceto nominatam uolunt. Cic.3. de Natur. Deorum, uult fuiſſe Venerem, quæ Adonidi nupſit. Hanc ſacræ literæ Aſtarten Sidoniorum deam uocant: cui Salomon rex uni pallacarum ſuarum obſequi uolens, altaria condidit.

Aſtérie, (ἀστερίη) filia fuit Titanis, & ſoror Latonæ, cui Iupiter in aquilam uerſus uitium obtulit: ex quo concubitu Herculem quendam natum uolunt: uirum quidem fortiſſimum, ſed tamen à monſtrorum illo domitore diuerſum. Hæc poſtea cùm aduerſus Iouem cum Titanibus conſpiraſſet, in coturnicem eſt commutata. Verùm cùm ne ſic quidem à Iouis ira ſe ſatis tutam arbitraretur, ad mare confugit: ubi cùm locum nullum inueniret, ubi ſubſiſteret, tandem longo uolatu fatigata, in mare decidit, deorumq; miſeratione in inſulam eſt commutata, quæ ἀπὸ τῆς ὄρτυγος denominata eſt Ortygia. Eadẽ poſtea Delos eſt appellata, ἀπὸ τοῦ δηλοῦν, quod eſt oſtendere: propterea quòd Latinæ ſorori ſuæ ex Ioue grauidæ, tutumq; partus

tus locum quærenti, ſubitò ſe oſtenderit, cùm anteà ſub fluctibus occultaretur. De hac Ouid. 6. Metam.

Fecit & *Aſterien aquila luctante teneri.*

Aſtérion, (ἀστερίων) *Cometæ filius fuit, unus ex Argonautis.* Valer. lib. 1. Argon.

-*Celer Aſterion, quem matre carentem*
Clenæus gemino fouit pater amne Cometes.

Eſt item Aſterion, ciuitas Theſſaliæ, ſic dicta, quòd in edito ſita monte, uelut aſtrum quoddam procul aſpicientibus fulgêre uideatur, ut tradit Stephanus, qui eam ſua ætate Piræſiam uocatam aſſerit. Eſt & fluuius hoc nomine per agrum Argiuum, & Nemeæam ſyluam mira lenitate fluens, pomiferis arboribus utraq; ſua ripa pulcherrimè ueſtitus: ut eſt uidere apud Statium in Thebaide.

Aſteropæus, (ἀστεροπαῖος) *Pelegoni filius, & Axij fluminis nepos, Pæonum autem rex, qui cùm Priamo ſuppetias ferret aduerſus Græcos, undecimo die, quo ad Troiã uenit, ab Achille fuit interfectus: ut tradit* Hom. Ilia. li. 21.

Aſtræa, (ἀστραία) *Aſtræi & Auroræ, ſiue (ut alij malunt) Iouis & Themidos filia, Iuſtitiæ antiſtita, quã Poëtæ fabulantur aureo illo ſeculo è cœlo in terram migraſſe, & tandem mortalium ſceleribus offenſam cœlum repetiuiſſe.* Ouid. 1. Metamor.

Vltima cœleſtûm terras Aſtræa reliquit.

Aſtræus, (ἀστραῖος) *unus fuit ex Titanibus, qui contra Deos arma ſumpſerunt. Hic cum Aurora fertur concubuiſſe, & ex ea uentos generaſſe, qui ab eo Aſtræi fratres dicti ſunt.* Ouid. 14. Metamor.

Aëraq;, & tumidum ſubitis concurſibus æquor
Aſtræi turbant, & eunt in prælia fratres.

Aſtreûs, *per duas ſyllabas,* (ἀστρεὺς) *unus fuit ex ijs, qui*

in aula

in aula Cephei regis Perſeo uim inferre conati, ab eodem ſunt interfecti. Ouid. 5. Metamor.

Occidit & Celadon Mendeſius, occidit Aſtreus.

Aſtúria, (ἀστουρία) *regio Hiſpaniæ in tractu Tarraconenſi, Artabris, Callæcis, Cantabris, & Vardulis finitima: equis tolutarijs nobilitata, qui ab ea Aſturcones uocati ſunt. Huius regionis incolæ Aſtures dicuntur.* Luca. li. 4.

His præter Latias acies erat impiger Aſtur.

Eſt item Aſtur, Hetruſci cuiuſdam nomen, qui Aeneæ ſuppetias tulit aduerſus Turnum. Verg. 10. Aen.

Aſtur equo fidens, & uerſicoloribus armis.

Aſtyages, (ἀστυάγης) *Cyaxaris filius, Perſarum & Medorum rex, & pater Mandanæ, quæ Cambyſi mediocris dignitatis Perſæ nupta, Cyrum peperit: quem auus, inſomnijs quibuſdam exterritus, Harpago cuidam ex intimis familiaribus, necandũ tradidit. Qui cùm tam crudele miniſterium per ſe ipſum nollet exequi, Mitradati regio bubulco onus illud iniunxit. Erat Mitradati uxor nomine Spaco, quod Medorum lingua canem ſonat. Hæc tum fortè mortuum ediderat partum, quem pro Cyro magnificè curat ſepeliri: Cyrum autem ipſum tãquam filium ſuum, domi educit. Qui poſtea ab auo agnitus, & in Perſidem ad parentes remiſſus, ſimulatq; adoleuit, Harpagi inſtinctu auo bellum intulit, eumq; in prælio captum, quod uixit, penes ſe habuit.* Ex Herodoti lib. 1.

Aſtyanax, (ἀστυάναξ) *qui & Scamander,* (σκάμανδρος) *unicus fuit filius Hectoris ex Andromache, natus poſt inchoatum bellũ inter Troianos & Græcos. Hunc Vlyſſes, antequam naues è Sigeo ſoluerent, è turri mira inhumanitate dedit præcipitem, ne quid reliquiarum ſupereſſet, quod excidiũ Troiæ, & populi ruinã ulciſceretur.* Verg. lib. 2.

lib.2.Aen.

-Paruumq; manu Aſtyanacta trahebat.

Aſtyanaſſa, (ἀστυάνασσα) *Helenæ Menelai uxoris ancilla laſciuiſsima, dominamq; prorſus ſe dignã nacta, quæ prima de uarijs concubitus modis librum conſcripſit: cuius exemplum poſtea imitatæ Philænis, & Elephantine, idem argumentum tractarunt. Autor Suidas.*

Aſtydamía, (ἀστυδάμεια) *Ormeni filia, quam Hercules, patre prius occiſo rapuit. Ouidius à patris nomine Ormenidem nympham appellat.*

Nec referam partus Ormeni Nympha tuos.

Aſtylus, (ἄστυλος) *unus fuit ex Centauris, & quoniam augurio ualebat, futura præno ſcens, fratres monuerat, ne bellum aduerſus Lapithas aſſumerent: ſed exorto in nuptijs bello, ipſe ſibi timens, unà cum Neſſo Centauro fugam arripuit. De hoc ita Ouidius 12. Metamorph.*

Quiq; ſuis bellum fruſtra diſſuaſerat augur
Aſtylus, ille etiam metuenti uulnera Neſſo,
Ne fuge, ad Herculeos, inquit, ſeruaberis arcus:

Fuit præterea Aſtylus quidam Troianus, à Meneptolemo occiſus, teſte Homero in principio 6. Iliad.

Aſtymedúſa, (ἀστυμέδουσα) *Oedipi fuit uxor (hanc enim repudiata matre, quam prius matrimonio ſibi coniunxerat, ſed incognitam, uxorem duxit) quæ ut liberis prioris coniugis infenſum parentem faceret, (ut ferè omnium nouercarum mos eſt) apud patrem eos accuſauit, tanquam ſe de ſtupro appellaſſent: quapropter Oedipus iratus regnum cruentum reliquit.*

Aſtynome, (ἀστυνόμη) *Chryſæ Apollinis ſacerdotis filia (unde & Chryſeïs dicta eſt) quæ Chryſa oppido à Græcis expugnato, in prædæ diuiſione Agamemnoni ceßit. Quã*

tamẽ poſtea, peſtilentia ab Apolline *immiſſa adactus, patri reſtituit.* Autor Homerus 1. *Iliad.*

Aſtynous, (ἀςύνοϛ) *princeps quidã Troian⁹, quẽ Diomedes in bello Troiano interfecit, ut ſcribit* Hom. *li.* 5. *Ili.*

Aſtyóchia, (ἀςυόχεια) *Actoris filia fuit, quæ cùm ſola in ſummum paternæ domus cœnaculum aſcendiſſet, à Marte compreſſa Aſcalaphum peperit. Fuit & altera eiuſdem nominis, quam* Hercules *rapuit, & ex ea Tlepolemũ genuit; de qua* Homerus *in Catologo nauium.*

Aſtypalæa, (ἀςυπάλαια) *inſula eſt in mari Carpathio, aut certe* Icario, *è regione Cnidi, oppidũ habens eiuſdem nominis* Ouid. 2. *de Arte:*

Cinctaq; piſcoſis Aſtypalæa uadis.

Atábulus, (ἀτάβυλοϛ) *uẽtus eſt Apuliæ peculiaris, ſata plantasq; frigore exurens, adeo ut nullis poſtea ſolibus poßint recreari.* Horat. *Serm. lib.* 1. *Sat.* 5.

Incipit ex illo campos Apulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus.

Atalanta, (ἀταλάντη) Iaſij *Argiuorũ regis filia, uirago & forma, & uiribus corporis præſtans, quæ prima aprum Calidonium ſagitta uulnerauit, eiusq; caput, uelut i uirtutis minime uulgaris præmium, à Meleagro dono accepit. Qua de re uide plura in dictione Meleager. Fuit & altera Atalanta, Schœnei filia, quæ cùm mira corporis uelocitate præſtaret, & à nuptijs omnino abhorreret, ſyluis tãtùm & uenatu ſeſe oblectabat, procisq; ſuis curſus certamen propoſuit, in quo uictum mortis pœna, uictorem coniugij ſui præmium ſequeretur. Multis itaq; ſuperatis, tandem ab* Hippomene *Veneris conſilio uicta, nupſit uictori: cumq; in æde Magnæ matris, nulla numinis habita reuerentia, cum illo concubuiſſet, in*

leænam

leænam conuerſa eſt, & Hippomenes in leonem.Vide Hyginum Fabu. poëticarũ ca.99. & 185.Ouid.hanc à ſuperiori nõ uidetur diſtinguere.Vtrãq; enim Schœnei filiam facit. Fuit & Atalãta,*uxor Acaſti,regis Iolci,quæ Pelei amore capta,cùm ab eo repulſam tuliſſet, amore in odium cõmutato,Peleum apud uirũ detulit,quòd uim ſibi inferre conatus eſſet.Quamobrem Acaſtus uxoris delationi temerè fidem habens, Peleo bellum intulit:qui Tyndaridis(quorum in Colchica nauigatione ſocius fuerat) in auxilium uocatis,Acaſtum prælio ſuperauit,captaq́; Iolco, Atalantã ſupplicio affecit.Ex Suida. Eſt & Atalanta, fons in portu Cyphantarum:ita dictus, quòd ibi uenatrix fœmina ſiti & æſtu languida conſederit, & petra uenabulo percuſſa,laticem præbuerit, ſicut ſcribit Pauſanias in Peloponneſ.*

Atax, (ἄταξ) *fluuius eſt Galliæ Narbonenſis, ortum habens ex Pyrenæo mõte, qui infunditur in mare Tyrrhenũ. Lucan.lib.1.*

Mitis Atax gaudet Latias non ferre carinas.

Ate,(ἄτη) *Dea fingitur ab Homero, grauiſſimis mortales implicans calamitatibus, mẽtesq; ſeducẽs & perturbãs: cui repellẽdæ,& placãdæ Litæ filiæ Iouis ſunt oppoſitæ, quæ tanto ſunt tardiores, quanto noxa eſt grauior. Vide Eraſmum in Prouerbio, Ira omnium tardiſſimè ſeneſcit.*

Atergátis,(ἀτέργατις) *quam & Atargatam & Derceto Strabo lib.16.appellat,Deæ cuiuſdam nomen, quæ apud Aſcalonem Syriæ ciuitatem colebatur. Hanc Plinius prodigioſam Atergatim uocat,quòd ſimulacrum eius mõſtro ſimile effingeretur, ſuperiore parte mulierem, reliqua piſcem referens. Hanc ferunt fuiſſe matrem Semiramidis, quæ ob amiſſam pudicitiam tantum animo dolo-*

rem concepit, ut ſeſe in lacum præcipitem dederit: cumq́; cadauer eius ab urinatoribus inueniri non poſſet, creditum eſt eam in piſcem fuiſſe transformatam. Quo factum eſt, ut deinceps à piſcium eſu uicini populi religioſiſsimè abſtinerent. Vnde & Atergatim dictam uolũt, quaſi ἀτεργατίδος, quod Syris ſine piſcibus ſonat. Macrobius 1. Satur. duo fuiſſe Aſſyriorum numina tradit, Adad, & Atergatim, ex quibus omnia gigni arbitrabantur: per Adad nimirum Solem, per Atergatim terram intelligentes. Vide Cœl. Rhodig. lib. 23. cap. 5.

Athamas, (*ἀθάμας Suidæ*) *Aeoli fuit filius & Thebarum rex, qui Nephelen uxorem duxit, & ex ea Hellen & Phryxum genuit. Sed cùm Nephele furore Liberi patris concitata, in ſyluas abijſſet, Athamas liberis ſuis Ino Cadmi filiã ſuperinduxit nouercam: quæ priuignos identidem apud patrem accuſans, eò illos compulit, ut conſcenſo aureo ariete ex Neptuno (ut Hygino placet) & Theophane prognato, fuga ſibi conſulerent: ex quibus Helle puellari timore conſternata, in mare decidit, quod de eius nomine Helleſpontum poſteri appellarunt: Phryxus autem Colchos ad Aeeten regẽ delatus, arietem Marti immolauit, uelluſq́; aureum in luco eius conſecrauit. Interim Iuno, ut puerorum uicem ulciſceretur, Athamanti Furias immiſit, quæ in tantam eum adegerunt rabiem, ut cùm Ino ad ſe accedentem conſpiceret, hanc quidem leænam, filios autẽ ſuos eiuſdem catulos eſſe exiſtimarit, raptumq́; Learchũ, alterum ex filijs ſaxo illiſerit, idem in uxore exẽplum editurus, niſi illa arrepto Melicerta, altero filio, unà cum illo ſe in mare abieciſſet: ubi deorum miſeratione in deam marinam eſt transformata, quam Græci quidem Leucothean, Latini autem Matutam appellant: Melicertes autem in*

tem in

tem in Palæmonem, quem Latini Portunum uocant. Vide Ouid. lib. 4. Metam. & Hyginum Fab. Poëticarum capite 1.2.3.4. Eſt idem Athamas, fluuij nomẽ, qui decreſcente Luna ligna ſibi admota accendit, ut eſt autor Ouid. 15. Metamorph.

Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cùm Luna receſsit in orbes.

Eſt item Athamas, Theſſaliæ mons, apud Plin. lib. 4. capi. 8. cuius etiam accolæ Athamantes dicuntur. Lucan. lib. 3.

-Et uagus altis
Diſperſus ſyluis Athamas.

Athénæ, arũ, (ἀθῆναι) ciuitas Græciæ totius celeberrima, diſciplinarũ omniũ altrix, & ampliſsimarũ coloniarum fœcundiſsima genitrix, in ea Græciæ parte ſita, quæ quòd magna ſui parte littoralis eſt, olim Acte, & deinde Attica uocata fuit, quaſi Actica. Hãc Cecrops primus cõdidit: unde etiã olim Cecropia dicta fuit: poſtea à Mopſo Mopſopia, & ab Ione Xuthi filio Ionia, & poſtremò Athenæ, à Minerua, quam Græci ἀθηνᾶν appellant. Ferunt enim Neptunum cum Minerua de urbis huius nomine contendiſſe, tandemq́; inter eos ita conueniſſe, ut urbi nomen imponeret, qui utilius humano generi munus edidiſſet: cumq́; Neptunus equum, Pallas oleam produxiſſet, uictum ſuffragio uno Neptunum, Mineruæ conceſsiſſe, quæ urbem recens conditam de nomine ſuo Athenas appellauit. Vide Hyginum Fab. Poët. cap. 164.

Atheſis, (ἄθεσις) fluuius, qui in Tridentinis alpibus Tridentum alluit, & Veronam diuidit: deinde per latas Padi paludes gradiens, non longè à Brundulo portu in Adriaticum mare influit. Verg. 9. Aeneid.

Quales aëriæ Liquetia flumina circum

Siue Padi ripis, Atheſim ſeu propter amœnum,
Conſurgunt geminæ quercus, &c.

Athos, (ἄθως Steph.) mons inter Macedoniam & Thraciam, tantæ altitudinis, ut uſq; ad inſulam Lemnon umbram porrigere dicatur. Ita dictus à Gigante eiuſdem nominis. Situs eſt hic mons in Cherroneſo, quæ Chalcidicæ regioni anguſto iſthmo annectitur: quem Xerxes bellum Græciæ inferens, perforauit, montemq; ipſe à continente abſcidit. Huc alludit Iuue. Sat. 10. - Creditur olim
Velificatus Athos. Verg. 12. Aen.
Quantus Athos, aut quantus Eryx.

Atína, (ἀτίνη) ciuitas Italiæ iuxta Pontinas paludes: dicta à morbis, qui Græcè ἄται dicuntur, quos paludis uicinitas creat. Martial. libro decimo:
Quo ciue priſca gloriatur Atina.
Verg. 7. Aeneid.
Tela nouant Atina potens, Tiburq; ſuperbum.

Atlas, (ἄτλας) Mauritaniæ rex fuit, filius Iapeti, & Promethei frater, qui primus Solis & Lunæ curſum creditur obſeruaſſe. Vnde factus eſt locus fabulæ, Atlantem Gigantem fuiſſe tantæ proceritatis, ut cœlum ſubiectis humeris fulciret. Hic cùm oraculo monitus eſſet, ut à Iouis ſibi filio caueret, neminē hoſpitio ſuſcipiebat. Quare cùm Perſeus, Iouis ex Danaë filius illàc iter faceret, & ab Atlante hoſpitio prohiberetur, ægrè id ferens, Meduſæ caput illi oſtendit: quo conſpecto Atlas in montem eſt conuerſus tam excelſum, ut cacumen eius conſpici non poſſit: unde ab indigenis Cœli columna appellatur. Verg. 6. Aeneid.
- Iacet extra ſidera tellus,
Extra anni Solisq; uias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Atlánti

Atlántides, (ἀτλαντίδες) ſtellæ ſunt numero ſeptem, inter os Tauri, & Arietis caudam ſitæ, quas Græci alio nomine Pleiadas appellant. Atlantides autem dictæ ſunt à patre Atlante, qui illas ex Pleione Oceani filia dicitur ſuſcepiſſe. In cœlum autem translatæ dicuntur Iouis beneficio, cùm Orionis uim alia ratione effugere non poßent. Oritur autem hoc ſidus circa æquinoctium uernum: unde & Vergilias Latini nominarunt. Vergil. 1. Georg.

Antè tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoßiaq; ardentis decedat ſtella Coronæ,
Debita quàm ſulcis committas ſemina.

Eædem & Atlantiades dicuntur. Silius lib. 16.

Vixq; Atlantiadum rubeſcerat ora ſororum.

Atreùs, (ἀτρεὺς) filius fuit Pelopis, & Hippodamiæ, & frater Thyeſtis, quē cùm uxori ſuæ Aëropæ ſtuprum obtuliſſe cognouiſſet, tam ægrè id tulit, ut illum regno expelleret. Verùm cùm id pœnæ genus leuius ei uideretur, ſimulatè cum eo in gratiam redit, Pliſthenemq; filium ſuū, quem fratris eſſe rebatur, comedendū ei appoſuit. Quorū ſcelerum immanitatem exhorreſcens Sol, curſum ſuum retrorſum dicitur conuertiſſe. Thyeſtes uerò cùm oraculo edoctus eſſet, fore, ut ex Pelopeia filia ſua iniuriarum ſuarum ultor naſceretur, obuoluto capite eam compreßit: ex quo inceſtu natus eſt Aegiſthus, qui poſtea adultus, & Atreum, & filium eius Agamemnona interfecit. Vide hæc latius apud Hyginum Fabularum poët. cap. 86. 87. & 88.

Atrax, (ἄτραξ) fluuius eſt Aetoliæ, teſte Plinio lib. 4. cap. 2. à quo accolæ Atraces ſunt denominati. Eſt item Atrax Theſſaliæ oppidū, à quo Hippodamia Pirithoi uxor, Atracis à Poëtis cognominatur. Ouid. 2. de Arte,

Atracis ambiguos traxit in arma uiros.

Hinc & Atraciam artem legimus pro ipſa Magia, quæ apud Theſſalos plurimum uiguit. Stat. 1. Theb.

-Qualis per nubila Phœbes
Atracia rubet arte color.

Atrides, *(ἀτρείδης) patronymicũ maſ. ab* Atreo *deductũ, Pelopis filio, quo Poëtæ modò utũtur pro Agamẽnone Atrei filio, modò pro fratre eius Menelao: quorũ alterũ maiorẽ, alterũ minorẽ Atriden appellant. Ouid. 12. Metam.*

Non minor Atrides, non bello maior, & æuo.

Atropos, *(ἄτροπος) una ex Parcis, Noctis & Erebi filia: ita dicta, quòd immutabilis ſit, neq; ullis precibus poſſit inflecti. Vide Hyginum de Fab. Poët. & Phornutum de Nat. deor.*

Attalus, *(ἄτταλος) poſtremus Pergami rex fuit, qui cùm liberis careret, Pop. Rom. hæredem inſtituit. Hic omnes ætatis ſuæ reges pretioſarum ueſtium, ſplendidæq; ſupellectilis luxu ſuperauit: quo factum eſt, ut magnifica omnia ab eius nomine Attalica fuerint dicta, ut eſt autor Plin. lib. 8. cap. 48. Propertius:*

Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.

Atthis, idis, *(ἀτθὶς) Cranai Atheniẽſiũ regis filia, à qua tota ea regio Attica (ut quidã exiſtimant) dicta eſt, cùm prius Actica diceretur: ſiue ab Actæone rege, ut Fauorino et Lycophroni placet: ſiue ab ἀκτὴ, quod littus ſignificat, propterea quòd ea regio, ſicut ſcribit Strabo, magna ex parte littoralis ſit. Atthiden præterea Poëtæ luſciniam appellant, ad fabulam nimirum reſpiciẽtes, qua Philomela Pandionis Athenienſium regis filia in hanc auem dicitur eſſe transformata. Martialis:*

Sic ubi multiſona feruet ſacer Atthide lucus.

Attica, æ, *(ἀττικὴ) regio eſt Græciæ, ab agro Megarenſi*

uſq; ad Sunium promontorium extẽſa: ita dicta ab Atthide Cranaï filia, cũ antea Acte diceretur, & Actica, quòd maxima ex parte littoralis ſit, teſte Strabone lib. 9. Vrbes præcipuas habet Athenas, Eleuſinen, Marathonem, & alias nonnullas.

Atys, *(ἄτυς) apud Poëtas pueri formoſiſsimi nomen eſt, quẽ Cybele caſto amore adamauit, cumq́; ſacris ſuis præfecit ea lege, ut perpetuò caſtitatem ſeruaret. Sed cùm poſtea uoti ſui parum memor, Sangaritidem nympham compreſsiſſet, ab irata dea in furorem actus, teſtes ſibi execuit: cumq́; etiam manus ſibi afferre conaretur, miſeratione Cybeles in pinum arborem mutatus eſt. Vide Ouidium 10. lib. Metamorph. Atys alius fuit Crœſi Lydiæ regis filius, qui cùm antea ſemper mutus fuiſſet, in eo tandẽ prælio, quod Lydiæ ſeruitutem attulit, cùm Cyri militem uideret ſublato enſe patri ſuo cædem illaturum, nimia loquendi cupiditate linguæ uinculum abrupit, claraq́; uoce patris ſui interitum deprecatus eſt. Autor Herodotus lib. 1. Atys alius fuit ex Hercule & Omphale prognatus, qui filios habuit Lydum, à quo Lydia dicta eſt: & Tyrrhenum, à quo Tyrrheni appellati ſunt, de quibus Strabo libro 5. Atys alius fuit, natione Indus, ex Limniace Gangis filia progenitus, qui in Andromedes nuptijs occiſus eſt à Perſeo. Ouid. lib. 5. Metamorph.*

-Erat Indus Atys, quem flumine Gange
Edita Limniace uitreis peperiſſe ſub undis
Creditur.

Auella, *apud Silium Italicum libr. 10. (ἄϐελλα Ptolemæo) oppidum eſt Campaniæ, non procul à Nola, nucibus Ponticis abundans, quæ inde dictæ ſunt Auellanæ. Vergilius Abellam uocat lib. 7. Aen.*

Et quos maliferæ deſpectant mœnia Abellæ.

Auentinus, (ἀυεντῖνος) *unus ex ſeptem urbis Romæ montibus, cuius radicem Tiberis præterlabitur: ita dictus, ab auibus (ut ex ſententia Næuij refert Varro) quarum ob ſitus opportunitatem, amnisq́; uicinitatem maxima ibi copia erat. Vel ab Auentino Albanorum rege, qui in eo extinctus eſt, & ſepultus. Vel ab aduentu hominũ, qui ad Dianæ templum, quod eo in monte à communi Latio conditum fuit, commeabãt. Vel ab aduectu: quod Varroni magis probatur. Erat enim hic mõs à reliquis urbis Romæ montibus paludibus diſcretus. Vnde ratibus ad eum aduehebantur, quadrantem pro naulo perſoluentes. Fuit item Auentinus, cognomento Syluius, Albanorum rex, Romuli Syluij filius, & pater Procæ, à quo nonnulli Auentino monti (in quo ſepultus eſt) nomen factum exiſtimant. Fuit præterea Auentinus filius Herculis ex Rhea, qui Turno aduerſus Aeneam ſuppetias tulit. Vergil. 7. Aen.*

Victoresq́; oſtendit equos ſatus Hercule pulchro
Pulcher Auentinus.

Eſt & adiectiuum Auentinus, a, um: ut, arx Auentina, apud Ouidi. 6. Faſt. Et Auentinum iugum, apud eundem libr. 3.

Auernus, (ἄορνος) *lacus Campaniæ, prope Baias, quem Plutoni dicatum, & inferorum limen eſſe rudis uetuſtas credidit. Vnde & pro inferorum ſede à Poëtis uſurpatur. Dictus Auernus, quaſi ἄορνος, hoc eſt, auibus carens, ſiue quòd aues ſuperuolantes graui eius odore enecarentur, ſiue quòd ſulphureæ exhalationes aërem uſqueadeo extenuarent, ut aues ſuſtinere non poſſet. Eſt autem hoc nomen ex genere heteroclitorum, quippe quod in ſingulari*

lari numero maſcul. genere, in plurali neutro efferetur. Lucretius lib.6.

> Principiò quòd Auerna uocant, non nomen id ab re
> Impoſitum eſt, quia ſunt auibus contraria cunctis.

Strabo lib.6. Contiguus Baijs Lucrinus adeſt ſinus, intra quem auernus eſt. Auernus, a, um, adiectiuum. Ouidi. 10. Metam.

> Ne flectat retro ſua lumina, donec Auernas
> Exierit ualles.

Vergil.2. Georg.

> Tyrrhenusq; fretis immittitur æſtus Auernis.

Auernalis, le, adiect. ut, Aquæ auernales, apud Horat.5. Epod. Auernales Nymphæ, apud Ouid.5. Metam.

Auerruncus, (ἀποπομπαῖος) dei nomen erat apud Romanos, qui mala auerruncare, hoc eſt, depellere, atque auertere putabatur. Cuiuſmodi apud Græcos habebantur Hercules & Apollo, quos idcirco ἀλεξικάκους, ἀποπομπαίους, καὶ ἀποτροπαίους appellabant. Pacuuius apud Varr. lib.6. de Ling. Lat. Deus qui meis rebus præeſt Auerruncus.

Aúfidus, (ἄυφιδος Straboni) fluuius eſt in Hirpinorum montibus naſcens, & præter Canuſium in mare Adriaticum influens: quem ex clade Cannenſi Romanorum ſanguine aliquandiu rubuiſſe, tradit Liuius in tertio Bell. Punic. Horat. lib.3. Carm.

> Dicar, quà uiolens obſtrepit Aufidus.

Auga, æ, uel Auge, es, uel Augea, æ, (ἄυγη, ἢ ἀυγέια) mater fuit Telephi, quam Euripides dicit ab Alæo patre (cùm ab Hercule corrupta depræhenderetur) in urna quadam cum Telepho filio impoſitam, & in mari demerſam eſſe: ſed Palladis prouidentia urnam ad Caici oſtia delatam

delatam eſſe, & Augen à Teuthrante exceptam, eidem nupſiſſe: illumq́; Telephum pro filio educaſſe, & regni succeßorem inſtituiſſe. Hæc Strabo *lib.13.* Aliter Diodorus *lib.5.* Auge *(inquit) mater* Telephi *fuit ex* Hercule, *quæ à patre grauida depræhēſa, nauclero cuidam tradita eſt ſubmergenda. Sed antequā ad mare perueniret, urgente tempore partus,* Telephum *peperit, quem inter uirgulta abdidit, qui poſtea inuentus à paſtoribus,* Coritho *regi datus eſt, &* Telephi *nomine appellatus, quòd à paſtoribus inuentus eſſet pendens ab uberibus ceruæ.* Auge *uerò à mercatoribus, qui illam à nauclero dono acceperant, in* Cariam *ad* Teuthrantem *regem delata eſt, ubi poſtea à* Telepho *filio fuit agnita. Vide hæc latius infrà in dictione* Telephus.

Augéas, *(αὐγέας) rex* Elidis *fuit, filius* Solis & Naupidames, *filiæ* Amphidamantis, *quem* Hyginus *inter* Argonautas *connumerat.* Hic *bubile dicitur habuiſſe tria millia capiens boum, nunquam ante* Herculis *aduentum repurgatum: cui cùm* Augeas *id purgandum locauiſſet,* Hercules Alpheum *fluuium eò immiſit, eiusq́; aquis triginta annorum fimum, quem egerere longum fuiſſet, nullo propemodum negotio eluit. Quo nomine cùm pactam ſibi mercedem exigeret, tergiuerſante* Augea, Phyleum *filiū eius arbitrū delegit: qui cùm ſecūdū* Herculē *pronunciaſſet, pulſus à patre in* Dulichium *inſulam confugit. Quam rem ægrè ferens* Hercules, Elim *diripuit, &* Augeam *interemit, reuocatumq́;* Phyleum *patris loco regnare iußit.*

Aulis, lidis, *(αὐλὶs) regiuncula eſt ſaxoſa* Bœotiæ, *è regione* Chalcidis *oppidi* Eubœæ, *unà cùm oppido eiuſdem nominis, quod portum habet exiguum, quinquaginta*

non

non amplius nauium capacem. Huc *Græcorum claſſem conueniſſe ferunt,* Troianis *bellum illaturam : ibidemq; maris tempeſtate retentum* Agamemnonem, *filiam ſuam* Iphigeniam Dianæ *ſacrificaſſe.* Ver. 4. Aen.

Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui.

Straboni tamen lib. 9. placet, non in hunc portum tam anguſtum Græcorum *claſſem coactam fuiſſe, ſed in alterum maiorem & profundiorem, qui* Tanagræorum *uico proximior eſt.*

Aulocréne, (αὐλοκρήνη) *regiuncula minoris* Aſiæ, *in conuentu* Apameno, *per quam ab* Apamia *in* Phrygiam *itur.* Ibi *platanus oſtenditur, ex qua pependit* Marſyas *uictus ab* Apolline. *Plin. lib. 16. cap. 14. & lib. 5. cap. 29.*

Aulon, (αὐλὼν) *mons* Calabriæ *contra* Tarentinam *regionem, ferax boni uini, oppidumq; habens eiuſdem nominis.* Mart. libr 13.

Nobilis & lanis & Baccho fertilis Aulon.

Aurôra, (ἠὼς) Hyperionis & Aethræ *filia, uxor autem* Tithoni, *qui ex ea* Memnonem *genuit.* Eadem & *uentorum mater fingitur, quos ex* Aſtræo Tartari & Terræ *filio dicitur ſuſcepiſſe.* Quin & Cephalum *fertur rapuiſſe, quem tamen nulla ratione adducere potuit, ut fidem* Procridi *uxori datam adulterio uiolaret.* Vide *hanc fabulam latius apud* Ouidium *7.* Metamorphoſ. & *apud* Hyginum Fab. Poëticarum *cap. 189.*

Aurunca, Latij *ciuitas fuit, ab* Auſone Vlyßis & Calypsûs *filio condita: à qua* Aurunci *dicti fuerunt uetuſtiſſimi* Latij *populi.* Verg. 7. Aen.

-Et quos de collibus altis
Aurunci miſere patres.

Auſon

Aúſones, (αὔσονες) *antiquiſſimi* Italiæ *populi, ſupra* Cir*ceios*, Oſcis *finitimi, qui ea tenuerunt loca, in quibus poſtea condita fuerunt* Cales & Beneuentum. *ita dicti ab* Auſone Vlyſſis & Calypſus *filio, teſte* Feſto, *qui eiſdem in locis* Auruncam *urbem condidit*. Hi *primum extrema* Italiæ *littora coluiſſe dicuntur, quæ à* Lacinio *promontorio uſq; ad Salentinos extenduntur: unde & mare tractum eum alluens*, Auſonium *eſt appellatum: ut eſt autor* Plini. *libr*. 3. *capite* 10. Poëtæ *tamen ſuo more* Auſoniæ *nomen uniuerſæ communicant* Italiæ, Italosq; *omnes* Auſonios *appellant*. Vergil. 4. Aen.

Quæ tandem Auſonia Teucros conſidere terra
Inuidia eſt? Idem 12. Aen.
Sermonem Auſonij patrium, moresq; tenebunt.

Auſter, (νότος) *uentus meridionalis, calidus, & humidus, ab hauriendis aquis dictus: unde etiam* Græcè *eadem ratione* νότος *appellatur: quoniam* νότίς Latinè *humor dicitur*. Vergil. 1. Geor.

-Vnde ſerenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auſter.

Autóloles, (αὐτόλολες) *populi* Mauritaniæ Tingitanæ, *à* Gætulis *oriundi, finitimos omnes curſus celeritate ſuperantes*, Silius *lib*. 3.

Nec non Autololes leuibus gens ignea plantis,
Cui ſonipes curſu, cui ceſſerit incitus amnis,
Tanta fuga eſt.

Autólycus, (αὐτόλυκος) *filius fuit* Mercurij *ex* Chione, *auus paternus* Sinonis, *maternus uerò* Vlyſſis, *qui uicinorum armenta à paſcuis abacta tam uafrè interpolabat, ut non rarò dominis ſua uenderet iumenta. Verùm cùm* Siſyphus *greges ſuos in dies minui*, Autolyci *autem*

augeri

augeri animaduerteret, ſuſpicatus id quod res erat, pecudum ſuarum ungulis notas inußit: qua ratione & Autolyci furta detexit, & amiſſum pecus recepit. Vide hæc latius apud Hyginū Fab. poëtic. capite 201. Marti. lib. 8.

Non fuit Autolyci tam piceata manus.

Autómedon, (αὐτομέδωρ) Dioræ filius fuit, Achillis auriga; poſt cuius mortem factus eſt Pyrrhi armiger. Vergil. 2. Aen.

Vnà ingens Periphas, & equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon.

Autónoë, noës, (αὐτονόη) Cadmi Thebarum conditoris, & Hermiones filia fuit, & Actæonis ex Ariſtæo mater, qui & ipſe à nomine matris, Autonoeïus uocatur, Ouid. libro 3. Metam.

-Fugit Autonoeïus heros
Et ſe tam celerem curſu miratur in ipſo.

Axenus pontus, (ἄξενος πόντος) olim dicebatur, quem hodie Ponticum, & Euxinum dicimus: ſic à truci accolarum barbarie appellatus. ἄξενος enim inhoſpitalis eſt. Nam, ut Strabo lib. 7. tradit, ſolebant Scythæ, maris huius accolæ, hoſpites immolare, eorumq́; carnibus ueſci, caluisq́; uti loco poculorum. Ouidius de Ponto:

Frigida me cohibent Euxini littora Ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Axius, (ἀξιός) fluuius eſt Macedoniæ, in ſinum influens Thermaicum, cuius aquæ pecorum uellera nigra efficere creduntur, cùm contra Haliagmon uicinus amnis eadem candida efficere putetur. Vide Plin. lib. 31. cap. 2.

Axona, (ἄξονα) fluuius eſt in extremis finibus Rhemorum. Auſonius in Moſella:

Non tibi ſe Liger anteferet, non Axona præceps.

Axylus,

Axylus, (ἄξυλος) *Phrygis cuiuſdam nomen, ſingulari benignitate, & humanitate erga hoſpites: quem* Diomedes *apud* Troiam *interemit: ut refert* Homerus Iliados *libro ſexto.*

Azan, (ἀζὰν) *mons eſt* Arcadiæ, Cybele *deorum matri ſacer: à quo nonnulli uicinam regionem* Azaniam *uocatam uolunt: quam tamen* Stephanus *ab* Arcadica *muliere nuncupatam mauult, quæ* Azanò *dicebatur.* Statius *libr.* 3. Thebaid.

Vênit & Idæis *ululatibus æmulus* Azan.

B

BAbactes, (βαβάκτης) *unum ex nominibus* Bacchi, ἀπὸ τοῦ βαβάζειν, *quod eſt uociferari.* Bacchæ *enim in* Liberi *patris* Orgijs *inconditos quoſdã ululatus edebãt.*

Bábylon, (βαβυλὼν) *urbs nobiliſsima, ad* Euphratem *fluuium ſita, olim* Caldææ *totius caput, à quà magna* Meſopotamiæ, Aſsyriæq; *pars* Babylonia *appellata eſt: ut ſcribit* Plin. *lib.* 6. *cap.* 26. Hanc Strabo *lib.* 16. *à* Semiramide *conditam tradit.* Hebræorum *uerò literæ originem eius ad* Nembroth *gigantem referunt: & à linguarum cõfuſione ita nominatam uolunt. Ambitus eius quadringentorum octoginta ſtadiorum fuiſſe traditur,* Euphrate *fluuio mediam eam interfluente. Murũ habuit coctili latere, atque interfuſo bitumine compactum. Quem tam latum fuiſſe quidam ſcribunt, ut quadrigæ ſibi inuicem occurrentes, facilè pertranſire poſſent. Vnde & inter ſeptem ſpectacula orbis numeratur. Foſſa extrinſecus lãtè patẽs, uice amnis circunfluebat. À fronte murorum centum portæ æreæ. Hæc urbs cùm aliquando defeciſſet, &* Semiramis *circa cultum corporis occupata eſſet, ſoluta adhuc altera crinium parte, ad eam recuperandam cucurrit:*

nec

nec prius decorem capillorum redegit in ordinem, quàm urbem in ſuam poteſtatem uidit reſtitutam. De *hac* Lucanus *lib.1.*

Cumq; ſuperba foret Babylon *ſpolianda tropheis*
Auſonijs, &c.

Bacchæ, (βάκχαι, μαινάδες) *Bacchi ſacrificulæ, quæ &* Mænades, *&* Baſſarides, *&* Thyades *dicebantur.* Mulieres *item tertio quoque anno ad* Cithæronem *montem cateruatim cum* Thyrſis *cōuenientes, ut ibi* Bacchi Orgia *magno cum ululatu celebrarent,* Bacchæ *dicebantur.* Ouid.*9.*Metam.

Vtq; tuo motæ proles Semelëia *thyrſo*
Iſmariæ *celebrant repetita triennia* Bacchæ.

Bacchánal, *ſiue* Bacchanâle, (βακχεῖον) *locus erat* Bacchi *ſacris deſtinatus.* Plaut. *Aulul.*

Ad Bacchas *ueni hodie in* Bacchanal *coquinatum,*

Bacchanália, (διονύσια) Bacchi *feſta, quibus omnia ebrietate, luxuria, omniq; licentiæ genere perſtrepebant.* Iuuenal. *Sat.2.*

Qui *Curios ſimulant, &* Bacchanalia *uiuunt:*

Bacchíadæ, (βακχιάδαι) Corinthij *fuerunt, à* Bacchia Dionyſij *filia oriundi: qui cùm* Actæonē Meliſſi *filium in nocturnis* Orgijs *diſcerpſiſſent, eius necem tā impotenter tulit* Meliſſus, *ut obſeruato* Iſthmiorum *tempore, ſtans ante aram,* Diras Corinthijs *imprecatus ſit, niſi filij ſui necem ulciſcerentur, carmineq; peracto protinus ſe præcipitem dederit.* Corinthij *itaq; ut ſe religione ſoluerent,* Bacchiadas *ex urbe eiecerunt: qui conſcenſa naui in* Siciliam *delati, inter* Pachynum *&* Pelorum *conſederunt.* Ouid.*3.*Metam.

Et quà Bacchiadæ, *bimari gens orta* Corintho

Inter inæquales poſuerunt mœnia portus.

Bacchus, (βάκχος) *Iouis ex* Semele *filius, uini inuĕtor, unde et pro ipſo uino poni cõſueuit.* Hic *multi nominis fuit: nã primũ* Dionyſius, *deinde* Liber *pater dictus eſt, mox &* Bacchus, *&* Oſiris, *et* Bromius, *&* Lenæus. A *Græcis etiã* διμήτωρ Bacchus, *quòd bis natus fuiſſe, & duas quaſi matres habuiſſe fingatur.* Ferũt *enim* Semelen *ex* Ioue *iã grauidã cùm ab amatore* Deo *(qui ſe illi daturũ, quicquid petiiſſet, per Stygiã paludẽ iurauerat)* Iunonis *dolo hoc ſibi munus rogaſſet, ut talis ſecum, qualis cum* Iunone *ſolebat, nocte una concumberet, fulmine fuiſſe exuſtam, puerumq́; utero exemptum,* Iouis *femori fuiſſe inſertum: quẽ ille poſtea maturo partus tempore, more grauidæ mulieris eſt enixus.* Hic *orbem ferè terrarum peragrauit: multas nationes domuit:* Indos *debellauit, & primus omnium triumphauit, uectus* Indico *elephanto, ut ſcribit* Diod. Primus *emere ac uendere inſtituit, & diadema regum, ac triumphũ inuenit.* Dictus Bacchus, *ut* Diodoro *placet, à* Bacchis *mulieribus, quæ illũ* βακχεύοντες, *hoc eſt, inſanientes, & immodeſtè ſe gerentes in* Indiam *ſunt ſequutæ: ſiue (ut* Euſtathio *placet)* ἀπὸ τοῦ βαχεῖν, *hoc eſt, à uociferando & ululando, adiecta litera* κ, *quo uaſtior ille, Mænadum ſonus in ipſo* Dei *nomine redderetur.*

Bactes, (βάκτης) Bacchi *nomen, quemadmodum &* Babactes, ἀπὸ τοῦ βάζω, *id eſt, clamo, uociferor.* Solent *enim* Baccho, *hoc eſt, uino madidi, & mulieres* Liberi *patris* Orgia *celebrantes, omnia tumultuoſo quodam, & incondito clamore replere.*

Bactra, orũ (βάκτρα) *Scythiæ prouincia, ultra* Aſſyriam, *à flumine* Bactro *cognominata.* Vergilius *lib. 2.* Georg.

-Neque Bactra, neque Indi   Laudibus Italiæ certent.

Eius *prouinciæ populi* Bactri, Bactrij, *&* Bactriani (βάκτροι

κτϱοι, βάκτϱιοι, καὶ βακτϱιανοὶ) *uocati ſunt, quorũ rex fuit Zoroaſtres, magicæ artis inuentor.* Bactrianũ *regnũ olim mille urbibus fuiße inclytũ ſcrĩut.* Bactra *item, ſiue* Bactrũ *(ut apud* Pliniũ *legitur li.6.ca.16.) oppidum eſt eiuſdẽ regionis,* Bactrianorum *regum regia, & totius regni caput, ita dictum à* Bactro *fluuio: cùm antea* Ariaſpe *appellaretur.* De Bactrianorum *moribus memoriæ proditum eſt ab* Oneſicrito, *canes apud illos ali, quos* Sepulchrales *uocant, quibus parentes morbo, ætatéue confectos obijciunt dilacerandos.* Mulieres *autem earum ſplendido cultu & unguentis uti, à ſeruis & ancillis multo magis, quàm uiros, coli, nec niſi equo inſidentes, magnoq́; & auri & gẽmarum apparatu excultas in publicum prodire: matrimonij autem caſtitatem non ſeruare, ſed tam ſeruis, quàm aduenis, promiſcuè ſeſe cõmiſcere: nec à uiris eo nomine accuſari, quibus ipſæ dominari uidentur.*

Bactros, (βάκτϱος) *fluuius eſt in finibus* Scythiæ Aſiaticæ *à quo* Bactra *regio, et* Bactrũ *urbs nomẽ ſumpſit.* Lu.li.3.

Errantes Scythiæ *populi, quos gurgite* Bactros
Includit gelido, &c.

Bætis, (βαῖτις) *fluuius eſt ulterioris* Hiſpaniæ, *qui ex* Tarraconenſis *agri finibus labẽs,* Auſtraléq; Hiſpaniæ *regionem, quæ ab eo* Bætica *appellatur, mediam percurrens, tandem non procul à* Gadibus *in* Oceanum Occidentalẽ *illabitur.* Huius *fluuij aquis lanas optimè tingi, autor eſt* Martialis, *cùm ait,*

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis uellera tingis aquis.

Hinc Bæticolæ *dicti ſunt, fluuij huius accolæ.* Silius *lib.1.*

-Et uulgus Iberum,
Bæticolasq́; *uiros ſpatijs agitabat iniquis.*

Bágrada, (βαγϱάδας) *fluuius* Africæ *propriè dictæ, qui*

iuxta Vticam labitur, apud quem ab Attilio Regulo, & à toto exercitu balliſtis & catapultis, ſerpens centum & uinginti pedes longus occiſus eſt. Autores Plin. li. 8. cap. 14. Gellius libro 6. capite 3. Strabo libro ulti. Lucanus libro 4.

Primaq; caſtra locat cano procul æquore, qua ſe
Bagrada lentus agit.

Baiæ, arum, (βάϊαι) *ciuitas Campaniæ, ſecus Campanum mare ſita, ſitus amœnitate, & aquarum ſalubritate celeberrima: ita dicta, à Baio Vlyßis ſocio illic ſepulto, Silius libro 10.*

-Docet ille, tepentes
Vnde ferant nomen Baiæ, comitemq; dediſſe
Dulichiæ puppis ſtagno ſua nomina monſtrat.

Horat. lib. 1. Epiſtol.

Nullus in orbe ſinus Baijs prælucet amœnis.

Hinc proximus ſinus Baianus dictus eſt, hinc Miſeno monte, illinc Puteolis clauſus, cuius amœnitatem inſigni elogio celebrat.

Baleáres, (βαλεαρίδες) *duæ inſulæ ante Hiſpaniã, 30000 paßuum interuallo à ſe inuicem diſtantes: quarum maior, quæ Orientem ſpectat, 10000 paßu. longitudinem habet, circuitum autem paßuum 480000: cuius præcipua oppida olim fuerunt Palma, & Pollentia. Alterius in 60000 tantùm paſſuum longitudo extenditur, circuitus autẽ in paſſuum 150000. Dictæ Baleares, (ut quidam uolunt) à Baleo quodam Herculis comite, ibi relicto. Aut certè ἀπὸ τοῦ βάλλειν, hoc eſt, à iaculando, propterea quòd fundæ & iaculationis Baleares peritißimi habiti ſunt. Tradit enim Lycophron, & poſt eum Florus lib. 3. capit. 8. eam hiſce in inſulis obſeruatam fuiſſe conſuetudinem*

dinem,ut eſurientibus filijs à matribus ientaculum in ſublimi trabe proponeretur,quod illi contingere non poterãt,niſi prius funda deieciſſent. A *Græcis dictæ ſunt* γυμνησίαι,*eò quòd nudi aliquandiu uitam egiſſe dicãtur, nec ueſtibus utentes,nec calceis.* In *hiſce inſulis tãtus olim cuniculorum prouentus fuit, teſte* Plinio *libr.8. capit.55. ut in eos præſidium militare ab* Auguſto *petere ſint coacti.* Hodie *ab* Hiſpanis,*quorum imperio parent,* Maiorica *&* Minorica *appellantur.* Baleares *etiam dicuntur incolæ harum inſularum.* Inde *fit poſſeßiuum* Balearis, *& are.* Verg. *libro* 1. Geor.

Stupea torquentem Balearis *uerbera fundæ.*

Item Balearicus,*ca.cum: ut,* Balearica *funda.* Oui. 2. Metamor.

Non *ſecus exarſit,quàm cùm* Balearica *plumbum*
Funda *iacit:uolat illud,& incandeſcit eundo.*

Bálias,*ſiue* Bálius,*(nam & in* Græcis *quibuſdã codicibus* βαλίας *legitur, in alijs* βάλιος*) unus fuit ex equis* Achillis,*à balio colore ita dictus. commemorat autem* Homerus *libro* 16. Iliad.*tres* Achillis *equos, quorum duos* Baliam *&* Xanthũ *immortales fingit,ex* Zephyro *uẽto, &* Podarge Harpyia *prognatos : tertium autem mortalem,nomine* Pedaſum.

Baptæ,*(*βάπται*)* Athenis *erant ſacerdotes* Cotytûs,*impudicitiæ deæ,cui nocturna ſacra peragebant,ſaltationibus, & omni uoluptatum generi indulgẽtes.* Dicti *autem ſunt* Baptæ,ἀπὸ τοῦ βάπτειν, *quòd qui ſacris illis initiabantur, aqua calida tingerentur.* Iuuenal. Sat. 2.

Cecropiam *ſoliti* Baptæ *laſſare* Cotytto.

In *hos* Eupolis Comœdiam *conſcripſit,quam ab illorum nomine* Baptas *appellauit, in qua mollitiem eorum &*

libidinem depinxit. Quã ob cauſam ab illis in mare præcipitatus eſt, & ſubmerſus. Vide plura de his apud Suidam, & Politianum Miſcellanearum capite 10.

Barce, *(βάρκη) una eſt ex quinque Lybiæ Cyrenaïcæ urbibus, quæ Pentapolim efficiũt: ita primùm dicta à Barce regina: poſtea Ptolemais appellata: ut teſtantur Strabo lib. ulti. & Plin. lib. 5. cap. item 5. Hinc Barcæi (βαρκαῖοι) regionis huius incolæ. Verg. 4. Aen.*

Hinc deſerta ſiti regio, lateq; furentes
Barcæi. *Eſt itẽ Barce promontoriũ in occidua Africæ parte, Oceano imminens: cuius meminit Plin. libro 5. cap. 1. Eſt item Barce, apud Ver. 4. Aen. nomẽ nutricis Sichæi.*

Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi.

Bardi, *uates erant in Gallia, qui uirorum fortium laudes decantabant. Lucan. lib. 1.*

Vos quoque, qui fortes animas, belloq; peremptas
Laudibus in longum uates demittitis æuum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Bargylla, orum, *(βάργυλλα τὰ Stephano) oppidum eſt Cariæ, ita appellatum à Bargyllo Bellerophontis comite, qui ex Pegaſi ictu interijt. Vnde Bargyllitici cãpi, quorum meminit Plinius lib. 5. capite 29.*

Baris, *(βαρὶς) apud Aegyptios dicebatur cymba, qua cadauera uectabant ad ſepulturam. Proper li. 3.*

Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.

Bárium, *(βάριον Ptolemæo) Apuliæ oppidũ eſt, teſte Plinio libro 3. capite 11. quod ſeruato antiqui nominis aliquo ueſtigio, uulgò Barri uocatur. Horat. Satyr. 5.*

Bari mœnia piſcoſi. Vbi Bari dixit, pro Barij.

Baſiliſcus, *(βασιλίσκος) genus ſerpẽtis, quod (teſte Pli. libro 8. capite 21.) in ſolitudinibus Aphricæ habitat, can-*

dida

dida in capite macula, uelut quodam diademate, adorna-tum. Acutiſſimum habet caput, rubeos oculos, & colorē ad nigredinem uergentem. Reliquos ſerpentes ſibilo fu-gat, ut ſolus regnare uideatur. Luca. lib. 9.

Sibilaq; effundens cunctas terrentia peſtes
Ante uenena nocens, late ſibi ſubmouet omne
Vulgus, & in uacua regnat Baſiliſcus arena.

Latinorum nonnulli Regulum uocant.

Báſſareus, (βασσαρεὺς) Bacchi cognomen eſt, tractum à Baſſara Lydiæ oppido, ubi præcipuè colebatur: uel ἀπὸ τοῦ βάζω, quod eſt clamo, quòd eius ſacra maximis clamori bus à Bacchis celebrarentur. Horat. lib. 2. Carm. Ode 18.

Non ego te candide Baſſareu
Inuitum quatiam.

Hinc Baſſaris, idis, (βάσσαρις) pro Baſſarei, hoc eſt, Bac-chi ſacerdote. Perſius Sat. 1.

Et ſectum uitulo caput ablatura ſuperbo Baſſaris.

Batáuia, Germaniæ prouincia, duobus Rheni alueis bona ex parte incluſa, quæ hodie Hollādia appellatur. Huius in colæ Batаui dicuntur, penul. indifferente. Luc. lib. 1.

Vangiones, Bataniq; truces, quos ære recuruo
Stridentes acuere tubæ. Iuuenal Sat. 7.
Hic petit Euphratem iuuenis, domitorq; Batаui.

Corn. Tacit. de ſitu Germaniæ: *Omnium harum gentium uirtute præcipui Batаui, nō multum à ripa inſulam Rhe-ni colunt. Cattorum quōdā populus, & ſeditione dome-ſtica in eas ſedes tranſgreſſus, in quibus pars Romani im-perij fierent. Manet honos, & antiquæ ſocietatis inſigne. Nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. Exempti oneribus & collationibus, & tantùm in uſum præliorū ſepoſiti, uelut tela atq; arma bello reſeruantur.*

Hæc ille. Fuerunt autem Bataui olim craßitiæ, & ſtupiditatis notati: quò fit, ut Auris Batauа, prouerbio dicatur de craſſo, ſtupido, & nullius iudicij homine. Vide Eraſmi Adag.

Bathyllus, (βάθυλλος) puer fuit Samius Phorci ex monſtro marino filius, Anacreontis Poëtæ amaſius. Horat. in Epod.

Non aliter Samio dicunt arſiſſe Bathyllo
Anacreonta Teïum.

Battiades, (βαττιάδης) dictus eſt Callimachus Poëta, à Batto patre. Ouid. in Ibin:

Nunc quo Battiades inimicum deuouet Ibin,
Hoc ego deuoueo teq; tuosq; modo.

Battis, (βάττις) puella fuit formoſißima, quam Philetas Cous, Poëta Elegiographus adamauit, ſuisq; carminibus celebrauit. Ouid. 1. Triſt.

Nec tantum Coo Battis amata ſuo.

Battus, (βάττος) paſtoris cuiuſdam Pylij nomen, quem Mercurius in indicem commutauit. Nam cùm Apollo Admeti regis armenta paſceret, Mercurius boues quaſdam, quæ lõgius proceſſerant, furto abactas in ſylua occultauit, Battoq; cuidam equarum cuſtodi, à quo uno uiſus fuerat, mandauit, ne cuipiam illud furtum indicaret. quod ut libentius faceret, uaccam pulcherrimam ei dono dedit. Mercurius uerò abiens, ut hominis experiretur fidẽ, ſumpta alia figura paulò pòſt ad eum redit, rogans an uaccas quaſdã illac tranſeuntes uidiſſet, pollicensq;, ſi indicaret, uaccã ſe illi cum tauro daturum. Battus itaq; ſpe muneris corruptus, ſub quo monte paſcerentur, indicauit: ob quam perfidiam Mercurius eum in lapidem, qui Index dicitur, commutauit. Ouid. 2. Metam.

Senſerat

Senſerat hoc furtum nemo, niſi notus in illo
Rure ſenex, Battum uicinia tota uocabat.

Bátulum, (βάτυλον) *caſtellum fuit Campaniæ, cuius incolæ Turno ſuppetias tulerunt aduerſus Aeneam. Verg. 7. Aen.*

Quiq; Rufas, Batulumq; colunt.

Baucis, (βαυκὶς) *anus fuit paupercula, Philemonis ſenis coniux, quos Iupiter in arbores cõmutauit. Ferunt enim cùm Iupiter & Mercurius Phrygiam peragrarent, ſolos hoſce inuentos eſſe, qui Deos hoſpitio dignarẽtur. Quare cùm Iupiter eam regionem ob inhoſpitalitatem terræ hiatu perdere decreuiſſet, Philæmonem & Baucidem monuit, ſi ſalui eſſe uellent, ſeſe ut ſequerentur: qui ſine mora deorum ueſtigia ſunt ſubſecuti: cumq; iam ad uicini mõtis culmen perueniſſent, forte reſpicientes, ſubiectã oculis regionem, palude hauſtam uident, ſola ſua caſa excepta, quæ ipſis aſpicientibus in templum eſt transformata. Iußi deinde pro hoſpitij munere petere quod uellent, nihil aliud ſe optare reſponderunt, quàm ut noui templi ſacerdotio præficerentur, nec alter alterum ad ſepulturam efferret, ſed eodem temporis momento extremum uitæ finem clauderent. Quod cùm illis Iupiter annuiſſet, ad ſua eos remiſit: ubi quod reliquum erat uitæ, in Deorum miniſterio peregerunt: cumq; iam extremam ſenectutis metam attigiſſent, in arbores duas ſunt cõuerſi: ut latius exequitur Ouidius lib. 8. Metamor.*

Báuius, *& Mæuius, Poëtæ duo fuerũt Vergilij ætate, nulla alia re noti, quàm quòd clarißimis ætatis ſuæ Poëtis oblatrare non dubitarint: qua de cauſa optimi cuiuſq; odium incurrerunt. Vergil. 3. Eclog.*

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui.

Bébryces,(βέβρυκες Steph.) uel Bebrycij,populi à Thracibus oriũdi, qui eã partẽ Aſiæ incoluerũt,quæ poſtea Bithynia, & aliquando Mygdonia dicta eſt:ut eſt uidere apud Strabonem libro 7.& 12. Hos Arrianus originem à Bebryce traxiſſe una filiarum Danai ſcribit, quæ unà cum Hypermneſtra præter iuſſa patris uiro pepercit. quare fugiens parẽtem,unà cum uiro in hæc loca peruenit,incolasq; ritus docuit Aegyptios: pro quibus meritis regionem ab eius nomine Bebryciam ferunt appellatam. quæ olim extendebatur uſque ad Epheſum & Magneſiã Ioniæ oppidũ, ut ſcribit enarrator Apollonij, Charontem adducens autorem,qui dicit Lampſacenorum regionem olim Bebryciam appellatã, Hinc Bebrycius, a,um, (βεβρύκιος.) Verg.5.Aen. -Qui ſe

Bebrycia ueniens Amyci de gente ferebat.

Belgæ,(βέλγαι) populi Galliæ comatæ, inter Sequanam & Scaldẽ fluuios ſiti, in quindecim olim populos diuiſi. Plin.libro 4. capite 17. Gallia omnis cõmata uno nomine appellata,in tria populorum genera diuiditur:à Scalde ad Sequanam Belgica:ab eo ad Garumnam Celtica, eademq; Lugdunenſis: inde ad Pyrenæi montis excurſum Aquitania. Hinc deducitur poſſeſsiuum Belgicus,a, um, ut,eſſedum Belgicum,currus quoddam genus, apud Belgas primùm inuentum.Verg.3.Georg.

Belgica uel molli melius feret eſſeda collo.

Belídes,æ,(βελίδης) patronymicũ maſc.quo ſignificatur filius,ſeu aliquis de genere Beli:unde pro Palamede accipitur Nauplij filio,& Beli abnepote.Vergil.2.Aen.

Fando aliquid ſi fortè tuas peruenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis &c.

Belis,huius Belidis, (βηλὶς) patronymicũ fœmininum, quo

quo ſignificatur filia uel neptis Beli. *unde* Belides *dictæ ſunt, quinquaginta filiæ* Danai, Beli *filij: quas cùm* Aegyptꝰ Danai *frater totidẽ filijs ſuis peteret uxores,* Danaus *deſpõdere recuſauit.* Didicerat *enim ex oraculo, ſe à genero interfectum iri.* Sed *poſtea coactus à fratre, promiſit ſe eius petitioni ſatisfacturũ.* In *nuptiarũ autẽ nocte filias ſubornauit, ut clàm ſe cultris armarent, & uiros iam uino luxuriaq; ſopitos iugularẽt.* Virgines *itaq; patri morẽ gerẽtes, captato tẽpore necarũt uiros, unaquæq; ſuum, excepta ſola* Hypermneſtra, *quæ* Lynceo *uiro ſuo pepercit, qui poſtea occiſo* Danao *regnũ apud* Argos *inuaſit.* Hæ *&* Danaides *appellãtur à patre* Danao. Vnde Danaidũ *doliũ, prouerbio celebratur, pro barathro quodã inexplebili, & inſatiabilis cupiditatis homine.* Finguntur *enim à* Poëtis, Danai *filiæ apud inferos eo ſupplicij genere perpetuò dãnatæ eſſe, ut doliũ quoddã pertusũ aqua conẽtur implere, unde tantũ effluat, quantũ illæ poßint infundere.* Ouid. 4. Metam. Moliriq; *ſuis letum patruelibus auſæ,*

Aßiduè repetunt, quas perdunt, Belides *undas.*

Bellerophóntes, tæ, (*βελλεροφόντης*) *ſeu* Bellerophon, tis, *fuit* Glauci *regis* Ephiræ *filius, cuius forma capta* Sthenobœa, Prœti Argiuorum Regis *uxor, de ſtupro eũ interpellauit: cũq; ſe præter opinionẽ repulſam uideret, ægrè id ferens, innocentẽ hoſpitẽ apud uirũ detulit, tanquam ſibi uim inferre uoluiſſet.* Cuius *delationi fidem adhibens* Prœtus, *cùm iniuriã eam maximè ultam cuperet, hoſpitij tamen iure motus, domi illum ſuæ interficere non ſuſtinuit, ſed in* Lyciam *ad* Iobaten *ſocerum cum codicillis miſit: qui cùm & ipſe tam ſtrenui adoleſcẽtis ſanguine domum ſuam non uellet polluere, aduerſus* Solymos, *quibus cũ bellũ gerebat, modico cum præſidio miſit:*

ſpe

ſperans futurum, ut iuuenis laudis cupidiſsimus, à gente ferociſsima facilè interficeretur. Verùm cùm & Solymos facilè uiciſſet Bellerophontes, & alijs pleriſque periculis obiectus, ſemper uictor rediiſſet, poſtremò ad interimẽdã Chimæram miſſus eſt: quem etiam laborem, nactus Neptuni beneficio Pegaſum equum, ſumma cum laude ſuperauit. Quapropter Iobates iuuenis uirtutem admiratus, alteram illi ex filiabus cum regni parte uxorem dedit: ex qua Iſandrum, Hippolochum, & Laodamiam ſuſcepit, ut libro 6. Iliados refert Homerus. Quod cùm audiſſet Stenobœa, ſibi ipſi mortem conſciuit. Bellerophontes autem felici rerum ſucceſſu elatus, cùm in cœlũ euolare cum Pegaſo conaretur, immiſſo à Ioue œſtro, equo excuſſus eſt, deciditq; in eum campũ, qui poſtea Aleïus appellatus eſt. Pegaſus autem à Ioue inter ſidera eſt relatus. Hic primùm Hippononus dictus eſt, Bellerophontes poſteà appellatus à Bellero quodã Corinthiorũ principe, quem adhuc adoleſcẽtulus de medio ſuſtulit. Hinc Bellerophonteus, a, um, (βελλεροφόντειος) Propertius lib. 3.

Bellerophontei quà fluit humor equi.

Bellôna, (ἐνυώ) bellorum dea, & Martis ſoror. Verg. 9. Aen.

Quam propè ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Huic proprio ſanguine ſacerdotes ſacrificabant. Ante Bellonæ templum columna erat, quæ bellica dicebatur, ſuper quam haſtam iaciebat Fæcialis bellum indicens: ut poſt Feſtum annotauit Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 12.

Belus, (βῆλος) rex fuit Aſsyriorum, & pater Nini, à Sole ita dictus, qui Aſsyriorum lingua Bel dicitur. Huic uita functo templum erexerunt Babylonij, diuiniſq; eum honoribus ſunt proſequuti. Fuit item Belus, cognomento

Priſcus,

Priſcus, Epaphi, uel (ut alij malunt) Neptuni, & Libyes filius, cui Iſis poſt Apidis mortem nupſit regnante Athenis Cecrope. Huius filij fuerunt Danaus, & Aegyptus, à cuius etiam nomine quinquaginta Danai filiæ Belides appellatæ ſunt: ut paulò antè oſtendimus ſuo loco. Alius fuit Belus, Phœnices rex, & pater Didus, uir militaris rei peritiſsimus, qui Cyprios Phœnicum littus piratica infeſtantes magna cum illorum clade ſubegit, ut eſt apud Verg. lib. 1. Aeneid.

Genitor tum Belus opimam
Vaſtabat Cyprum &c.

Bémbina, (βέμβινα Stephano) Nemeææ uicus eſt, quem Hellanicus Bembinō (βέμβινον) appellat: unde Nemeæus Leo à poëtis Bēbinatis belua dicitur. Plautus in Mil. Bembinatidis beluæ inſtar.

Benàcus, (βήνακος) lacus Ciſalpinæ Galliæ, non procul à Brixia Venetorum oppido, aureas arenas uoluens, & ex eis nutriens piſces, quos indigenæ Carpiones uocant, nuſquam alibi repertos. Ex hoc Mincius fluuius excurrit in Padum. De hoc lacu Verg. lib. 2. Georg.

Fluctibus & fremitu aſſurgens Benacę marino.

Beneuentum, (βενεούεντον Ptol. βενέβεντος Suidæ & Stephano) oppidum eſt Hirpinorum, Diomedis opus, antea Maleuentū appellatum, donec colonia eò à Romanis deducta, boni ominis gratia Beneuentū uocari cœpit. Circa hanc urbem 30000. Samnitum cæſa fuerunt Sulpitio & Pætilio Conſs. De hac Horatius 1. Serm. Sat. 5.

Tēdimus hinc rectà Beneuētū, ubi ſedulus hoſpes, &c.

Berecyntus, (βερέκυντος Stephano) mons Phrygiæ, cùm oppido eiuſdē nominis, in quo Cybele mater Deûm priſco ritu colebatur: unde & ipſa Berecyntia dicitur.

Verg.

Verg.9.Aen.

Ipſa Deûm fertur genitrix Berecyntia *magnum*
Vocibus his affata Iouem.

Berenîce,es,(βερενίκη) Ptolemæi Lagi *uxor, & regina* Aegypti,*à cuius nomine* Ptolemæus Philadelphus *eius filius,inſignem urbem,quam in ſinu* Arabico *condidit,*Berenicen *appellauit.* Autor Plini. *libr. 6. cap. 29.* Fuit *& alia eiuſdem nominis,*Aegypti *regina,*Ptolemæi Philadelphi *&* Arſinoës *filia,quæ* Ptolemæo Euergetæ *fratri ſuo nupſit:qui cùm paucis à nuptijs diebus,in* Aſiam *expeditionem ſuſcepiſſet,* Berenice *crinem ſe detonſuram uouit,ſi ille ſaluus reuerteretur:cuius uoti damnata, abſciſſam comam in templo* Veneris *conſecrauit: quæ cùm poſtridie non apparuiſſet,ægrè id ferenti regi,* Conon Mathematicus *gratiam eius per adulationem captans,inter ſydera collocatam affirmauit, ſeptem ei figura uacuas oſtendens ſtellas, in quas* Berenices *crinem mutatum aſſerebat.*Extat *de hoc ſidere elegantiſſimum carmen apud* Valer.Catullum. *Fuit item* Berenice,Herodis Antipatri *filia,ex* Salome *ſorore neptis,cuius meminit* Iuuenal.*Sat.6.*

Deinde adamas notiſſimus,& Berenices
In digitis factus pretioſior.

Berenice *præterea à* Valerio Maximo *appellatur libr.8. ca.6.quam* Plin. *lib.7. cap.41.*Pherenicen *uocat,cui ſoli ex mulieribus,quòd filia,mater,& ſoror eſſet* Olympionicarum,*conceſſum fuit,ut gymnicos ludos poſſet ſpectare, fœminis omnibus interdictos.*

Bérgion,*&* Albion,(βεργίων καὶ ἀλβίων) *fratres fuerunt gigãtes, & filij* Neptuni,*qui cùm* Herculi Rhodani *oſtia traijcere paranti ui obſiſterent,à* Ioue *imbre lapideo*

dēo ſunt interempti: qua de re plura tradidimus ſuprà in dictione Albion.

Berenícis, ídis, (βερενικὶς) *tractus* Africæ Cyrenaïcæ, *qui eſt circa* Berenicen *urbem.* Lucan. *lib.* 9.

-Nam quicquid puluere ſicco
Separat ardentem tepida Berenicida Lepti,
Ignorat frondes.

Béroë, (βερόη) *anus fuit* Epidauria, *& nutrix* Semeles, *cui ſe* Iuno *aßimilauit, cùm pellici perſuadere uellet, ut muneris loco à* Ioue *peteret, ut talis tantusq; ſecum rem haberet, qualis quantusq; ſolet cum uxore.* Ouidius *tertio* Metamor.

Ipſaq; erat Beroë Semeles Epidauria nutrix.

Beroës *quoque cuiuſdam,* Dorycli Iſmarij *coniugis, meminit* Verg. 5. Aen.

Fit Beroë Iſmarij coniux longæua Dorycli.

Bérytos, (βηρυτὸς) *urbs eſt* Phœnices, *in ora* Libano *monti ſubiecta,* Iuſtiniani *tēporibus legum ſtudijs celeberrima. Vulgò* Barutum *uocant.* Rhemius Palæmon *ex* Dionyſio,

Antiquamq; Tyron, Beryti & mœnia gratæ.

Beſsi, (βέσσοι) *populi* Thracum, *teſte* Plin. *lib.* 4. *cap.* 11. *magna ex parte* Hæmum *montem incolentes, rapto & latrocinijs uictitantes, de quibus* Ouid. *lib.* 6. *Triſt.*

Viuere quàm miſerum eſt inter Beſſosq;, Getasq;.

Biánor, (βιάνωρ) *qui &* Ocnus *dictus eſt, filius fuit* Mantûs *fatidicæ, &* Tuſci *fluminis, qui* Mantuam *urbem à nomine matris appellauit.* Verg. Eclog. 9.

-Namq; ſepulchrum
Incipit apparere Bianoris, hîc ubi denſas, &c.

Fuit item hoc nomine unus ex Troianis *principibus, qui*

cum

cum Oileo *auriga ab* Agamemnone *interemptus eſt, teſte* Homero *lib.*Iliad.11.

Bias,(*βίας*)*Philoſophus fuit* Prienæus,*unus ex ſeptē Græciæ ſapientibus,& ciuium ſuorum princeps,quos diu aduerſus pericula tutatus eſt. Sed tandem rapta patria,cùm uniuerſi fugerent,rerū pretioſiſsimarum ſarcinulis onuſti,ipſeq; interrogaretur,cur ex bonis ſuis ſolus nihil ſecum ferret, reſpondit*, Omnia *bona mea mecum porto.* Fortuita *enim inter bona ſua non numerabat. Sid.* Apol.

Prienæe Bia,*quòd plus tibi turba malorum &c.*

Bílbílis,is,(*βίλβιλις*)*oppidum* Celtiberorum *in* Hiſpania Tarraconenſi,*ad* Salonem *fluuium, optima ferri temperatura nobilem.* Ex *hoc oppido* Martialis Poëta *originem traxit:ut ipſe teſtatur lib.1.ſcribens ad* Licianum,

Videbis *altam* Liciane Bilbilim.

Biſaltæ, (*βισάλται Stephano*) *populi liberi* Thraciæ *ad* Strymonem *amnem,teſte* Plinio *li.4.cap.11. famē in bello lacte concreto,& ſanguine equino tolerātes.* Ver.3. Geo.

Biſaltæ *quo more ſolent,acerq;* Gelonus,

Cùm fugit in Rhodopen,*aut in deſerta* Getarum,

Et *lac concretum cum ſanguine potat equino.*

Horū *regio* Biſaltia,(*βισαλτία*) *dicitur,à* Biſalte *gigāte,* Solis *&* Terræ *filio, aut certè à* Biſalto *uicino fluuio.*

Biſtónia, (*βιστονία*) *regio* Thraciæ *inter* Neſſum *&* Hebrum *fluuios,ita dicta à* Biſtone *rege, ut tradit* Stephanus *in urbium* Onomaſtico. Hinc Biſtones (*βίστονες*) *populi,* & Biſtonis, (*βιστονὶς*) *palus, non procul ab* Abderis, *in qua natantia omnia demerguntur.* Item Biſtonius,*a,um,* (*βιστόνιος*) *quod* Poëtæ *ſuo more pro* Thracio *uſurpant.* Ouid.*in* Epiſt. Phyllidis *ad* Demophoontem:

Feſſaq; Biſtonia *membra lauabis aqua.*

Bithynia,

Bithynia, (βιθυνία) *regio minoris Aſiæ, aduerſa Thraciæ, & proxima Troadi, quæ, ut Solinus ſcribit, primùm Bebrycia, poſtea Mygdonia, deinde à Bithyno Bithynia dicta fuit. In Bithynia Libyſſa eſt, Annibalis ſepulcro nobilis. Huius regionis incolæ Bithyni* (βιθυνοὶ) *dicuntur, qui à Thynis Thraciæ populis ortũ traxiſſe putantur, ut ſentit Strabo lib. 7. & 12. Quod & ipſum non obſcurè aſſerit Claudianus de Raptu Proſerpinæ lib. 2.*

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Bítias, (βιτίας) *fuit unus ex Carthaginienſium principibus, præfectus claſſis Punicæ, ut ſentit Seruius in illud Vergilij 1. Aeneid.*

Tum Bitiæ dedit increpitans.

Meminit etiam Bitiæ cuiuſdam Verg. li. 9. qui frater Pãdari fuit, ex Alcanore Troiano, & Hyera. Hi cum Aenea poſt Troiæ excidium in Italiam uenerunt, & cùm apertis etiam portis auſi eſſent Rutulos, abſente Aenea, laceſſere, ab iiſdem ſunt trucidati.

Bitúriges, (βιτούριγες *Straboni*) *populi ſunt Galliæ Aquitanicæ, teſte Plinio libr. 4. capi. 19. qui uno die uiginti oppida incenderunt, ut Cæſarem pabulatione prohiberent. Horum metropolis erat Auaricum, urbs natura & opere munitiſſima: cuius ſitus deſcribitur à Cæſare libr. 3. Comment. Nominatiuus ſingularis eſt Biturix. Lucan. libro primo,*

Et Biturix, longiſq; leues Axones in armis.

Bizen, (βίζεν *Stephano*) *oppidũ Thraciæ munitiſſimum, regum olim ſedes, ad quod hirundines non aduolant. Cuius rei cauſam ad Tereũ referunt Thraciæ regẽ, qui in ea Philomelã dicitur uiolaſſe. Pli. li. 4. ca. 11. Biziã uocat. Bizia (inquit) arx regũ Thraciæ, à Terei nefaſto crimine in-*

uiſa hirundinibus.

Blémyes,(*βλέμυες Stephano*)*populi ſunt in Aethiopia, uerſus Auſtrum, capitibus carentes, ore & oculis pectori affixis: alio nomine Bleptæ dicti, teſte Pomponio libro 1. Blemyas autem Stephanus dictos exiſtimat à Blemye quodam, uno ex tribus ducibus, qui ſub Dionyſio in ijs regionibus militarunt. Claudianus in Rufinum:* -Errat

Per Meroën Blemyasq́; feros, atramq́; Syenen.

Bœbéis, idis, *ſiue* Bœbías, adis, (*Βοιβιὰς, ἢ Βοιβηὶς λίμνη Stephano*)*lacus in Theſſalia, ad radices Oſſæ, à Bœbe uicino oppido nomen habens. Luc. libr. 7.*

Ire per Oſſæam rapidus Bœbeïda ſanguis.

Bœótia,(*Βοιωτία*)*regio eſt in finibus Græciæ, Eubœæ inſulæ obiecta, ab Attica autem Cithærone monte diſcreta: ita dicta (ut nonnulli putant) à boue, cuius ductu Cadmus peruenit ad eum locũ, ubi poſtea Thebas Bœotias condidit. Ad quam nominis rationem alludit Ouid. 3. Metamorphoſ. cùm ait,*

Bos tibi, Phœbus ait, ſolis occurret in aruis,
Nullum paſſa iugum, curuiq́; immunis aratri:
Hac duce carpe uias, & qua requieuerit herba,
Mœnia fac condas, Bœotiaq́; illa uocato.

Alij alias afferunt nominis huius rationes: quas uide apud Steph. Olim etiam Aonia dicta eſt, & Ogygia, & Hyantis, & Meſſapia, & Cadmeis Thucydidi. Hinc Bœoti (*Βοιωτοὶ*)*dicti ſunt regionis huius incolæ: qui ſtupiditatis, & craſſi ingenij nomine malè audierunt. Hinc eſt illud Horatij lib. 2. Epiſt.*

Bœotum in craſſo iurares äëre natum.

Boij,(*Βοῖοι, Straboni*)*populi fuerunt Galliæ Lugdunenſis, teſte Plin. lib. 4. cap. 18. qui putantur agri Borbonienſis tract*

ſis tract

ſis tractum incoluiſſe. Hi *poſtea* Alpes *tranſgreſſi, iuxta* Padum *conſederunt, ubi &* Laudem Pompeiam *condiderunt, teſte eodem, libr.3.capit.17.* Iidem *poſtea à* Romanis *expulſi, in* Germaniam *ſe contulerunt, teſte* Strabone *lib.7.ubi* Hercyniæ *ſyluæ partem incoluerunt, quæ* Pannonijs *proxima eſt: quæ regio ab eis primum* Boiohemia, *& poſtea abiectis aliquot literis* Boëmia *appellata eſt.*

Bona dea, (ἀγαθὴ θεὸς) *quam ueteres* Faunam, *ſiue* Fatuam, *ſiue* Sentam *dixere.* Hanc Varro *ſcribit tantæ pudicitiæ fuiſſe, ut nemo illam, dum uixit, præter uirum, mas uiderit, nec nomen eius audierit, propter quod illi in operto mulieres ſacrificabant, &* Bonam deam *appellabant.* Vide Alexandrum *ab* Alexand.*lib.6.cap.8.*

Boótes, tæ, (βοώτης) *cœleſte ſydus, bubulci more plauſtrum ſequens, quod &* Arctophylax *uocatur.* Fuit *autem* Bootes *(ut refert* Hyginus*)* Iouis *filius, &* Caliſtûs, *nomine* Arcas, *nepos* Lycaonis *regis* Arcadiæ, *qui unà cum matre in cœlum eſt translatus, & illi ueluti cuſtos appoſitus.* Cicero *2.de* Nat. Deor. *Septentriones autem ſequitur* Arctophylax, *uulgò qui dicitur eſſe* Bootes, *Quòd quaſi temone adiunctam præ ſe quatit* Arcton. Habet *autem hoc ſidus ſtellas omnino* XIIII. *quarum ſitum uide apud* Hyginum *in tractatu de* Signis *cœleſtib.*

Bóreas, (βορέας) *uentus frigidus & ſiccus, à* Latinis Aquilo *dictus, ſpirans inter* Septentrionem, *& exortum ſolſtitialem, teſte* Plinio *lib.2.cap.47.*Hunc Poëtæ *Aſtræi, &* Auroræ *filiũ fuiſſe uolunt, qui cùm* Orithyiam Erechthei Athenienſium *regis filiam adamaret, neq; blanditijs ullis ad ſui amorem eam poſſet pellicere, ui eam rapuit,* Calainq; *&* Zethen *ex ea ſuſcepit: ut latius eſt uidere apud* Ouid.*6.*Metamo. Hinc Borêus, *a, um,* (βόρειος) *id eſt,*

 ſepten

ſeptentrionalis. Ouid. 4. Triſt.

Vita procul patria peragenda ſub axe Boreo eſt.

Boryſthenes, (βορυσθένης) fluuius Scythiæ, ſecundùm Iſtrum omnium maximus, ad ſexcenta ſtadia nauigabilis, aquas habens potui ſuauiſsimas, piſcesq́; alẽs magnos, nulla habentes oſſa. Ad fluuij huius ripas ſita eſt Olbia ciuitas, quæ & Boryſthenis dicitur à Pomponio Mela li. 2. unde & ciues ipſi Boryſthenidæ dicuntur. Propert. lib. 3.

Gloria ad hybernos lata Boryſthenidas.

Hinc deducitur adiectiuum, Boryſthenius, a, um, βορυσθένιος. Ouid. 4. de Ponto:

Cumq́; Boryſthenio liquidiſsimus amne Dyaſpes.

Bóſphorus, (βόσπορος) anguſtas maris fauces ſignificat à meabili bouis trãſitu impoſito nomine: ut teſtatur Plin. lib. 6. cap. 1. quaſi διὰ βοὸς πορεία. Sunt autem duo Boſphori, Thracius & Cimmerius, tanta uterq; anguſtia, ut & alitum cantus, & canum latratus ab ulteriore littore inuicem audiantur: manente etiam humanæ uocis inter duos orbes commercio, niſi cùm id auferunt uenti. Thracius Boſphorus iuxta Byzantium eſt, quingentorum non amplius paſſuum freto Aſiam dirimens ab Europa, quà Darius pater Xerxis copias ponte tranſuexit. Valerius Flaccus fabulatur Io puellam in uaccam commutatam per haſce anguſtias in Aſiam tranauiſſe: indeq́; fretum illud Boſphori nomen traxiſſe. Sic enim ſcribit lib. 4. Argonaut.

Iamq́; dies, atq; aura uocant: rurſusq́; capeſſunt
Aequora, quà rigidos eructat Boſphorus amnes.
Illos, Nile, tuis nondum Dea gentibus Io
Tranſierat fluctus: unde hæc data nomina ponto.

Alter eſt Boſphorus in introitu Mæotidos paludis, iuxta

Tauri

Tauricam Cherrhoneſum, duorum millium paſs. latitudine, per quam palus Mæotica in Pontum defluit. Hic Cimmerius Boſphorus dicitur à Cimmerijs populis, qui partem eius frigidiſsimam accolunt. Vnde qui terras frigoribus occupatas habitant, Cimmerij appellantur. Inter Boſphorum Thracium & Cimmeriū, ut ex Polybij ſententia ſcribit Plin. lib. 4. capite 12. interiacent millia quingenta.

Bouillæ, arum, (βοῖλλαι Steph.) *oppidum fuit in Latio, haud procul ab urbe Roma, ea in uia, quæ Ariciam ducebat, ut inquit Aſcon. in Orationē Ciceronis pro Milone. Dictæ Bouillæ, quaſi bouis hillæ, quòd eò uulnerata bos ſua trahens inteſtina, deuenerit. Oui. lib. 4. Faſt. quòd urbi propinquæ eſſent, ſuburbanas cognominat:*

Orta ſuburbanis quædam fuit Anna bouillis.

Brancus, (βράγχος) *Theſſalus quidam fuit, ab Apolline tantopere adamatus, ut coronam, & uirgam, & uaticinandi peritiam ab eo acceperit. Quare cùm poſtea nuſquam apparuiſſet, deus creditus eſt, templumq́; cum Apolline commune obtinuit apud Poſideum Ioniæ promontorium ſtadijs circiter uiginti diſtans à littore. Huius ſacerdotes Branchidæ dicti ſunt, communibus Branchi & Apollinis Didymei ſacris præfecti: unde olim Branchidarum oraculum dictum fuit, ubi poſtea Apollinis Didymei nomine edita ſunt reſponſa. Branchi huius meminit Strabo lib. 14. & Statius lib. 3. Thebaid.*

Brénnus, (βρέννος) *Gallorum Senonum dux fuit, qui Brenonam Venetiæ urbem ædificauit, quæ poſtea literarum aliquot immutatione dicta eſt Verona. Hic cum trecentis armatorum millibus in Italiam irrumpens, Romanos apud Alliā fluuium ingenti clade profligauit: deinde*

ad urbem pergens, eandem cepit, totamq́; exuſsit, præter Capitolium, *quò nobilior iuuentus confugerat. Sed cùm & illud aggrederetur,* Romani *cum illo conuenerunt, ut acceptis aliquot auri talentis obſidionem ſolueret. Cùm igitur aurum penderetur, ipſe dux gladium ſuum uagina educens, & hunc penſari imperauit.* Sed *cùm hoc* Romani, *ut rem iniuſtam, recuſarent, atq; ita inuicē contenderent,* Camillus *exul, qui abſens* Dictator *creatus erat, collectis ijs, qui* Roma *profugerāt,* Gallos *ex improuiſo adortus eſt: qui relicto auro, cum maximo ſuorum detrimento fuga ſibi conſulere coacti ſunt.* Camillus *uerò eos continuò perſequens ex* Italia *expulit.* Poſtremò Brennus Apollinis Delphici *tēplum prædæ cauſa ingreſſus, ira numinis ſe interfecit.* Propert. *lib.* 3.

Torrida *ſacrilegum teſtantur limina* Brennum.

Briareus, (*βριάρεως*) *gigas,* Aetheris & Terræ *filius, quem poëtæ finxerunt centum habuiſſe brachia, & quinquaginta uentres.* Hunc *fingit* Homerus, *cùm* Pallas, Iuno, Neptunus, *alijq́; ex dijs nonnulli, aduerſus* Iouem *coniuraſſent, perſuaſum à* Thetide *in cœlum aſcendiſſe, ut* Ioui *ſuppetias ferret, deosq́; coniuratos illius aduentu territos à cœptis deſtitiſſe, & cum* Ioue *in gratiam rediſſe.* Hæc Homerus 1. Iliad. *ubi etiam hoc addit, à ſuperis quidem* Briareum *dictum fuiſſe, ab hominibus autem* Aegæonem.

Βριάρεων (*inquit*) καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίωνα.

Alij Briareum *inter eos numerant gigantes, qui aduerſus* Iouem *conſpirarunt: unde à* Vergil. *lib.* 6. *cum alijs monſtris in ueſtibulo inferorum collocatur.*

Cētauri (*inquit*) *in foribus ſtabulāt,* Scyllæq́; *biformes,*

Et

Et centumgeminus Briareus,*& bellua* Lernæ.

Dictus Briareus *à corporis robore.* Βριαρὸν *enim* Græci *fortem dicunt,& robuſtum.*

Brimo, (βριμὼ) *unum eſt ex* Hecates, *ſiue* Proſerpinæ *nominibus: ἀπὸ τοῦ βριμᾶν, hoc eſt, à terrendo impoſitum: eò quòd nocturna terriculamenta ab ea immitti credebantur: ut ex* Apollonij *interpretibus annotauit* Cœl. Rhodig. *li.*11.*cap.*16.

Briseis, (βρισηὶς) Lyrneſſia *puella fuit, à patre* Briſe *ita appellata, cùm uero nomine* Hippodamia *uocaretur.* Hæc, *capta* Lyrneſſo *urbe,* Achilli *uictori in ſortē ceſſit, & poſtea ab* Agamemnone *erepta implacabilis diſſidij cauſa fuit inter* Agamemnonem,*&* Achillem. Detrectabat *enim* Achilles Agamemnonis *imperium, neq; unquam adduci potuit, ut arma ſumeret, donec* Patrocli *mors nuntiata eum ad uindictam extimulauit.* Extat *huius* Briſeidos *ad* Achillem *epiſtola apud* Ouidium *in* Epiſtolis Heroidum.

Británnia, (βρεττανική, Straboni) *inſula in* Oceano Septentrionali, *omnium,quæ* Europæ *adiacent maxima: unde & orbem alterum quidam ex* Poëtis *appellauere: à* Britone *rege* Britannia *dicta,cùm prius* Albion *diceretur,ab albis montibus, qui ad eam nauigantibus primò apparent.* Hodie *in duas diuiſa eſt partes:quarum alteram,quæ in* Septentrionem *uergit,* Scoti *incolunt,* Caledoniæ *ſyluæ nomine ueteribus cognitā: alterā, quæ cultior eſt,&* Belgis *uicinior,* Angli *tenēt,* Saxoniæ *populi, prioribus incolis,qui* Britones *dicebātur, inde expulſis.* Hæc *ab* Ortu Germanico,*ab* Occaſu Hybernico,*à* Septentrione Caledonio Oceano *abluitur: ad* Meridiem *uerò anguſto freto à* Belgis *dirimitur.* Porrigitur *in longum*

octingentis millibus paſſuum. Huius *inſulæ incolæ* Bri*tanni*(βρεττανοὶ)*dicuntur.* Verg.1.Eclog.

Et *penitus toto diuiſos orbe* Britannos.

Hinc Britannicus,*a,um*,(βρεττανικὸς.) *Iuuenal.Sat.7.*

Q*uantum delphinis balena* Britannica *maior.*

Británnicus, (βρεττανικὸς) *filius fuit* Claudij Cæſaris *ex* Meſſalina, *primùm* Germanicus *dictus.* Hic *quamuis adhuc infans, à patre in caſtris ſæpe circunlatus fuiſſet, & militibus commendatus,* Neronis *tamen opera ueneno ſublatus eſt: ut eſt uidere apud* Tacitum *lib.13.* De *hoc Iuuenal. Sat.6.*

Oſtenditq; *tuum generoſe* Britannice *uentrem.*

Britomártis,(βριτόμαρτις) *puella fuit ex* Gortyne *Cretæ ciuitate,* Iouis & Charmes *filia,* Dianæ *in primis chara, alio nomine* Dictynna *appellata,* ἀπὸ τῶν δικτύων, *hoc eſt, à retibus, quorum uſum in uenatione traditur inueniſſe.* Hanc Minos Cretæ *rex fertur adamaſſe, cuius uim cùm alioqui effugere nõ poſſet, ex alta ſeſe rupe in mare præcipitauit.* Vide Verg. *in* Ciri, & Diodorum *lib.5.*

Brizo,(βριζὼ) *apud* Delios *uaticiniorum, quæ ex ſomnijs ſumuntur,* Dea *habita eſt: eiq; ſcaphas, omni genere bonorum plenas, ſolis piſcibus exceptis, offerebant.* Dicta *autem putatur* Brizo, *ab eo, quòd* βρίζειν *priſci* Græci *pro dormire dicebant.* Vide Cœl. Rhodig.*lib.27.cap.10.*

Brómius, (βρόμιος) Bacchi *cognomen,* ἀπὸ τοῦ βρέμειν, *id eſt, à fremendo: uel* ἀπὸ τοῦ βροντοῦ, *hoc eſt, à tonitru, eo quòd natus ſit cum tonitru, eius genitrice fulmine perempta.* Ouid.4.Metam.

Thura dabant, Bacchumq; *uocant,* Bromiũq;, Lyæũq;.

Brontes,(βρόντης) *unus ex* Cyclopibus, *miniſtris* Vulcani, *qui* Ioui *cudunt fulmina,* παρὰ τὴν βροντὴν, *hoc eſt,*

à ton

à tonitru dictus. Tres autem præcipuè à Vergilio *numerantur* Vulcani *miniſtri,* Brontes, *Steropes, &* Pyracmon, *quem* Ouid. 4. Faſtor. *Acmoniden appellat.* Hos Heſiodus *in* Theogonia *Cœli &* Terræ *filios facit: quanquam alij* ex Neptuno *&* Amphitrite *natos malint.* Vergilius 8. Aen.

> Ferrum exercebant uaſto Cyclopes in antro,
> Brontesq́;, Steropesq́;, & nudus membra Pyracmon.

Bróteas, & Ammon, (βροτέας, ϗ ἄμμων) *gemini fuerunt fratres, cæſtibus clari, qui in aula* Cephei *regis à* Phileo *occiſi ſunt.* Ouid. 5. Metam.

> Hinc gemini fratres Broteasq́;, & cæſtibus Ammon
> Inuicti, uinci ſi poſſent cæſtibus enſes
> Phinéa cecidere manu.

Brótheus, (βροθεὺς) Vulcani *filius fuit, qui irriſus propter oris deformitatem, coniecit ſe in ignem, & uitam incendio finire maluit, quàm omnium ludibrio eſſe expoſitus.* Ouidius *in* Ibin:

> Quodq́; ferunt Brotheum feciſſe cupidine mortis,
> Des tua ſuccenſo membra cremanda rogo.

Brundúſium, (βρεντέσιον Straboni) *urbs* Calabriæ, *ad mare* Adriaticum *ſita, uia* Appia *eouſq́; perducta, & portu inſigni nobilis, ex quo* Romanis *tritiſsimus olim fuit in* Græciam *tranſitus.* Græci Brenteſium *appellant, à* Brento *quodam (ſi* Stephano *credimus)* Herculis *filio. Aut certe à ceruini capitis ſimilitudine, quod* Meſſapij *ſua lingua* βρεντέσιον *appellabant: ut eſt autor* Strabo *libro 6.* Lucan. lib. 2.

> Brundusij tutas Magnus conſcendit in arces.

Brútij, (βρέττιοι Straboni) *populi ſunt in extremis* Italiæ *finibus, ſupra* Lucanos, *peninſulam incolentes, cuius*

l 5 Iſthm

Iſthmus à Lao fluuio uſq; ad Metapontium porrigitur. Hi Lucanorum olim paſtores fuerunt, qui excuſſo ſeruitutis iugo, trans Laum fluuium ſedes poſuerunt: unde & βρέττιοι à Lucanis dicti ſunt, quod illorum lingua fugitiuos ſonat. A Romanis autem Brutij appellati ſunt, quaſi bruti, hoc eſt, ſtupidi, & uecordes. Qua ignominia ideo notati ſunt, quòd ſecundi Punici belli tempore ad Annibalem deſciuiſſent: ob quam perfidiam ſemper deinde ſine honore, ſine dignitate habiti ſunt, ad ſeruilia tantùm opera, & uiliora munia ſoliti cōpelli. Brutiorum oppida fuerunt Temeſa, Terina, Coſentia, & Rhegium, in extremo Scyllæi promontorij ſitum, ea in parte, qua Sicilia olim ab Italia dicitur eſſe auulſa. Hinc Brutius, a, um. Perſius Sat. 6.

- Rupta trabe Brutia ſaxa
Prændit amicus inops.

Brutorum *familia Romæ in primis fuit illuſtris, ex qua primus fuit L. Iunius Brutus, à ſtultitia, quam Tarquinij metu ſimulabat, ita cognominatus. Hic exactis regibus, ciuitateq; in libertatem uindicata, primus Romæ cum L. Tarquinio factus eſt Conſul: rebusq; multis præclarè geſtis, tandem eo in prælio, quod ad Regillum lacum commiſſum eſt, occubuit: eumq; matronæ, ut fortiſsimum muliebris pudicitiæ uindicem, annum integrum luxerunt. De hoc Verg. 6. Aen.*

Vis & Tarquinios reges, animamq; ſuperbam
Vltoris Bruti, faſcesq; uidere receptos.

M. Brutus, unus fuit ex Cæſaris Dictatoris percuſſoribus, qui in campis Philippicis ab Octauio, & Antonio uictus, necem ſibi conſciuit. Decius Brutus, acerrimus publicæ libertatis propugnator fuit, qui Mutinæ aliquandiu ab

diu ab Antonio obſeſſus, eaq; obſidione Hircij & Panſæ opera liberatus, tandem à militibus ſuis deſertus eſt, & ab hoſtibus occiſus.

Bubáſtus, (*βȣ́βαςος Stephano*) *Aegypti urbs, in qua quotannis conuentus celebrabatur in honorem Dianæ: quæ & ipſa Bubaſtis ab urbis huius nomine fuit appellata. Ouid. 9. Metam.*

-Cum qua latrator Anubis,
Sanctaq; Bubaſtis.

Hinc Bubaſtitos nomos, appellabatur quædã ex Aegypti præfecturis, urbi huic ꝓxima, cuius meminit Pli. li. 5. ca. 9.

Búbaſus, (*βέυβασος*) *Cariæ regio eſt, cuius mulieres ab Ouidio uocantur Bubaſides, cùm inquit lib. 4. Metamor.*

Bubaſides uidere nurus.

Bucéphalus, (*βȣκέφαλος*) *equus fuit Alexandri, ab aſpectu toruo, ſeu ab inſigni taurini capitis armo impreſſi, nomen ſortitus. In cuius demortui memoriã Bucephalam Indiæ urbem condidit ad Hydaſpem fluuium, ut eſt autor Strabo lib. 15.*

Búpalus, li, (*βȣ́παλος*) *pictoris inſignis nomẽ, qui cùm Hipponactem Poëtam deformi figura pictum omnium riſui expoſuiſſet, tam mordaci ab eo carmine fuit perſtrictus, ut laqueo uitam finierit. Horat. in Epod.*

Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,
Aut acer hoſtis Bupalo.

Bupali huius meminit & Plin. lib. 36. cap. 5.

Bura, (*βȣ̃ρα*) *urbs fuit Achaîæ propriè dictæ, ad ſinũ Corinthiũ ſita, olim florentiſsima, nunc unà cum Helice uicina urbe maris impetu hauſta: de qua Oui. lib. 15. Metam.*

Si quæras Helicen, & Buran, Achaïdas urbes,
Inuenies ſub aquis: & adhuc oſtendere nautæ

Inclin

Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis.

Buſîris, (βȣ́σιρις) *Neptuni filius, ex* Libye *filia* Epaphi, *crudeliſſimus* Aegyptiorum *tyrannus fuit, quo tempore* Danaus Argiuis *imperauit.* Hic *cùm hoſpites omnes* Ioui *immolaret, ab* Hercule *in* Aegyptum *delato, cùm eaſdem illi inſidias pararet, unà cùm* Amphidamante *filio, & præcone* Chalbe, *& miniſtris aræ, interfectus eſt.* Vergil. 3. Georg.

- *Quis aut* Euryſtea *durum,*
Aut illaudati neſcit Buſiridis *aras?*

Eſt *&* Buſiris *nomen urbis in* Aegypto, *ad* Nilum *fluuium, à* Buſiride *condita: in qua fuit templum magnum* Iſidis. Hinc Buſtritica *præfectura, apud* Strabonẽ *lib.* 17.

Butes, (βȣ́της) *filius fuit* Amyci, Bebryciorum *regis, qui ob ſæuitiam patris ab* Argonautis *cæſi, regno pulſus, paruo nauigio* Drepanum *in* Siciliam *confugit, ubi à* Lycaſte *nobili meretrice hoſpitio ſuſceptus eſt: à qua cùm ob formæ, morumq́; elegantiã diligeretur, eius concubitu uſus,* Erycem *filium ex ea ſuſcepit: & quoniam* Lycaſte *ob eximiam pulchritudinem* Venus *uocabatur, datus eſt locus fabulæ,* Buten *ex* Venere *filium* Erycem *ſuſcepiſſe.* Contrà Verg. *lib.* 5. Aeneid. Buten *à* Darete *iuxta tumulum* Hectoris *occiſum tradit, inquiens:*

Idemq́; ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten *immani corpore, qui ſe*
Bebrycia *ueniens* Amyci *de gente ferebat,*
Perculit, *& fulua moribundum extendit arena.*

Alius fuit Butes Troianus, *à* Camilla *occiſus, ut eſt idem autor lib.* 11.

Protinus Orſilochũ, *&* Butẽ, *duo maxima* Teucrûm
Corpora, *&c.*

Butro

Buthrôtum, *ſiue* Buthrótos, *(βουθρωτὸς Stephano)* Romanorum *colonia eſt (teſte* Plinio *lib.4.cap.1.)in finibus* Epiri,*ad ſinum* Ambracium. Ouid.13.Metam.

-Epiros ab his,regnataq; uati
Buthrotos *Phrygio.*

Vergil.3.Aen.

-Portuq; ſubimus
Chaonio,& celſam Buthroti *aſcendimus arcem.*

Byblis,idis,*(βύβλις Suidæ) filia Mileti fuiſſe fertur ex Cyanee nympha,quæ à fratre Cauno, cuius amore deperibat,repulſa,impatientia amoris in fontem ſui nominis eſt mutata.*Ouid.9.Metamorph.

Sic lacrymis conſumpta ſuis Phœbeïa Byblis
Vertitur in fontem,qui nunc quoq; uallibus illis
Nomen habet dominæ,nigraq; ſub ilice manat.

Byrſa,*(βύρσα) arx fuit in media Carthaginienſium urbe, Eliſæ opus, quæ cùm fratrem fugiens in Africam perueniſſet,emit ab* Iarba *rege tantum ſoli, quantum taurino tegore poſſet circundare.*Diſſecto *deinde tergore in minutiſſimas laminas, tantum loci eo circundedit, quantum arci extruendæ ſat eſſet.* Vnde *& loco nomen inditum eſt. βύρσαν enim Græci corium appellant, & βυρσεῖα coriarium.*Verg.1.Aen.

Mercatiq; ſolum facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſet circundare tergo.

Byzántium,*(βυζάντιον) urbs Thraciæ,ad ipſum ſita* Boſphorum. *Primùm à* Pauſania *Spartanorum rege condita:poſtea à* Conſtantino *in maius aucta, & ſacri* Imperij *ſede eò translata,ab illius nomine Conſtãtinopolis dicta eſt.* Hinc *Byzãtius,a,um,adiect.ut,Littora* Byzãtia. *Ouidius 1.Triſt.*

Qua

Quaq; tenent Ponti Byzantia littora fauces,
Hic locus eſt gemini ianua uaſta maris.

Eſt item Byzantium, Libyphœnicum regio in Africa: quã deſcribit Plinius lib. 5. cap. 4.

Byzêres, (*βύζηρες Stephano*) *populi in Ponto, qui Straboni Byzares uocantur, olim Chalybes, & deinde Caldæi dicti. Valer. Flaccus 5. Argon.*

Byzeresq; uagi, Phyliræq; à nomine dicta
Littora.

Plinius lib. 6. cap. 4. Buzeros uocat. Ab his portus quidam Ponti, Buzericus (βουζηρικὸς λιμὴν) appellatur: cuius meminit & Stephanus.

C

CAballînus fons, (*ἱπποκρήνη*) *fons eſt limpidiſſimus in Helicone Bœotiæ mõte, Muſis cõſecratus, quẽ Pegaſus, in eo loco ſaxũ feriẽs, aperuit: unde & Pegaſeus uocatur. Autor Strabo. Vide infrà in dictione Helicon.*

Cacus, (*κάκος*) *Paſtor fuit, Auetini incola, qui inter cætera furta, quibus agrum Latinum quotidie infeſtabat, Herculis quoque boues, quos ille occiſo Gerione ex Hiſpania abduxerat, noctu è paſcuis abegit, & ne ueſtigijs furtum depræhenderetur, cauda in antrum ſuum pertraxit. Hercules ad primam auroram euigilans, cùm gregem perluſtraſſet oculis, & partem abeſſe numero ſenſiſſet, pergit ad proximam ſpeluncam, ſi fortè eò ueſtigia ferrent, quæ ubi omnia foràs uerſa uidet, nec in partem aliam ferre, incertus animi, abigere inde armentum cœpit. Verùm cũ præter ſpeluncam actæ boues quædam ad deſiderium, ut fit, relictarum mugiſſent, reddita incluſarum ex ſpelunca boum uox Herculem conuertit: quem ad ſpeluncam accedentem cùm Cacus aditu prohibere conaretur, claua*

ictus

ictus occubuit: ut latius exequitur Liuius *libr. 1. ab* Vrbe. Vergilius *libr. 8. Cacum* Vulcani *filium facit, ore ignem fumumq; euomentẽ. Cuius fabulæ originem* Mythologici *ad paſtoris huius latrocinia putant referendam, qui uicinum agrum ferro incendioq; crudeliſsimè uaſtabat: unde & Cacus ab Arcadibus dictus eſt, à malis nimirum, quæ uicinis inferebat.* De *hoc plura* Seruius *in illud* Vergilij *8.* Aeneidos,

Hîc ſpelunca fuit uaſto ſubmota receſſu
Semihominis Caci.

Cadmus, *(κάδμος)* Agenoris Phœnicũ *regis filius fuit, qui à patre miſſus ad quærendam* Europam *ſororem, iuſſusq; ſine ea non reuerti,* Apollinis *oraculum conſuluit, quid ſibi potiſsimùm agẽdum foret: cumq; reſponſum accepiſſet, ut indomitæ bouis ductum ſequeretur, ibiq; ſedem figeret, ubi illa procubuiſſet:* Dei *iuſsis obtemperans,* Thebas Bœotias *condidit,* Harmoniamq; Martis *ex* Venere *filiam uxorem duxit.* Hic *poſtea ſiue aſsiduis uictus calamitatibus, ut* Ouidio *placet, ſiue (ut alij malunt) à* Zeto *&* Amphione *pulſus,* Bœotiam *reliquit, unaq; cum uxore in* Illyricum *ſe contulit, ubi ambo mutati ſunt in dracones.* Cuius *transformationis cauſam ad* Martem *refert* Hyginus, *propterea quòd* Cadmus *draconem intereміſſet,* Caſtalij *fontis cuſtodem, dei illius numini ſacrum.* Hanc *fabulam latius exequitur* Ouidius *libro tertio & quarto* Metamor. Fertur *autem hic* Cadmus *ſuæ ætatis hominibus ingenij acumine præcelluiſſe, ut qui & ſedecim literas primus omnium in* Græciam *attulerit, & metallorum conflandorum inuenerit rationẽ: ut eſt autor* Plin. *libro 7. cap. 56.* Filias *reliquit quatuor,* Semelen, Agauen, Ino, & Autonoën, *quæ & ipſe miſerando fati*

genere

genere paternæ calamitatis conſortes extiterunt. Hinc fit Cadmêus,a,um,(κάδμειος.)Stat.8.Theb.

-Pudeat Cadmêa iuuentus.

Item Cadmeïus,a,um,per quatuor ſyllabas,(καδμεῖος.) Idem paulo pòſt:

-Leuius Cadmeïus Hæmon
Tela rotat.

Item Cadmeis,idis,(καδμηΐς) patronymicum fœm.Ouid. 4.Metamor.

Aequora diſtringunt ſummis Cadmeïdes alis.

Caducéum,(κηρύκειον) Mercurij uirga fuiſſe fertur,qua ille ad diſsidia & diſcordias tollendas utebatur:à cadendo dicta, quòd contentiones & bella cadere faceret. Nam quemadmodũ per Fæciales bella indicebantur,ita per Caduceatores finiebãtur.Non immeritò itaq; Mercurio,qui orationis Deus,& Deorum nuntius habebatur, aſsignatũ eſt caduceum, quòd diſsidentium animi oratione præcipuè ſedentur.Caduceum Aegyptij in ſpeciem duorum draconũ maris & fœminæ figurauerunt,qui parte media ſui uoluminis,nodo, quem Herculeum uocãt, ſibi alligantur, primisq; partibus reflexi, in modum circuli oſcula iungunt.Hanc uirgam Apollo dicitur inueniſſe, & Mercurio donauiſſe, lyra uiciſsim ab illo accepta.De draconibus autem caduceo additis hanc afferunt rationem: Mercurium,cùm hanc uirgam manu tenẽs in Arcadiam proficiſceretur,duos ſerpentes pugnantes inueniſſe, uirgaq; interpoſita dicto citius prælium diremiſſe. Ad cuius rei memoriam poſteri caduceum duorum draconum ſimilitudine figurarunt: illudq; Mercurio, ueluti peculiare inſigne, attribuerunt,qui illo & animas ab inferis reuocare, & ſomnum,quibus uolebat,immittere credebatur.Quod & ipſum

& ipſum non obſcurè tradit Vergil. 4. Aen.

Tum uirgam capit, hac animas ille euocat Orco
Pallenteis, *alias ſub triſtia* Tartara *mittit:*
Dat *ſomnos, adimitq́; & lumina morte reſignat.*
Illa fretus agit uentos, & turbida tr anat
Nubila.

Cæcias, (καικίας) *uentus flans inter* Aquilonem *& exortum æquinoctialẽ, nubes occulta quadam naturæ ratione ad ſe attrahens, non propellens: ut poſt* Ariſtotelem *docet* Plinius *libro* 2. *capite* 47.

Cæcilius, (καικίλιος) Poëta Comicus *fuit, cui* Volcatius Sedigitus *inter* Latinæ Comœdiæ *ſcriptores principatum tribuit.* Horatius *ita eum cum* Terentio *confert, ut illum grauitate, hunc arte ſuperiorem faciat:*

Vincere Cæcilius *grauitate,* Terentius *arte.*

Cæcubũ, *uini genus nobiliſsimũ fuit, in ſinu* Amyclano *paluſtribus in populetis naſcẽs, quòd* Neronis *culpa prorſus interijt, cũ ille foſſam à* Baiano *lacu* Oſtiam *uſq; per agrũ* Cæcubũ *duceret: ut refert* Pli. *lib.* 14. *cap.* 6. Marti. *lib.* 13.

Cæcuba Fundanis *generoſa coquuntur ahenis.*

Cæculus, Vulcani *filius habitus fuit: cuius mater cùm igni aſsideret, ſcintilla in gremium eius delata eſt, ex qua illa ſe grauidam factam credi uoluit: expletisq; legitimis menſibus puerum peperit, quem, quòd minores haberet oculorũ orbes,* Cæculũ *appellauit.* Hic *poſtea adultus, cùm aliquot annos incertis ſedibus uagatus eſſet, rapto ſe alens & latrocinijs, tandem* Præneſtinam *ciuitatem condidit.* Cumq; *uicinos populos ad ludorum ſpectacula conuocaſſet, monere eos cœpit, ut relictis ſedibus ſuis, nouam urbem ſecum incolerent: neq; ſuum, qui* Vulcani *filius eſſet, imperium aſpernarentur.* Quod *cùm illis perſuadere*

non poſſet, Vulcanum dicitur inuocaſſe, ut ſi reuera ipſius eſſet filius, id ſigno aliquo declararet. Quo facto flãmam protinus illuxiſſe aiunt, quæ uniuerſum illum cœtũ undiq; circumſepſit, tantamq́; omnibus religionem incuſſit, ut non ægrè in Cæculi ſententiam tranſirent. Alij tradunt Cæculum recèns natum à paſtoribus in igne inuentum eſſe, nulla ſui parte à flammis uiolatum: indeq́; factum eſſe, ut Vulcani filius crederetur. Vide plura de hoc apud Seruium in illud Vergil. lib. Aeneid. 7.

Nec Prænestinæ fundator defuit urbis:
Vulcano genitum, pecora inter agreſtia, regem,
Inuentumq́; focis, omnis quem credidit ætas:
Cæculus, &c.

Cælius, *mons urbis Romæ, unus ex ſeptem: à Cælio Vibeno nobiliſsimo duce Thuſco dictus, qui Romulo aduerſus Tatium regem auxilio uenit: à quo & Cælimontia, aut Cælimontana porta nomen accepit. Hunc montem Tul. Hoſtilius urbi addidit, ibiq; ipſe habitauit, quò frequẽtius habitaretur, ut inquit Liuius lib. 1. ab urbe. Cæliũ quoq; Latinorum nonnulli Saturni patrem appellant, quem & Græco nomine Vranon dicimus.*

Cænæus, (καιναῖος) *Iouis cognomentum eſt, à Cæne impoſitum, ſinus Laconici oppido, ubi ſummis honoribus colebatur. Ouid. 9. Metam.*

Victor ab Oechalia Cænæo ſacra parabat
Vota Ioui.

Cæneus diſsyllabum, (καινεύς) *uide in dictione Cænis.*

Cænis, (καίνις) *Theſſalica puella fuit, quæ à Neptuno per uim compreſſa, ab eo muneris loco impetrauit, ut in uirũ transformaretur, nulliſq; unquã uulneribus poſſet ſauciari. Mutato itaq; ſexu, etiam nomen mutauit: & ex Cænide*

factus eſt Cæneus. Hic *cum* Lapithis *pugnans aduerſus* Centauros, *cùm nullo teli genere poſſet uiolari, congeſto in eum magna arborum mole, uiuus obrutus eſt, & in* Cæ*nidem auem transformatus: ut fabulatur* Ouidius *libro* 12. Metam. *Quanquam* Vergilius *à morte non in auem transformatum uelit, ſed in muliebrem rediiſſe ſexum. Sic enim habet libro* 6. Aen.

It comes & iuuenis quondam, nunc fœmina, Cæneus,
Rurſus & in ueterem fato reuoluta figuram.

Cære, (χαιρὴ Stephano) *urbis inſignis nomẽ in* Hetruria, *quæ olim regionis totius caput fuit.* Hanc *quondam* A*gyllam nominatam, & à* Pelaſgis *è* Theſſalia *profectis conditam ferunt.* Deinde *uerò* Lydis, *quos poſtea* Tyr*rhenos nominauerunt, aduerſus* Agyllinos *bellũ gerentibus, cùm quidam murum ſubiens, urbis eius nomen percontatus fuiſſet, eiq; à* Theſſalo *quodam de muro* χαῖρε *reſponſum eſſet, eo ueluti omine à* Thuſcis *accepto, captam poſtea urbem, mutato priori nomine, Cære uocauere.* Verum *tam ſplendidæ, tamq; glorioſæ ciuitatis,* Strabo *libro* 5. *aſſerit, uix ulla ſua ætate extitiſſe ueſtigia: & ſolo uicinorum balneorum nomine, quæ Cæretena dicebãtur, fuiſſe celebratam. Ab hoc oppido Cærites tabulæ appellatæ ſunt, in quas Cenſores referri iubebant, quos notæ cauſa ſuffragiis priuabant.* Nam *urbe à* Gallis *capta, cùm Cæretani eos, qui unà cùm ſacris, æternoq; Veſtæ igne ad ſe profugerant, comiter hoſpitio ſuſcepiſſent,* Romani *deinde reſtituta in ſtatum meliorem urbe, ſatis malignam illis gratiam retulerunt.* Nam *ciuitate quidem eos donauerunt, ſuffragii autem ius eis non conceſſerunt.* Hinc *factũ eſt, ut cùm aliquem ignominia & contumelia dignum uolumus ſignificare, Cærite cera eum dignum eſſe dicamus.*

m 2 Horat,

Horat.lib.1.Epiſt.

Quid deceat, quid non obliti, cærite cera
Digni, &c.

Cæſar, (καίσαρ) *Iuliæ familiæ cognomen fuit, inde tractũ, quòd qui primus ex gente Iulia id cognominis eſt ſortitus, cæſo matris utero natus tradatur. Ex hac familia omnium clariſsimus fuit C. Iulius Cæſar, qui omnem Galliam, quæ ſaltu Pyrenæo, Alpibusq́;, & monte Gebenna, fluminibusq́; Rhodano & Rheno cõtinetur, nouẽ annis in prouinciæ formã redegit. Germanos, qui trans Rhenũ incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggreſſus, maximis affecit cladibus. Aggreſſus eſt & Britannos, ignotos antea, ſuperatisq́; pecunias et obſides imperauit. Deinde cùm obtinere non potuiſſet, ut ſui abſentis in Conſularibus comitijs ratio haberetur, arma in patriam conuertit: nemineq́; repugnãte Galliã Ciſalpinã, Picenũ, Vmbriã, & Hetruriam occupauit: Põpeiumq́; Italia expulit. Poſt hæc in Hiſpaniam tranſgreſſus, ualidiſsimas Pompeij copias, quæ ſub tribus legatis, M. Petreio, L. Afranio, & M. Varrone erãt, ſuperauit. Pompeiũ funeſtiſsimo in campis Pharſalicis prælio ſuperauit. Ptolemæum in Aegypto ſubegit. In Aphrica deuicit Scipionem & Iubam. In Hiſpania liberos Pompeij. Triumphauit quinquies: primùm de Gallia, poſtea de Alexandria, deinde de Ponto, de Africa, & de Hiſpania. Liberaliſsimus fuit omniũ, & maximè poſt hos triũphos. Perijt in Senatu à Bruto, Caſsio, & reliquis coniuratis quatuor & uiginti uulneribus confoſſus, infinitis propemodũ portentis mortem eius antè denuntiantibus: quorum bonam partem enumerat Verg. lib. 1. Georg. ibi:*

Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,

Cùm

Cùm caput obſcura nitidum ferrugine texit.

Cæſenna,(*κάισεννα*)*urbs* Flaminiæ *prouinciæ,à cædēdo, quòd exiguo amne cæſa,id eſt,diuiſa ſit: uel quòd ager eius duobus fluminibus,Sapi,& Rubicone ſit diuiſus*.Hinc *Cæſennates dicti ſunt,Cæſennam habitantes,& Cæſennatia uina,quæ inter generoſa numerabantur.*

Caîcus,(*κάϊκος*)*fluuius eſt Myſiæ,in Theutrania naſcēs, & per campum ſui nominis in* Elaïticum *ſinum defluens. Vergil.*4.Georg.

Saxoſumq́; ſonans Hypanis,*Myſusq́; Caicus.*

Caiêta,(*καιάττα Straboni*) *nomen mulieris* Troianæ,*quā alij Aeneæ,alij Aſcanij,alij Creuſæ nutricem faciūt.*Hanc *Aeneas ab inferis reuerſus fato ceßiſſe inueniens,non longè à* Baiano *ſinu ſepelijt:ibiq́; & urbem condidit, quam unà cum adiacenti portu Caietam dixit.Verg.lib.7.Aen.*

Tu quoq́; littoribus noſtris Aeneïa nutrix
Aeternam moriens famam Caieta dediſti.

*Strabo autem lib.5.Caietam à ſinus curuitate appellatam exiſtimat,*Laconum *idiomate,qui curua omnia καιάττας ſolent nominare.*

Calábria,(*καλαβρία*) *extrema* Italiæ *regio eſt,peninſulæ formam referens,cuius* Iſthmus *eſt,unius diei uia,quæ à* Tarento Brunduſium *ducit. Alijs nominibus* Meſſapia, *&* Salentina,& Peucetia *dicta eſt, teſte* Strabone *libr.6. &* Plin.*lib.3.cap.11.Oppida eius præcipua ſunt* Brunduduſium, & Hydrûs, *totius* Italiæ *extremum.* Horat.*1.* Carm.Ode 31.

Non *æſtuoſæ grata Calabriæ*
Armenta.

Huius regionis incolæ Calabri(*καλαβροὶ*)*dicuntur, fructibus imprimis abundantes:quos quoniam hoſpitibus ob*

trudebant,ſibi alioqui nulli uſui futuros,factum eſt,ut Do*na* Calabri *hoſpitis in prouerbium ceſſerint, pro nullius pretij muneribus,quæ donāti oneri magis ſunt,quàm uſui.* In Calabria *natus eſt* Ennius Poëta, Rudijs *ignobili oppido:ubi & hortos amœniſſimos poſſedit.*Oui.3.*de* Arte:

Ennius *emeruit* Calabris *in montibus hortos.*

Cálais,(*καλαΐς*)Boreæ *ex* Orithyia *coniuge filius alatus, qui unà cum* Zethe *fratre ſimiliter alato cum* Argonautis Colchos *profectus eſt.* Qua *in expeditione, cùm à* Phineo *rege humaniter eſſent accepti,* Harpyias, *quæ epulas eius fœdabant,perſequi conſtituerunt:quas cùm & alarum auxilio,& ſagittādi peritia in* Plotas *uſq; inſulas fugaſſent, ab* Iride *admoniti ſunt,ne* Iouis *canes ulterius perſequerentur.* Inde *itaq; retrorſum conuerſi,duas illas inſulas,in quibus* Harpyias *reliquerunt,à conuerſione ſua* Strophadas *appellarunt, cùm antea* Plotæ *dicerentur.* Poſtremò *ab* Hercule *occiſi dicuntur, & in uentos commutati, qui* Caniculæ *exortum dies ferè octo præueniūt:unde & πρόδρομοι, id eſt, præcurſores appellantur.* De *his* Ouidius *lib.6.*Metamor.

Barbaq; *dum rutilis aberat ſubnixa capillis,*
Implumes Calaiſq; *puer,* Zetheſq; *fuerunt.*

Calauréa,*ſiue* Calaúria,(*καλάυρια* Stephano) *inſula eſt in ſinu* Argolico *cōtra* Trœzenem,*nulla alia re, quàm morte* Demoſthenis,*nobilior.* In *hac etenim inſula templum erat* Neptuni,*quò* Demoſthenes, *audito* Archiæ *ſatellitis* Antipatri *aduentu,confugit, & ne uiuus in* Antipatri *poteſtatem perueniret,hauſto ueneno ex calamo, uitam finiuit.* In *hac inſula* Diana *ſummis honoribus colebatur,quam inde* Calauream *cognominat* Ouidius *libr.7.* Metamorph.

Inde

Inde Calaureæ Latoïdos aſpicit arua.

Cálchas,antis, (*κάλχας*) *proprium nomen Græci auguris, Theſtoris filij (à quo Theſtorides à Poëtis appellatur) qui cum Græcis ad expeditionem Troiæ profectus eſt: & quoniam diuinandi arte plurimùm præſtabat, eius conſilio multa geſta ſunt. Nam cùm in Aulide Græcorum claßis aduerſis uentis detineretur, Agamemnonem docuit, qua ratione Dianæ ira placari poſſet: & ex ſerpentis augurio, qui in arborem ſurrepens, duodecim paſſeris pullos unà cum matre deuorarat, decimo demum anno Ilium captum iri oſtendit. Exortaq; deinde ad Troiam peſtilentia, uiam monſtrauit, qua Apollinis ira poſſet mitigari. Quapropter inter cæteros Achilli acceptißimus erat, adeò ut eius præſidio plerunq; defenderetur, præcipuè uerò cùm ſuaderet Chryſeidem patri reddendam eſſe. Tum enim Agamemnon non ſolùm in uatem, ſed etiam in ipſum Achillem incenſus ferebatur. Diruta autem Troia reuerſus cum Amphilocho Amphiarai filio terreſtri itinere Colophonem (quæ urbs eſt Ioniæ) cùm in luco Apollinis Clarij extra urbē apud fanum in Mopſum præſtantißimum augurem incidiſſet, artis peritia ab illo ſuperatus, dolore contabuit, quòd propoſita ſibi à Mopſo caprifico (ut refert Heſiodus) aut (ut Pherecydes mauult) ſue grauida, conijcere non potuiſſet, quot in illa ficus eſſent, quótue hæc utero ſuculas gereret: quod tamen Mopſus ſine ullo errore diuinauit. De Calchante uide multa apud Homerum lib. 1. Iliad. & Vergil. 2. Aeneid.*

Caledónia, (*καληδονία*) *Britanniæ inſulæ pars fuit, quam hodie Scotiam uocāt, uaſtißimam olim habens ſyluam, quæ & ipſa Caledonia dicebatur, maximos alens urſos. Martialis in Amphitheatro:*

Nuda Caledonio ſic uiſcera præbuit urſo.

Inde etiam Britanni peculiari epitheto Caledonij dicuntur à Poëtis. Idem:

Quinte Caledonios Ouidi uiſure Britannos.

Corripit autem hoc nomen in hac ſignificatione antepenultimam ſyllabam, ſecundã uerò producit. apud Græcos enim ſcribitur per η. Contrà cùm Aetoliæ ſyluã ſignificamus, ſecunda ſyllaba ſcribitur per y Græcum, & ubiq; corripitur, ſequẽs autem producitur, eò quòd apud Græcos ſcribatur per ω, ut idoneis teſtimonijs confirmabimus ſuo loco.

Cales, ium, *ſiue* Calênum, ni, *(καληνὸν) oppidum Campaniæ non procul à Caſilino, in cuius agro mite & generoſum naſcebatur uinum. Horat. lib. 4. Carm.*

Sed preſſum Calibus ducere Liberum
Si geſtis.

Hinc Calenus, a, um. Idem 1. Carm.

Cæcubum, & prelo domitam Caleno
Tu bibes uuam.

Callímachus, *(Καλλίμαχος) Poëta fuit Cyrenenſis, Elegiographorum inter Græcos princeps. Scripſit opus inſigne de Origine & cauſis ſacrorum, quæ αἴτια inſcripſit, argumento non diſsimili ab eo, quod in Faſtis Ouidius tractauit. Martialis ad Mamurram, Epig. lib. 10.*

Si non uis, Mamurra, tuos cognoſcere mores,
Nec te ſcire, legas Aetia Callimachi.

Callíope, *(Καλλιόπη) una Muſarum, Orpheï mater, quæ heroico carmini præeſſe exiſtimatur, à uocis ſuauitate nomen habens. Verg. in Epigram.*

Carmina Calliope libris heroïca mandat.

Effertur & Calliopea, per quinque ſyllabas, (Καλλιόπεια) quemad

quemadmodum Penelope,& Penelopea. Verg.4. Eclog.

Orphẽ Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Callírrhoë,(καλλιῤῥόη) fons eſt in agro Attico, nouem habens fiſtulas: unde & Ἐννεάκρουνος dictus eſt. Poëtæ alterum ex hoc nomine r, abijciunt. Statius 12. Theb.

Et quos Callirhoë nouies errantibus undis
Implicat.

Fuit item Callirrhoë, Acheloi fluminis filia, ab Alcmæone Amphiarai filio adamata: ut latius docuimus in dictionibus Alcmæon, & Alpheſibœa.

Calliſto, ûs, (καλλιστώ) Lycaonis Arcadiæ regis filia, quæ à Ioue cõpreſſa, grauidaq; effecta, cũ ſimul cũ Diana lauaretur, tumore uteri prodita, et ab ea repulſa, Arcadẽ filiũ in ſyluis peperit: à quo poſtea Arcadia dicta eſt. Hæc poſtea à Iunone in urſam conmutata, & Iouis miſeratione in cœlo collocata, maiorẽ efficit Vrſam: quæ & Helice à Græcis dicitur. Propertius lib.2.

Calliſto Arcadios errauerat urſa per agros:
Hæc nocturna ſuo ſidere uela regit.

Calpe,(κάλπη) mons eſt in extremis Hiſpaniæ finibus, freto incumbens, ambitu quidem non magnus, ſed altitudine ingens, è regione oppoſitam habens Abilam, extremum Mauritaniæ montem, forma & magnitudine non diſsimilem: qui duo montes procul aſpicientibus columnarũ ſpeciem præbent. Sub hoc monte ſita fuit Tarteſſus urbs uetuſtiſsima, alio nomine Carteia dicta: unde & Tarteſsia Calpe à Poëtis appellatur. Auſonius:

Condiderat iam Solis equos Tarteſsia Calpe.

Cálydon,(καλυδὼν Steph.) Aetolorũ ciuitas, regia Oenei patris Meleagri, diſtans à mari ſeptẽ milliũ quingentorũ paſſuũ ſpatio, Eueno fluuio interfluẽte diuiſa. Luc.

Et Meleagream maculatus ſanguine Neßi
Euenos Calydona ſecat.

Ab hac urbe uicina ſylua Calydonia dicta eſt, in qua Meleager miræ magnitudinis aprum interfecit, quem & ipſi poëtæ Calydonium aprum uocant. Fuit præterea in ea Britanniæ parte, quam hodie Scotiam uocant, Caledonia ſylua. Sed hoc ferè obſeruãt poëtæ, ut cùm Aetoliæ ſyluã denotare uelint, ſecundam nominis huius ſyllabam per y Græcum ſcribãt, eandemq́; corripiant, producant autem antepenultimam. Contrà cùm Britanniæ ſyluam uolunt ſignificare, ſecundam ſyllabam per e ſcribant, eandemq́; producant, correpta antepenultima. A Calydone Aetoliæ urbe deducitur patronymicum fœm. Calydonis, idis, (καλυδωνὶς.) Ouid. 8. Metamor.

Plangunt ſe matres Calydonides.

Calypſo, (καλυψὼ) *nympha Oceani & Tethyos filia: uel (ut aliquibus placet) Atlantis. Regnauit in Ogygia inſula, Lacinio promontorio adiacente, quam poſtea à nomine ipſius Calypsûs inſulam nominarunt: ubi Vlyſſem naufragum humaniter excepit, & in ſeptimum uſq; annum apud ſe retinuit, coniugium illi ſuum & immortalitatem offerens: quæ tamen ille patriæ, & Penelopes ſuæ amori omnia poſthabuit. Vide Homerum Odyß. lib. 5. Ouid. 4. de Ponto:*

An graue ſex annis pulchram fouiſſe Calypſo,
Aequoreamq́; fuit detinuiſſe deam?

Camarîna, (καμαρίνη Steph.) *palus eſt Siciliæ, iuxta oppidum eiuſdem nominis, cuius aquæ cùm fœtore ſuo peſtem generarent, cõſuluerunt Apollinem, expediretne ipſis Camarinam exiccari: quibus ab Apolline reſponſum eſt, Camarinam non eſſe mouendam. Neglecto tamen o-*

raculo

raculo ſiccauerunt paludem, per quam mox ingreßis hoſtibus contempti oraculi pœnas dederunt. Hinc *ma-nauit prouerbium,* Camarinam *mouere;pro eo quod eſt, ſibi malũ accerſere.* Vide *Seruiũ in illud* Vergilij 3.Aen.

-Et *fatis nunquam conceßa moueri*
Apparet *Camarina procul,campiq́;* Geloï.

Cambyſes,(καμβύσης) *Perſarũ et* Medorũ *rex,Cyri fi-lius,qui patrijs regnis* Aegyptũ *adiecit.Sed offenſus illo-rũ ſuperſtitionibus,* Apidis, *cæterorũq́; deorũ ædes dirui iußit.* Ad Ammonis *quoque templũ expugnandũ exerci tũ miſit, qui in* Libya *deſerta arenis obrutus uniuerſus interijt.* Ipſe *quoque cùm ſuo ſeſe gladio imprudẽs læſiſ-ſet,deorũ (ut creditur)ultione, leuißimo ex uulnere mor tem oppetijt. qua de re uide* Herodot.*libr.*2. Eſt *etiam hoc nomine fluuius* Hyrcaniæ,*ortum habens in montibus* Caucasijs, *Septentrionem uerſus per* Iberos *&* Albanos *defluens.* Autor Pli. *lib.*6.*cap.*13.

Camerînum,(καμέρινον Ptolemæo) *inſignis fuit* Vm-*briæ urbs,à ſitus curuitate dicta.* Huius *incolæ* Camertes *dicuntur.*Silius *lib.*8. -Et *armis,*
Vel *caſtris laudande* Camers.

Camilla,(κάμιλλα) *Metabi* Volſcorum *regis, &* Caſ-*millæ filia,quam pater inuidia ſuorum regno pulſus* Di-*anæ famulam uouit.*Quare *ab ineunte ætate uenationi-bus eam,& omni armorum genere exercuit:quibus in re bus breui tantopere profecit, ut ſummam ſibi ex re mili-tari laudem pepererit.* Tandem *cùm* Turno *aduerſus* Aeneam *ſuppetias ferret,ab* Arunte *quodam ex inſidijs eſt interfecta:ut latius deſcribit* Verg.11.Aen.*ibi,*

Pulſus ob inuidiam regno,uiresq́; ſuperbas
Priuerno *antiqua* Metabus *cùm excederet urbe,*

Infantem

Infantem fugiens media inter prælia belli
Suſtulit exilio comitem, matriſq; uocauit
Nomine Caſmillæ mutilata parte Camillam.

Camillus, (κάμιλλος) *qui & alter Romulus dictus eſt, Romanorum ſuæ ætatis clariſsimus fuit, qui Veios toto decennio obſeſſos per cuniculos cepit. Nec multò pòſt, cùm crimini illi daretur, quòd albis equis triumphaſſet, & prædam iniquè diuiſiſſet, die dicta ab Apuleio Saturnino Tribuno plebis, damnatus Ardeam conceſsit. Mox cùm Galli Senones urbẽ diripuiſſent, ipſumq; Capitolium arctiſsima premerent obſidione, abſens Dictator factus, collectis ex fuga Romanorum reliquijs, Gallos pendendo auro intentos, incautos oppreſsit, patriamq; in libertatem uindicauit. Poſt hæc Pop. Romanum Veios migrare uolentem, elegantiſsima illa, quæ apud Liuium legitur, concione retinuit: in qua omnes urbis dotes laudesq; licet agnoſcere. Tertiùm deinde Dictator creatus, Satricum ſociam Pop. Romani urbem, ab impetu Latinorum tutatus eſt. Quartùm Dictator ad ſedandam populi ſeditionem factus, ualetudinem excuſauit: aliumq; ſibi ſurrogandum curauit. Quintùm Dictator Gallos iterum Romam petentes, & ad flumen Anienen caſtrametatos, ſuperauit. Poſtremò Romæ octogenarius peſtilentia interijt. De hoc Ver. 6. Aen.*

Aſpice Torquatum, & referentem ſigna Camillum.

Camirus, (κάμιρος) *urbs fuit in Rhodo, ita dicta à Camiro Herculis filio, quem ex Iole Euryti regis filia ſuſceperat: cuius meminit Homerus in Catalogo nauium.*

Λίνδον, Ἰήλυσόν τε, καὶ ἀργινόεντα Κάμειρον.

Camœnæ, (μοῦσαι) *eædem quæ Muſæ, Iouis & Memoriæ filiæ, à cantus amœnitate (ut quidam uolunt) ita appellatæ.*

pellatæ. Varro tamen autor eſt, ab antiquis Carmœnas, & Caſmœnas dictas fuiſſe, quæ poſtea abiecto r, uel ſ, Camœnæ ſunt appellatæ. Verg. 3. Eclog.

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

Legitur & Camœna, ſing. num. Perſius Sat. 5.

-Tibi nunc hortante Camœna
Excutienda damus præcordia.

Campánia, (καμπανία) regio Italiæ fertiliſsima, in qua ſummum eſt Liberi patris (ut uenuſtè à Plinio dictum eſt) & Cereris certamen: ſic dicta, quòd campeſtris ſit. Iuuenalis:

Prouida Pompeio dederat Campania febres.

Vrbes præcipuas olim habuit Capuam, Neapolim, Cumas, Puteolos, Nolam, aliasq; cõplures. Hinc Campanus, a, um, adiectiuum: ut, Vrbs Campana. Verg. 10. Aen.

Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

Morbus Campanus. Hora. 1. Serm.

Campanum ob morbum in faciem permulta iocatus.

Campus lapídeus, (λιθινὸν πεδίον) Galliæ Narbonenſis campus eſt, centenûm ferè ſtadiorum diametrum habens, lapidibus, qui ſinguli manum impleant, pleniſsimus: ſub quibus gramen exoritur, à quo pecoribus pabuli ſuppeditatur ubertas. In medio ſalſæ ſcantent aquæ, ſalisq; uis magna. Vniuerſa circumadiacens ora, uentis expoſita eſt. Validiſsimè autem Melamborij uenti procellis infeſtatur: quo ſaxa ipſa uolui tradũtur, hominesq; ex curribus excuti, & ui uentorum armis ueſtibusq; nudari. Huius rei originem ad huiuſmodi referunt fabulam, Herculem cum Albione & Bergione Neptuni filijs pugnantem, cùm deficientibus telis in uitæ diſcrimen ueniſſet, Iouem patrem oraſſe, ut ſibi tela miniſtraret: ſtatimq; imbrem

lapid

lapideum ea in loca decidiſſe, quo gigantes fuerunt inter- empti. Vide de hoc plura apud Strabonem lib. 4.

Cánace, (κανάκη) *Aeoli filia fuit, quæ cum fratre Macareo corpore miſto, puerũ peperit, cuius & mater erat, & amita: qui cũ per aui aulã à nutrice efferretur, uagitu ſuo Aeolo proditus eſt, eiusq; iuſſu canibus obiectus. Filiæ autem pater enſem per ſatellitem miſit, ut illo pro meritis uteretur: eoq; ſibi necem illa traditur conſciuiſſe. Extat epiſtola Canaces ad Macareum fratrem inter Ouidianas.*

Cánache, (κανάχη) *ab Ouidio 3. Metam. numeratur inter canes Actæonis: quod nomen ἀπὸ τῆς κανακῆς, hoc eſt, à clamore, & ſtrepitu impoſitum uidetur.*

Cándace, (κανδάκη Straboni & Suidæ) *Aethiopum regina fuit, tempore Auguſti, maximi animi mulier, tantiq; in ſuos meriti, ut omnes deinceps Aethiopũ reginæ, eius nomine fuerint appellatæ, teſte Plinio lib. 6. cap. 29.*

Candáuia, (κανδαουΐα Straboni) *mons eſt in ea parte Macedoniæ, quæ in mare Adriaticum uergit, LXX. M. paſſ. à Dyrrhachio diſtans. Lucan. lib. 6.*

Deuia quà uaſtos aperit Candauia ſaltus.

Cancer, cri, (καρκίνος) *quantum ad præſens attinet inſtitutum, unum eſt ex duodecim Zodiaci ſignis, à quadam cancri piſcis ſimilitudine ita dictum: eò quòd Sol menſe Iunio ſignum hoc perambulans, paulatim incipit à nobis recedere, & curſu retrogrado ferri, in modum cancri. Refert Hyginus, hunc fuiſſe cancrum, qui à Iunone in Herculem, cum Hydra Lernæa pugnantem, immiſſus fuit: qui cùm pedem eius momordiſſet, ab Hercule occiſus eſt, & à Iunone inter ſidera collocatus. Verg. Eclog. 10.*

Aethiopum uerſemus oues ſub ſidere Cancri.

Candiope,(κανδιόπη) *Oenopionis filia, & Orionis ſoror,(ut* Theodotion *aſſerit) quam cùm frater in uenatione in antrum traxiſſet, uim illi intulit, & ex ea* Hippolagum *ſuſcepit: quod cùm* Oenopion *reſciuiſſet, indignatus, filium exulatum abire iußit: qui oraculo edoctus, uerſus orientem in* Thraciam *cum* Candiope *& paruo filio delatus eſt, ibiq; ob inſignes uirtutes in magno pretio fuit.*

Canens,entis,*Nympha fuit,* Pici Laurentum *regis uxor, quæ cùm uirum à* Circe *in auem mutatum ſupra modum lugeret, extabuit, & loco cuidam ad ripam* Tiberis, *ubi hæc contigerunt, nomē ſuū reliquit.* Ouidius *14.* Metamorph.

> *Fama tamen ſignata loco eſt, quem ritè Canentem*
> *Nomine de Nymphæ ueteres dixere coloni.*

Canicula, (προκύων) *ſtella eſt lucida in ore* Canis, *quæ quòd* Canem *diem unum, noctemq; unam anteuertat, à* Græcis Procyon, *à* Cicerone *etiam* Antecanis *appellatur.* Hinc Caniculares *dies dicti ſunt, quibus hæc ſtella in medio cœli centro ſita, & cum* Sole *coniuncta, æſtum duplicat.* Fabulantur Poëtæ *canem hanc fuiſſe* Erigones, *quæ cùm &* Icarium *à paſtoribus occiſum, & filiam herilem laqueo uitam finiuiſſe uideret, dolore contabuit: ob quam pietatem* Iupiter *eam unà cum* Erigone *in cœlum tranſtulit.*

Canis,(κύων) *quantum ad præſens attinet inſtitutum, ſidus eſt cœleſte, oriens* XVII. Cal. Auguſti, *occidens autem, ſed non totum, poſt dies quadraginta; quod dierum ſpatium* Dies Caniculares *appellamus: quo tempore ſidus hoc in medio cœli centro cum* Sole *coniunctum æſtū conduplicat.* Vnde *& nomen inuenit, quòd nimio calore*

mordere

mordere quodammodo uideatur: unde Aeſtiferum canem appellat Verg. 2. Georg. *Poëtæ fabulantur, canem hunc Europæ cuſtodem fuiſſe, à* Ioue *illi appoſitum, fideliſq; miniſterij gratia in cœlum translatum.* Alij Orionis *canem fuiſſe uolunt, unà cum hero inter ſidera collocatum.* Vide Hyginum *in tractatu de* Signis *cœleſt.*

Cannæ, arũ, (*κάνναι*) *uicus* Apuliæ, *nõ procul ab* Aufido *fluuio, circa quem* Annibal Paulum Aemilium, & Terentium Varronem *Conſules ingenti clade ſuperauit, cæſis quadraginta* Romanorum *millibus, tantoq; equitum numero, ut tres anulorum modios in ſignum uictoriæ* Carthaginem *tranſmiſerit.* Luc. *lib.* 7.

-Non *illum* Pœnus *humator*
Conſulis, & Libyca *ſuccenſæ lampade* Cannæ
Compellunt, *hominum ritus ut ſeruet in hoſtes.*

Canôpus, (*κάνωπος* Suid.) *ciuitas* Aegypti, *diſtans ab* Alexandria c x x. *ſtad. ex qua ortum ferunt* Claudianum *poëtam: dicta, quaſi* Canobus, *à* Canobo Amyclæo, Menelai *nauis gubernatore, ibi ſepulto. Nam deuicta* Troia, *in* Aegyptum *ui uentorum delatus cum* Helena, *gubernatorem ictu ſerpentis, quem* Hæmorrhoida *uocãt, amiſit, in eiuſq; memoriam urbem condidit, relictis ibi ijs, qui ad nauigandum inutiles erant. De hac* Iuuenal. Satyra 15.

-*Sed luxuria, quantum ipſe notaui,*
Barbara *famoſo non cedit turba* Canopo.

Item Vergilius 4. Georg.

Nam *quà* Pellæi *gens fortunata* Canopi
Accolit *effuſo ſtagnantem flumine* Nilum.

Canopo *proximum eſt extremum* Nili *oſtium,* Africam *dirimens ab* Aegypto, *quod ab urbis huius nomine* Canopicum

picum appellatur: cuius meminit Strabo lib. ultimo, & Plin.lib.5.cap.10. Eſt præterea Canopus ſyderis nomen, cuius meminit Plinius lib.6.cap.22.in deſcriptione Taprobanæ inſulæ.

Cántabri, (κάνταβροι) *Hiſpaniæ Tarraconenſis populi ſunt, Aſturibus finitimi: omnium olim Hiſpanorum efferatiſsimi, nullamq́; ſine armis uitam eſſe exiſtimantes: quorum regio Cātabria, & proximus Oceanus Cantabricus appellatur. Sil.Ital.lib.2.*

Cantaber ante omneis hyemisq́;, æſtusq́;, famisq́;.
Inuictus. Et mox:
Nec uitam ſine Marte pati: quippe omnis in armis
Lucis cauſa ſita eſt, damnatum uiuere paci.

Canúſium, (κανύσιον) *Apuliæ oppidū, ad Aufidum fluuium, rutilæ lanæ ferax, quæ ab eo Canuſina dicitur: ex qua qui ueſtes geſtabant, Canuſinati dicebātur. Martial.lib.9.*

Vt Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Capaneùs, (καπανεὺς) *nobilis fuit Argiuus, qui unà cum Polynice ad bellum Thebanum profectus, cùm ſcalas muris admouere uellet, à Thebanis lapidibus fuit obrutus. Hinc factus eſt locus fabulæ, Capaneum cùm Deorum contemptor eſſet, à Ioue fulmine eſſe percuſſum. Vegetius lib.4.de re militari, Qui ſcalis (inquit) in obſidione urbiū utuntur, frequenter periculū ſuſtinent, exemplo Capanei, à quo primū ſcalarū oppugnatio perhibetur inuenta: qui tanta mole lapidum fuit obrutus à Thebanis, ut fulminibus dicatur extinctus. Vnde Ouidius libro 4. Triſtium:*

Cùm cecidit Capaneus ſubito temerarius ictu.

Hinc Capaneus, a, um, adiectium tetraſyllabum, (καπάνειος) ut, Capanea pinus, apud Statium 8. Theb.

-Capaneaq́; pinus
Iam procul Aonijs uolet agnoſcenda cateruis.

Effertur et Capaneïus, per quatuor ſyllabas. Stat. 12. Theb.
-Auſa ante alias Capaneïa coniunx.

Capêna, porta ea fuit Romæ, qua Appia uia initium ſumebat, aquarum ductibus, & uiuis fontium ſcaturiginibus propinqua: unde & madidam Capenam uocat Iuuenal. Sat. 2.

Subſtitit ad ueteres arcus, madidamq́; Capenam.

Dicta Capena, ab eiuſdem nominis oppido, non procul ab Aegeriæ fonte. Hæc olim et Appia dicta eſt, & Triumphalis. Hodie à proxima æde ſacra D. Sebaſt. portã nominãt.

Cápetus, Albæ rex fuit, Capyos filius, et Tiberini pater: ut eſt autor Ouid. lib. 14. Metamorph.

Caphareùs, (καφαρεὺς) Eubœæ mons altiſsimus uerſus Helleſpontum, ad quem Græcorum claſsis à Troia rediens Nauplij dolo magna ex parte alliſa, naufragium fecit. Nam cùm ab Vlyſſe Palamedes eius filius proditionis falsò accuſatus, iniquo Græcorum iudicio eſſet interemptus Nauplius, ut iniuſtam filij necem ulciſceretur, obſcura nocte redeuntibus Græcis ex Caphareo promontorio ignem oſtendit: unde illi portum arbitrantes, impegerunt in ſcopulos. Hinc Caphareus, a, um, adiect. tetraſyllabum: ut Saxa Capharea. Propter. lib. 3.

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cùm uaſto Græcia tracta ſalo eſt.

Capitólium, templum erat Iouis in cliuo Tarpeio: ita dictũ à capite humano, in eius fundamentis, cùm à Tarquinio inſtauraretur, reperto. Antè enim Tarpeia arx dicebatur à Tarpeia uirgine, quæ cùm Sabinis arcem prodidiſſet, ſcutis eorum obruta, ibidem interfecta eſt, & ſepulta.

ta.Verg.6.Aen.

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho,&c.

Cappadócia,(καππαδοκία) *Pontica regio,quæ læuo late re utraſq; Armenias,Cōagenenq; tãgens,dextro multis Aſiæ populis circũfuſa,ad Tauri iuga,& Solis ortus attollitur à maiore Armenia Euphrate fluuio diuiſa.Huius incolæ Cappadoces, (καππάδοκες) dicuntur.Luca.lib.2.*

-Cappadoces mea ſigna timent.

Perſius Sat.15.

-Nec ſit præſtantior alter

Cappadocas rigida pingues clauſiſſe cataſta.

Capricornus, (αἰγόκερως) *decimũ eſt Zodiaci ſignum, quod Sol ingrediens ſolſtitium facit hybernũ.hunc Pana fuiſſe nõnulli exiſtimant, qui in Aegypto repentino aduentu Typhonis Gygantis perterritus, poſteriorem ſui partem in piſcis caudã priorem in formam hirci commutauit.cuius ingenium admiratus Iupiter,figuram hanc in cælum dicitur tranſtuliſſe:ut latius eſt uidere apud Hyginum in tractatu de Signis Cæleſt. Stellam habet in naſo unam, in pectore duas, in pede duas,inter ſcapulas ſeptẽ, in uentre ſex, in cauda duas. Cicero 2.de Nat.Deor.*

Tum gelidum ualido de pectore frigus anhelans

Corpore ſemifero magno Capricornus in orbe.

Cápua, (καπύη *Stephano) totius olim Campaniæ urbs præſtantiſſima, quam Vulturnus amnis interfluit:à camporum latitudine in quibus ſita eſt, ita dicta,ut eſt autor Diodorus,qui eã M.Genutio Agrippa,& Curtio Chilone Coſſ.cõditã tradit. Liuius à Capy Samnitiũ duce dictã exiſtimat.Alij à falcone,ſub cuius augurio cõdita eſt,qui priſca Thuſcorũ lingua Capys dicebatur. Verg.à Capy Aeneæ commilitone,qui eã cõdidit,dictã mauult,ſic ſcri-*

bens lib.10.

Et Capys, hinc nomen Capuanæ ducitur urbi

Cuius ſentẽtiæ ſubſcribit & Suetonius in Cæſare Dictatore, urbis huius originem, & nomenclaturam ad Capyn cõditorem referens: in cuius ſepulcro æneam tabulã inuentam tradit, quæ Cæſari necem denuntiabat. Strabo inde dictam exiſtimat, quòd eſſet duodecim Campaniæ urbium caput, hoc eſt, quòd ipſa duodecima reliquis undecim præeſſet. Hoc certè conſtat, Campaniæ urbium potentiſsimam fuiſſe, & Punici belli tempore Romanæ urbis æmulam: agri autem bonitate nulli terrarum poſthabendam: unde & diuitem Capuam uocat Verg. 2. Georg.

Talem diues arat Capua, & uicina Veſeuo
Ora iugo.

Capys, (κάπυς) *unus fuit ex comitibus Aeneæ, à quo Capuam conditam nonnulli tradiderunt. Vergil. 10. Aen.*

Et Capys: hinc nomen Capuanæ ducitur urbi.

Fuit & Capys alter, Aſſaraci filius, & pater Anchiſæ. Ouid. 4. Faſtor.

-Tros eſt generatus ab Ilo:
Aſſaracum creat hic, Aſſaracumq́; Capys.

Capys alius fuit, cognomento Syluius, Albanorum rex, & Capeti pater: ut eſt autor Liuius libro 1. ab urbe, & Ouidius lib. 14. Metamor.

Cária, (καρία) *regio minoris Aſiæ inter Lyciam, & Ioniam. Strabo Cariam à Borea Mæandro flumine clauſit, ab occidente Icario, & Myrtoo pelago, à meridie Rhodienſi, ab ortu Lycijs, & alijs gentibus, magnamq́; Tauri montis partem in Caria concluſit, omnem oram Rhòdiam ei attribuens quæ meridionalis eſt. Dicta Caria à Cara rege, qui primus auguria auium dicitur inueniſſe. Huius populi Car*

li Cares, (κᾶρες) dicti ſunt, qui ſub Minoë Leleges *dicebã tur, & inſulas habitabant.* Poſtea *Aſiæ minoris partem meridionalem occupauerunt, quæ* Rhodum *ſpectat, ab eáq; Cares appellati ſunt.* Ea *enim regio Caria dicebatur, à Cara eius oræ rege.* Martialis *in* Amphitheatro:

Aëre nec uacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.

Carēſus, (*κάρησος*) *fluuius fuit* Troadis, Homero 12. Ili. *celebratus, cuius* Plinius *ait nulla ſua ætate extitiſſe ueſtigia, lib. 5. cap. 30.*

Cárcinus, (*κάρκινος*) *ſignum cæleſte, quod* Latini *Cancrum appellant.* Luca. 9.

Par Geminis Chiron, & idem quod Carcinus ardens,
Humidus Aegoceros.

Carínæ, *arum, nomen uici* Romani *ad pedem cliui Capitolini, in quo fuit domus* Pompeij. Verg. 8. Aen.

-Paßimq; armenta uidebat
Romanoq; foro, & lautis mugire Carinis.

Varro Carinas dici putat ab eo, quòd hinc oriretur caput ſacræ uiæ. Caput enim à Græcis κάρα appellatur.

Cárius, (*κάριος*) *nomen filij* Iouis & Torrhebiæ, *qui circa* Torrhebiam *lacũ oberrans,* Nympharum *cantum dicitur audiuiſſe, & ab eis* Muſicam *didiciſſe, eamq; apud* Lydos *propagaſſe. Quapropter diuinos honores apud ſuos meruit, tẽplo illi magnificè extructo in monte, qui & ipſe* Carius *à nomine eius appellatus eſt.* Autor Steph.

Carmánia, (*καρμανία*) *regio eſt* Aſiæ, *inter* Perſidẽ & Indiã *ſita, quã duplicẽ eſſe* Ptolemæus *tradit, cultã alterã, alterã deſertam.* Huius *regionis incolæ* Carmani *dicuntur,* Ichthyophagi *cognominati, quòd ſolis piſcibus ueſcãtur, quorum etiam corijs ueſtiuntur.* Pomp. lib. 3. Carma-

*ni ſine ueſte,& fruge,ſine pecore,ac ſedibus, piſcium cute ſe uelant,carne ueſcuntur,præter capita toto corpore hirſuti.*Horum *meminit* Lucanus *libro 3.*

Carmanosq; duces,quorum deflexus in Auſtrum.

Cárna,*deæ nomen apud* Romanos, *quæ humanæ uitæ cardinibus præeſſe, & ſtriges nocturnas à puerorum cunis arcere putabatur.Ouid.6.Faſtor.*

Prima dies tibi Carna datur: dea cardinis hæc eſt.

Carménta,(καρμέντα) *ſeu Carmentis,* Euandri *mater: ita cognominata à Carminibus, quibus dabat reſponſa, (erat enim fatidica mulier)cùm propriè* Nicoſtrata *uocaretur.* Hinc *Carmentalis porta, quæ poſtea Scelerata dicta eſt,quòd per eam ſex & trecenti* Fabij *cum clientũ quinq; milibus egreßi, aduerſus* Hetruſcos*, ad amnem Cremeram omnes interfecti ſint.*Verg.8.Aen.

Et *Carmentalem* Romano *nomine portam.*

Ouidi.2.F*aſt.*

Carmentis portæ dextro eſt uia proxima Iano*:*
Ire per hanc noli,quiſquis es,omen habet.
Illa fama refert Fabios *exiſſe trecentos:*
Porta uacat culpa:ſed tamen omen habet.

Carni,(καρνοὶ)*populi ſunt* Iſtriæ *finitimi,ab ea parte,quã* Alpes Iuliæ Aquileiæ *incũbunt.*Hos Plinius *collocat in decima* Italiæ *regione, ad* Tergeſtẽ *fluuiũ, qui per* Venetiã *in ſinum* Adriaticum *influit.* Hodie *Carinthij nominantur,* Auſtriæ *ducum imperio parentes.*

Cárpathus,(κάρπαθος)*inſula contra* Aegyptum,*media inter* Rhodum & Cretam,*ducẽtorum ſtadiorum circuitum habens, quatuor inſignis urbibus.*Homerus 2.Iliad. *duabus literis tranſpoſitis* κράπαθον *appellat.*

Νίσους Νίσυρόν τ' εἶχον, Κράπαθόν τε,Κάσον τε.

Ab

Ab hac inſula uicinum mare in Aegyptum uergens, Carpathium nominatur. Verg. 4. Georg.

Eſt in Carpathio Neptuni gurgite uates,

Carrhæ, (κάῤῥαι Stephano) ciuitas Meſopotamiæ trans Edeſſam, Craſſorum cæde, & Romani exercitus cruore nobilitata. Lucanus libro 1.

- Miſerando funere Craſſus
Aßyrias Latio maculauit ſanguine Carrhas.

Cartéia, (καρτηΐα Ptolemæo) ciuitas eſt Hiſpaniæ Bæticæ, in tractu Baſtulorum, ad radicem Calpes promontorij, Tarteſſos (ταρτησσὸς) à Græcis dicta: in qua Arganthonius regnauit, quem Plinius lib. 7. ad c l. uitæ annum tradit perueniſſe.

Carthæa, (καρθαῖα Steph.) urbs eſt in Cea inſula, teſte Plinio lib. 4. cap. 12. Hinc fit Carthæius, a, um. Ouid. lib. duodecimo Metamorph.

Tranſit & antiquæ Carthæia mœnia Ceæ.

Item Carthæus, triſyllabum. Idem 10. Metamor.

Nanq; ſacer Nymphis Carthæa tenentibus arua
Ingens ceruus erat.

Carthágo, (καρχηδὼν) urbs Africæ totius celeberrima, Romaniq; imperij aliquandiu æmula, à Didone condita, ſeptuageſimo poſt Romam conditam anno, ut in Chronicis ſuis tradit Euſebius. Nam quæ Vergilius de Aeneæ in Africam aduentu, & amore Didûs comminiſcitur, à fide hiſtoriæ aliena eſſe conſtat. Eò autem potentiæ urbs hæc à tenuißimis primordijs paulatim excreuit, ut non modò Libyæ uniuerſæ, uerùm etiam inſularum, & bonæ Hiſpaniæ partis tenuerit imperium. Tria cum Romanis grauiſſima geßit bella: quorũ primo ſuperati nauali prælio Pœni, æquas propemodum pacis conditiones à uictoribus ac-

ceperunt, inſulis tantùm quibuſdam abſtinere iuſsi. Huic *ſucceſsit bellum* Punicum *ſecundum,* Annibalis *ductu geſtum, qui expugnata in* Hiſpania Sagunto, *uictorem exercitum in* Italiam *tranſportauit, eamq́; totos octodecim annos ferro flammaq́; crudeliſsimè uaſtauit. Victo deinde à* P. Scipione *apud* Zamam Annibale, *eò anguſtiæ res* Carthaginienſium *redactæ ſunt, ut ſalutem ſuã mœnibus tueri, duriſsimasq́; pacis conditiones pro arbitrio uictoris accipere ſint coacti. Verùm cùm ne ſic quidem quietem agitare poſſent, tertioq́; bellum inſtaurarent,* Senatus Catonis *autoritatem ſequutus,* Carthaginem *delendam cenſuit, & Scipionem* Aemilianum *in* Africam *miſit, qui uictis* Pœnis *urbem obſidione cinxit, captamq́; ſolo æquauit.* De hac Vergil. Aen. 1.

*Vrbs antiqua fuit (*Tyrij *tenuere coloni)*
Carthago, Italiam *contra,* Tiberinaq́; *longè*
Oſtia, *diues opum, ſtudijsq́; aſperrima belli.*

Eſt & Carthago *altera in* Hiſpania, *ab* Aſdrubale *condita,* Nouæ *cognomine à* Libyca *diſcreta, olim à* P. Scipione *ſummis uiribus expugnata.* Hæc & Spartana *appellata eſt, à ſparto nimirum iunci genere, quod eo in agro copioſiſsimè prouenit.*

Caryſtos, (κάρυςος) Eubœæ *inſulæ oppidum, in littore ſitum, ad radicem* Ochæ *montis, è regione* Andri: *ferax marmoris nobiliſsimi, & macularum uarietate in primis commendati, quod à loco* Caryſtium *appellabant: unde &* Saxoſa *dicitur à* Lucano *lib. 5.*

Quà maris anguſtat fauces ſaxoſa Caryſtos.

Hinc Caryſtêus, a, um, (καρύςειος.) Ouid. 3. Faſtor.

Quaq́; Caryſteis *frangitur unda uadis.*

Caſius, (κάσιον ὄρος) *mons eſt trans* Peluſium, *extremum*

mum Nili oſtium, in ea Arabiæ Petrææ parte, quæ ab hoc monte Caſiotis Ptolemæo appellatur: in quo erat Magni Pompeij tumulus ab Adriano inſtauratus, ut in uita eius teſtatur Capitolinus. In hoc monte templum inſigne habebat Iupiter, qui inde Caſius cognominabatur. Lucan. li. 8.

– Maneſq; tuos placare licebit,
Et Caſio præferre Ioui.

Eſt & in Syria Antiochena Caſius mons ſupra Seleuciam, cognomine Pieriam, ut autor eſt Plinius lib. 5. capi. 22. cuius altitudo in directum eſt quatuor millium paſſuū. Ptolemæus præterea lib. 5. capi. 18. Caſiū quendā montem collocat in Meſopotamia, non procul à Singra altero eiuſdem regionis monte: cuius meminit & Suidas.

Cáſpij, *(κάσπιοι) populi ſunt Scythici generis, Hyrcanis finitimi, eiuſq; maris accolæ, quod ab ipſis Caſpium appellatur. Horum regio à Strabone Caſpiana appellatur. Vergi. 6. Aen. περιφραστικῶς Caſpia regna nominat:*

Huius in aduentu iam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent diuûm.

Hi parentes decrepitos, & ſeptuageſimum ætatis annum attingentes, anguſto loco includere dicuntur, & fame eos enecare: ut refert Strabo lib. 11. Caſpijs uicinæ ſunt Tauri montis anguſtiæ, ad octo millia paſſuum in longitudinem extenſæ, latitudine tam exigua, ut uix plauſtro ſint peruiæ, quas idcirco Caſpias portas ſcriptores appellant, quòd per eas ex Babylonia & Perſide ad mare Caſpium pateat tranſitus.

Caſpéria, *(κασπερία) Rhœti Marrubiorum regis uxor fuit, quæ cum Anchemolo priuigno corpus commiſcuit: ut annotauit Seruius in illud Verg. 7. Aen.*

Hinc Sthelenum petit, & Rhœti de gente uetuſta

Anchemolum, thalamos auſum inceſtare nouercæ.

Eſt item Caſperia oppidum in Sabinis, idem fortaſſe cum eo, quod Silius Caſperulam uocat. Verg. lib. iam citato:

Qui Tetricæ horrentes rupes, montemq́; Seuerum,
Caſperiamq́; colunt.

Caſſandra, (κασσάνδρα) *Priami & Hecubæ filia, quæ cùm ob formæ uenuſtatem ab Apolline amaretur, iuſſa, quamcunq; uellet, concubitus mercedem petere, uaticinandi peritiam ſibi dari poſtulauit: quam cùm credulus amator ei conceßiſſet, neque illa promißis ſtaret, indignatus Deus, quoniam munus iam datum eripere non poterat, effecit, ut uaticinijs eius fides nulla haberetur. Quare cùm equi Troiani inſidias detexiſſet, eumq́; mœnibus minimè recipiendum clamaret, neminem tamen inuenit, qui uerbis eius fidem adhibendam putaret. Hanc Vergilius poſtremis Troiani belli temporibus Chorœbo iuueni deſpõſatam fuiſſe tradit, qui cùm extrema illa nocte, qua Ilium cecidit, ſponſam captiuam abduci uideret, eiq́; ſuppetias ferre conaretur, à Peneleo quodam confoditur: uirgoq́; ipſa ab Aiace Oileo in Mineruæ templo uitiatur. Hæc poſtea in prædæ diuiſione Agamemnoni ceßit: qui cùm identidem ab illa admoneretur, ut Clytæmneſtræ uxoris ſuæ inſidias caueret, nihilo tamen minus eius monita, uelut uæſanæ mulierculæ deliramẽta, contempſit. Cuius poſtea ſecuritatis pœnas dedit, unà cum Caſſandra, uxoris Aegiſthiq́; inſidijs in conuiuio obtruncatus. De hac Vergil. 2. Aeneid.*

Ecce trahebatur paßis Priameia uirgo
Crinibus à templo Caſſandra, adytisq́; Mineruæ.

Caſsiope, (κασσιόπη) *ſiue* Caſsiopêa, (κασσιόπεια) *Cephei regis Aethiopũ uxor fuit, & Andromedes mater,*

quæ

quæ, quòd gloriaretur Nereidibus ſeſe corporis pulchritudine præſtare, illarum indignationem incurrit. Nymphæ enim iactantia eius irritatæ, incredibilis magnitudinis cetum immiſerunt, filiamq; eius unicam, nomine Andromeden, ſaxo alligarunt, cetoq; deuorandam propoſuerunt: quæ tamen Perſei uirtute liberata, eidem nupſit. Caßiope uerò tandem generi meritis in cœlum translata traditur, & in ſiliquaſtro ſedens, uertente ſeſe cœlo, reſupinato capite ferri, pedibus ipſius in ipſa Arctici circuli circunductione poſitis. Aeſtiuū circulum capite, & dextera manu tangit, & prope Medeam circulo lacteo diuiditur, non procul à Cephei ſigno. Occidit cum Scorpione, exoritur cum Sagittario. In capite eius ſtella oſtenditur una, in utroque humero ſingulæ, in mamilla dextra clara una, in lumbis una, in ſiniſtro femore duæ, in genu una, in pede ipſius dextro una: in quadrato, quo ſignum eius circunſcribitur, una: in utriſq; angulis ſingulæ, cæteris clarius lucentes. Vide Hyginum in tractatu de Signis cœleſt.

Caſtálius, (κασαλία) fons eſt in Phocide, ad radices Parnaſi montis, non procul à Delphis: unde & Apollini, & Muſis ſacer creditur: ita dictus à uirgine Caſtalia, quæ Apollinem fugitans uim ſibi inferre uolentem, deorum miſeratione in hunc fontem dicitur eſſe commutata.

Caſtianîra, (κασιάνειρα) mulier genere Threſſa, ex Aeſymo urbe, quæ Priamo Gergythionē peperit: ut eſt autor Homerus 8. Iliad.

Caſtor, & Pollux (κάσωρ, καὶ πολυδεύκης) fratres gemini fuerunt, Iouis ex Leda filij, qui & Tyndaridæ paſſim à Poëtis appellantur, quemadmodum & Helena ſoror ipſorum, Tyndaris. Hi, ubi primùm adoleuerunt,

mare piratis liberauerunt, & ob id dij maris habiti ſunt, quos in tempeſtate nautæ ſolent implorare. Poſt *hæc* Col*chos cum* Argon*autis profecti ſunt: qua in expeditione* Pollux Amycum Bebryciorum *regem, inſidias ſibi ſtruentem, interfecit.* Deinde *domum reuerſi,* Helenam *ſororem à* Theſeo *raptam, receperunt,* Aphidna *urbe,* The*ſeo abſente, expugnata.* Tandem *cùm* Caſtor *diem ſuum obijſſet, ferunt* Pollucem*(qui eodem cum* Helena *ouo natus, immortalis erat) fratris deſiderio à* Ioue *petijſſe, ut immortalitatem ſuam cum fratre poſſet partiri: qua re impetrata alternis mori traduntur, & reuiuiſcere.* Ver*gil. 6.* Aeneid.

Si fratrem Pollux *alterna morte redemit,*
Itq; *reditq; uiam toties.*

Cui *fabulæ occaſionem dedit* Geminorum *natura, quorum altero oriente, alter occidit, & econuerſo.* A' Græ*cis* διόσκουροι, *hoc eſt,* Iouis *filij* κατ' ἐξοχὴν *appellati ſunt, & inter deos apotropæos, hoc eſt, malorum depulſores ſunt annumerati.*

Cátana, (κατάνη Stephano) *Siciliæ oppidum, ad radicem* Aetnæ *montis ſitum, patria* Charondæ, *inter* Athe*nienſium legiſlatores in primis celebrati.* Catanæ *ſimulacrum fuit* Cereris, *teſte* Cicerone 7. Verr. *quod à uiro non modò tangi, ſed ne aſpici quidem fas erat.* Silius *libro decimotertio:*

Tum Catana *ardenti nimium uicina* Typhoëo.

Catilîna, *ciuis* Romanus *fuit, coniuratione contra patriam inita notiſsimus: cuius impij conatus* Ciceronis *prudentia oppreſsi ſunt.* Lucan. *lib.* 7.

Pacificas *ſæuus ſenſit* Catilina *ſecures.*

Verg. 8. Aeneid.

Et te

-Et te Catilina minaci
Pendentem ſcopulo, Furiarumq́; ora trementem.

Catillus, *filius fuit Amphiarai, qui cum fratribus Cora & Tyburto in Italiam uenit, ibiq́; reliquis adiuuantibus Tybur condidit, & à nomine fratris nomen impoſuit. Vergil. 7. Aeneid.*

Catillusq́; acerq́; Coras, Argiua iuuentus.

Silius lib. 8.

Et Tybur Catille tuum.

Cato Porcius, *cui poſtea à Cenſuræ dignitate Cenſorij cognomen inditum eſt, ex Tuſculano municipio ortum traxit, indeq́; perſuaſione atq; amicitia Valerij Flacci adductus, primus ex ea familia ſe Romam contulit: ubi propter ſingularem uirtutem honores omnes ſine repulſa eſt adeptus. Primùm enim Tribunus militum in Cilicia fuit: deinde Prætor Sardiniam ſubegit: ubi ab Ennio fuit Græcis literis inſtitutus, cùm iam natu grandior eſſet. Poſtremò Conſul cum eodem Flacco creatus, citeriorem Hiſpaniam ſortitus eſt, ubi rebus fœliciter geſtis urbium omnium muros, quæ intra Bætim erant, uno die ſolo æquari iußit. Hunc ob morum grauitatem, ſingularēq; iuſtitiam Vergilius 6. Aen. inferorum iudicem facit,*

Secretosq́; pios, & dantem his iura Catonem.

M. Cato Vticenſis, M. Porcij nepos fuit, quem & uitæ, Stoicæq́; diſciplinæ ſeueritate referebat. Hic nudis interdum pedibus, breuiq́; toga in publicum prodibat, ſeſe adſuefaciens, non niſi turpibus rebus erubeſcere. Conſulatum fruſtrà petijt, quòd uirtuti ſuæ fidens, populo non nimium ſubmiße uoluerit ſupplicare. Martiam coniugem roganti Hortenſio amico liberorum cauſa conceßit: eandemq́; poſt Hortensij mortem recepit. Id quod Cæſar auaritiæ

ritiæ cauſa ab eo factum fuiſſe, calumniatus eſt. Dimiſit, inquit, inopem, ut locupletem reciperet. Poſt Pharſalicam cladem reliquias Pompeiani exercitus contraxit, & terreſtri itinere per deſerta Libyæ ad Iubam regem perduxit. Poſtremò uicto à Cæſare Scipione, Vticæ, quam tutandam ſumpſerat, necem ſibi conſciuit, perlecto ante Platonis Dialogo de animæ immortalitate, qui Phædon inſcribitur. De hoc Lucanus lib. 1.

Victrix cauſa deis placuit, ſed uicta Catoni.

Catullus, *Poëta fuit Veronenſis, Epigrammatum ſcriptor, anno uno ante Salluſtium natus, quo tempore Romanum imperium Marij & Syllæ factionibus concutiebatur. Latinæ puritatis cuſtos fuit religioſiſſimus: unde & Docti cognomen promeruit: alioqui laſciuus in primis, & ſupra modum mordax, utpote qui ne Cæſari quidem, iam rerum potito pepercerit. Scripſit de paſſere ſuæ Leſbiæ: celebrauit nuptias Mallij: amauit Ipſithillã, & Clodiam, quam ficto nomine Leſbiam uocat. Ouid. 2. Triſt.*

Sic ſua laſciuo cantata eſt ſæpe Catullo
Fœmina, cui falſum Leſbia nomen erat.

Caucaſus, (*καύκασος*) *mons eſt editiſſimus, in Septentrionali Aſiæ tractu, Indiam dirimens à Scythia: cacumina habens prærupta, perpetuisq; niuibus tecta. Vergil. 4. Aeneid.*

– Sed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus.

Hic fertur tantæ altitudinis eſſe, ut ab eo aſtra maiora uiſantur, & eorum ortus, occaſusq; diligenter perſpiciantur: quò fit, ut Scythæ, eius montis accolæ, rei aſtronomicæ peritiſſimi ſint habiti. A' Caucaſo fit Caucaſius, a,

um,

um,(καυκάσιος.) Verg.6.Eclog.

Caucaſiasq́; refert uolucres.

Caúdium, *oppidum fuit Samnitum: à quo Caudinæ fur cæ nomen acceperunt, Romanorum ignominia nobilitatæ. Ibi enim Romanorum copiæ, duce Sp. Poſthumio Conſule in anguſtias adductæ, & ab hoſtibus circunquaq́; obſeſſæ, cùm alia euadendi ſpes non eſſet, poſitis armis ſub iugum miſſæ ſunt. Lucan. lib.2.*

Vltra Caudinas ſperauit uulnera furcas.

Caulon, *(καυλὼν) oppidum eſt in prima Italiæ fronte apud Locros, cuius meminit Plin. li.3. ca.10. Ver.3. Aen.*

Caulonisq́; arces, & nauifragum Scylaceum.

Quanquã ibi Poëta non tam de oppido, quàm de promõtorio loqui uidetur. Hanc urbẽ Strabo li.6. Põpo. li.2. & Stephanus de urbibus Cauloniam (καυλωνίαν) appellant.

Caunus, *(καῦνος) filius fuit Mileti, & Cyanes, qui cùm à Byblide ſorore perditè adamaretur, ſponte patriam reliquit, & in Cariæ littore è regione Rhodi urbem condidit, quam de nomine ſuo Caunum appellauit. Vide Ouid. lib.9. Metamor.*

Caurus, *(ἀργέστης) uentus ab occaſu ſolſtitiali flans, qui & Corus dicitur. Verg.3.Georg.*

Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.

Cayſter, *(κάϋστρος Stephano) fluuius Lydiæ, Sardibus proximus, cygnis abundans: qui multos amnes ſecum deferens Epheſum abluit. Dictus Cayſter ἀπὸ τοῦ καίεσθαι, quod eſt, amburi, eò quòd propinquus ſit Catacecaumene, quæ pars eſt Epheſiæ prætorridæ & deuſtæ, fertilis nulla, præter uitem, arbore, ſed uino præſtantiſſimo, quod Vitruuius & Plin. Catacecaumeniten ex hac origine denominant. Verg.1.Georg.*

Et

-Et quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.

Cea, *ſiue* Ceos, (*κέως Straboni*) *inſula eſt ſub* Eubœa, *bombycinarum ueſtium textrinis olim nobilitata.* In hac *enim inſula* Pamphila Latoi *filia prima adorta eſt bombycum telas retorquere, eáſque rurſus texere, ut teſtatur idem* Plinius *libro undecimo, cap.* 22. Hinc Ceæ *ueſtes dictæ ſunt, quæ in hac inſula ex bombyce tenuiſſimæ texebantur in uſum fœminarum.* Propertius:

Et tenues Cea ueſte mouere ſinus.

Hæc *inſula à* Plinio *modò Cea, modò Ceos appellatur, à* Ptolemæo *etiam Cia, qua appellatione etiam hodie utitur uulgus nautarum. Vrbes olim habuit tres, Carthæam,* Iulidem, *&* Careſſum.

Céadus, (*κέαδος*) *Ciconum rex fuit, pater* Trœzeni, *& auus* Euphemi: *cuius meminit* Homerus 2. Iliad.

Cebrénia, (*κεϐρηνία*) *regiuncula eſt* Troadis, *cum oppido eiuſdem nominis, non procul à* Scepſi: *cuius meminit* Plinius *libro* 5. *cap.* 30. *Dicta* Cebrenia *uel ab amne* Cebrene (*ut ex ſententia* Herodiani *refert* Stephanus) *uel, ut alij malunt, à* Cebrione Priami *notho: quanquã Straboni magis placet, Cebrionem potius à Cebrenia regione, aut certè à* Cebrene *urbe nomen accepiſſe.* Hinc Cebrenis, *huius* Cebrenidis, (*κεϐρηνὶς*) *fœm. patronymicum.* Ouid. 11. Metamorph.

Aſpicit Heſperien *patria Cebrenida ripa.*

Statius in Syl.

-Viduæ Cebrenidos arida luctu
Flumina.

Cebrenus, (*κεϐρηνὸς*) *nomẽ gẽtile.* Auſonius:

Sic qui uenalis tam longa ætate Cebrenus

Non

Non habet emptorem, ſit tibi pro pretio.

Cebríones, (κεβριόνης) *filius fuit Priami, ſed illegitimo toro natus, qui à Patroclo ſaxo ictus, interijt. Iliad. π.*

Κεβριόνην νόθον υἱὸν ἀγακλῆος πριάμοιο. id eſt,

Cebrionem propria haud Priamo de coniuge natum.

Céladon, (κελάδων) *nomen unius ex ijs, qui unà cum Phineo in aula Cephei regis Aethiopum, Perſeo uim inferre conati ab eo ſunt occiſi.* Ouidius 5. Metam.

Occidit & Celadon Mendeſius, occidit Aſtreus.

Cécrops, (κέκροψ) *Athenienſium rex fuit, qui Acropolim, hoc eſt, Athenarum arcem creditur condidiſſe: ut eſt autor Plin. lib. 7. cap. 56. Ab huius nomine Athenienſes dicti ſunt Cecropidæ,* κεκροπίδαι. Ouid. 7. Metam.

Phocus in interius ſpatium, pulchrosq; receſſus
Cecropidas duxit.

Hinc Cecropius, *a, um, pro Athenienſi, ſiue Attico.* Verg. 4. Georg.

Cecropias innatus apes amor urget habendi.

Celænæ, (κελαιναὶ Straboni) *tumulus eſt Aſiæ propriè dictæ, Apamiæ imminens, oppidum habens eiuſdem nominis, ex quo Antiochus Soter incolas in Apamiam tranſtulit. Hoc in loco Marſyam cum Apolline tibiarum cantu certaſſe fabulantur, uictumq; temeritatis ſuæ pœnas dediſſe, & in fluuium ſui nominis fuiſſe commutatũ. Cui fabulæ occaſionem creditur præbuiſſe ſubiectus Celænis lacus, calamos ferens tibiarum linguis aptiſsimos. Meminit huius collis Ouid. 4. Faſt.*

Inter, ait, uiridem Cybelon, altasq; Celænas
Amnis it inſana nomine Gallus aqua.

Celæno, (κελαινὼ) *fuit una ex Harpyijs, ſoror Ocypetes, & Aëllus;* ἀπὸ τῆς κελαινότητος, *hoc eſt, à nigredine ita*

appellata. Vergilius 3. Aeneid.

Vna in præcelſa conſedit rupe Celæno,
Inſignis uates.

Celendræ,(κελενδραι)*oppidum exiguum Ciliciæ, portũ habens eiuſdem nominis ad Selinuntis fluuij oſtium.* Lucanus lib. 8.

-Sequitur pars magna ſenatus
Ad profugum collecta ducem, paruisq́; Celendris.
Quo portu mittitq́; rates, recipitq́; Selinus.

Celtæ,(κελται) *populi Galliæ Comatæ, inter Garumnam & Sequanam fluuios: ita dicti à Celto Polyphemi filio, ſi* Appiano *credimus.* Horum *regio* Celtica (κελτικὴ)*dicitur.* Plinius *libro quarto, capite 17.* Gallia(*inquit*)*Comata uno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur, amnibus maximè diſtincta.* A Scalde ad Sequanã, Belgica: *ab eo ad* Garumnam Celtica, *eademq́;* Lugdunenſis. Inde ad Pyrenæi mõtis *excurſum* Aquitania, Aremorica *antè dicta.* Ex *his nonnulli relictis ſuis ſedibus in* Hiſpania *ad* Iberum *fluuium cõſederunt, conflataq́; ex ſuo & fluuij nomine una appellatione,* Celtiberos *ſeſe nominarunt, & regionem ipſam* Celtiberiam. Lucan. *libro* 4.

-Profugiq́; à gente uetuſta
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Cenchris, (κεγχρὶς) *ſerpens eſt macularum uarietate* Thebani *marmoris colorem referens.* Lucan. *libr.* 9.

Et ſemper recto lapſurus limite cenchris.

Cénchrius, (κέγχριος) *fluuius eſt* Ioniæ, *non procul ab* Epheſo, *lucum irrigans* Ortygiam, *ubi* Latona(*ut accolæ credi uolunt*)Apollinem, & Dianam *peperit.* Vide Strabonem Geographiæ *lib.* 14.

Centauri,(κένταυροι)Theſſaliæ *populi, ſecus* Pelion *montem*

tem habitãtes, qui primi equos domare, & ex ijs pugnare cœperunt: quo factum eſt, ut à uicinis populis primùm conſpecti, membra partim humana, partim equina habuiſſe crederẽtur. De *horũ origine ſic fabulantur* Poëtæ: Ixionem *à* Ioue Deorum *immortalium menſæ adhibitum,* Iunonis *amore captum fuiſſe, eamq́; de ſtupro interpellaſſe. Quod cùm illa uiro ſuo indicaſſet,* Iouẽ Ixioni *nubẽ ſubieciſſe in uxoris imaginẽ transformatam, eamq́;* Ixionem *pro* Iunone *compreßiſſe, & ex ea* Centauros *generaſſe: qui inde* Nubigenæ *dicti ſunt. Cui fabulæ anſam præbuiſſe uidetur, caſtellũ nomine* νεφέλη, *Centaurorũ ſedes:* νεφέλη *enim* Latine *nubem ſonat.* Hi *cùm in nuptijs* Pirithoi *uino madentes ſponſam rapere conarentur, à* Theſeo, & Lapithis *partim cæſi, partim in fugam acti ſunt.* Iidem & Hippocentauri *dicti ſunt, quòd equis inſidentes, boues œſtris agitatas, ſtimulis ad tecta reuocarent.* Eſt *enim* κεντεῖν *ſtimulare, & pungere.* Cẽtaurorũ, *qui à* Poëtis *maximè celebrantur nomina ſunt hæc:* Chiron, Eurytus, Amycus, Gryneus, Rhœtus, Arneus, Lycidas, Medon, Piſenor, Caumas, Mermeros, Pholus. Verg. 2. Georg.

- Ille *furentes*
Centauros *leto domuit.*

Eſt & Centaurus, *nauis nomẽ apud* Vergilium 5. Aen *inde impoſitum, quòd* Centauri *habuerit inſigne.*

Centauro *(inquit) inuehitur magna.*

Cephaléne, (κεφαλήνη) Cephalénia, (κεφαληνία) *inſula* Ionij *maris, ita dicta à* Cephalo Deionei *filio, ſocio* Amphitryonis. Huius *incolæ* Cephalenes *dicuntur,* (κεφαλῆνες) *(qui* Vlyſſem *ad bellum* Troianum *ſequuti ſunt: ut eſt uidere apud* Homerum *in* Catalogo *nauium:*

Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους.

Céphalus, (κέφαλος) *Eionis filius, qui* Procrin Erechhei Athenienſium regis filiam uxorẽ duxit. *Huius amore capta Aurora cùm iuuenem uxoris amantiſsimum nulla ratione ad ſui amorẽ poſſet inflectere, ui eum dicitur rapuiſſe. Verùm cùm ne ſic quidem conſtantiam eius poſſet labefactare, ad uxorem eum remiſit, in negotiatoris ſimilitudinem transformatum: cuius erga ſe fidem cùm explorare uellet, ingentibus muneribus pudicitiam eius ſolicitauit: cumq; illa pretij magnitudine iam ſuccumberet, Cephalus recepta priſtina forma perfidiam ei exprobrauit. Quod Procris cùm inficias ire non poſſet, pudore impulſa, relicto uiro, domũ eius peroſa, in ſyluas ſeſe, locaq́; deſerta contulit. Tandem tamen uiro reconciliata, iaculum ei ineuitabile, & canem Lælapa nomine dedit, quem à Minoë dono acceperat. Iis itaq; muneribus inſtructus Cephalus, ſyluis ſeſe aſsiduè oblectabat, relictoq́; ante lucẽ uxoris thalamo uenatione ſeſe exercebat. Quamobrẽ uerita Procris (ut eſt res plena ſuſpicionis amor) ne Nymphæ cuiuſpiã amore teneretur, clàm eum in ſyluas eſt ſubſecuta, & ut in furto uirum depræhenderet, inter fruteta ſeſe occultauit. Cùm itaq; Cephalus, æſtu laboreq́; fatigatus, ad uirgulta ſeſe recepiſſet, & ſub arbore quadam recumbens, auram, ut ſe reficeret, ex more inuocaret, Procris ſuſpicata iam pellicem affuturam, quò rem omnem melius cognoſceret, ſeſe erigens uirgulta commouit. Qua re animaduerſa Cephalus feram ratus, iaculũ ſuum emiſit, uxoremq́; chariſsimam ineuitabili ictu interfecit. Latius exequitur hanc fabulam* Ouidius *libro 7. Metamor. & paulò aliter* Hyginus *Fab. Poët. cap. 189.*

Cephênes, (κηφῆνες) *Aſiæ maioris populi, qui poſtea à* Perſeo Iouis & Danaës *filio* Perſæ *ſunt appellati: ut eſt*

autor

autor Herod.*lib.7* Ouid. 5.*Metam.*

Dumq́; ea Cephenum medio Danaëius heros
Agmine commemorat.

Cepheùs,(*κηφεὺς*) *Aethiopum rex fuit, Andromedæ pater, quam* Perſeus *periculo liberatam, uxorem duxit.* Ouid.5.Metam.

Auxiliumq́; domus, ſeruatoremq́; fatentur
Caßiope, Cepheusq́; pater.

Hic poſtea generi meritis cum uxore & filia in cœlum translatus eſt, & à tergo minoris Vrſæ *conſtitutus, circuloq́;* Arctico *ita incluſus, ut præter caput et humeros eius nihil occidere uideatur.* Hinc Cephëus,*a,um*,(*κηφεῖος.*) Ouid.4.Metam.

Aethiopum populos, Cepheaq́; conſpicit arua.

Cephiſſus,(*κηφισσὸς*)*fluuius eſt* Bœotiæ, *qui in* Trinemijs *naſcens, & præter* Larymnã *in* Atticũ *agrũ influẽs, tandem per crura murorum in* Piræeum *perductus, in* Phalericum *mare ſe exonerat, teſte* Strabone *lib.9.* Luc.*lib.3.*

Bœoti coiêre duces, quos impiger ambit
Fatidica Cephiſſus aqua, &c.

Vbi Cephißi *aquas fatidicas dicit, propter* Themidis *oraculum, fluuio huic uicinũ, à quo* Deucalioni, & Pirrhæ *ratio oſtenſa eſt, qua genus humanum poſſet reparari.*

Cerâtus,(*κήρατος*)*fluuius* Cretæ, Gnoſſum *urbem præterlabens: quæ ab illo aliquando* Ceratus *uocata fuit, teſte* Strabone *libro* 10.Hinc Cerateus,*a,um.* Vergil. *in* Ciri,

Carpathium fugiens, & fluminaCeratea.

Ceráunia,(*κεραύνια*)*ſiue* Ceraunij mõtes,*in finibus ſunt* Epiri,*in mare uſq; extenſi, ubi* Ioniũ *mare ab* Adriatico *ſeparatur: ita dicti ἀπὸ τῶν κεραυνῶν, hoc eſt, à fulminibus, quibus ſæpe impetuntur.* Ouid.2.de Ponto. Eleg.6.

Cùm poteram recto tranſire Ceraunia uelo,
Vt fera uitarem ſaxa, monendus eram.

Lucanus lib.5. -Oræq; malignos
Ambraciæ portus, ſcopuloſa Ceraunia nautæ
Summa timent.

Pro *iiſdem etiam* Acroceraunia,*uel* Acroceraunios *mon-tes dicimus.*Horat.*libro* 1.*Carm.*Ode 3.

Qui uidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Acroceraunia.

Plin.*in* Proœmio *libri* 4. *Tertius* Europæ *ſinus* Acroce-*raunijs incipit montibus. Sunt & Ceraunij montes in A-ſia, in Caſpiũ pelagus obuerſi, ut eſt autor* Pompon.*libro* 1.*Quin &* Taurus *mons in uniuerſum Ceraunius appel-latus fuit, teſte* Plin *libro* 5.*capite* 27.

Cérberus, (κέρβερος) *à* Poëtis *fingitur eſſe canis tri-ceps, inferorum cuſtos: quem ab* Hercule *catena ab inſe-ris tractum eſſe ijdem fabulantur.*Verg.6.Aen.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, aduerſo recubans immanis in antro.

Mythologici terram interpretantur: dictũq; uolunt Cer-berum, quaſi κρεοβόρον, *hoc eſt, carniuorum. Terræ enim proprium eſt, cadauer.. conſumere, & ad primam ſuam originem reuocare, hoc eſt, in humum conuertere.*

Cercêis, (κερκηίς) *Nympha marina,* Oceani *&* Tethyos *filia, teſte* Heſiodo *in* Theogonia:*ita dicta à texẽdo.*κερκὶς *enim radium textorium ſignificat.*

Cercôpes, (κέρκωπες) *populi fuerunt* Pithecuſæ *inſulæ, qui cùm nullo flagitij genere abſtinerent, à* Ioue *in ſimias mutati ſunt.*Ouidius 14.Metamor.

Quippe Deûm genitor fraudẽ, & periuria quondam
Cercopum exoſus, gentisq; admiſſa doloſæ,

In

In deformie uiros animal mutauit, ut ijdem
Dißimiles homini poſſent, ſimilesq; uideri.

Cércyon, (κερκύων) *latro fuit inſignis apud* Eleuſinen *Atticæ ciuitatem, tanto corporis robore, ut ualidißimas arbores incuruare poſſet, quib⁹ uiatores alligatos diſcerpebat.* Filiam *habuit nomine* Alopen, *quæ à* Neptuno *uitiata* Hippoochũ *peperit.* Quod *cũ nutricis indicio reſciuiſſet* Cercyon, *tã ægrè id tulit, ut puerũ quidem in ſyluis feris deuorandũ obiecerit, filiã uerò carceri incluſam fame enecarit.* Qua *de re uide latius ſuprà in dictione* Alope. Interſectus *eſt tandẽ à* Theſeo *eodem ſupplicij genere, quo ipſe in uiatores cõſueuerat ſæuire.* Ouid. 7. Metam.
Cercyonis letum uidit Cerealis Eleuſis.

Cereália, orum, (δημήτρια, τὰ) *ſacra* Cereris *à* Triptolemo *inſtituta, quæ* Plinius *lib.* 24. Theſmophoria *uocat, à* Cerere Teſmophora, *hoc eſt, legum latrice.* Plutarchus *quoq;* Adonia *uocat.* Hæc *autem feſta tanta religione celebrabantur, ut feriæ pollutæ crederentur, ſi quis eo tempore cum uxore concubuiſſet.* Vnde *extat elegans* Elegia *apud* Ouidium, *qua cum* Cerere *expoſtulat, quòd eius feſto ſibi cum amica concumbere non liceret.* Præterea *in ſacrificijs* Cereris *uinum non adhibebatur.* Vnde Plautus *in* Aulul. *iocandi anſam ſumpſit,* Megadorũ *Cereri nuptias eſſe facturum, quòd nihil uini ad nuptias eſſet allatum.*

Ceres, (δημήτηρ) Saturni & Opis *filia, frugum inuẽtrix, ex qua* Iupiter Proſerpinam *ſuſcepit: quam cùm poſtea* Pluto *rapuiſſet,* Ceres *accenſis in* Aetna *monte tedis, filiam toto orbe maximo labore perquiſiuit.* Qua *in peregrinatione cùm ad* Eleuſium *regem perueniſſet, filium eius* Triptolemũ *alendum ſuſcepit: cumq; alumnum immortalem reddere uellet, interdiu diuino eum lacte ale-*

bat, noctu uerò igne obruebat. Verùm cùm Eleuſius inſolitum filij incrementum admiraretur, nutricem ſibi obſeruandam putauit, clàm ſe abſcondens ea in parte domus, ubi illa puerum ad ignem fouere ſolebat. Cùm itaq; illam intueretur puerum in ignem mittẽtem, ſubitò expaueſcẽs clamore ſe ſuo prodidit. Quam rem ægrè ferens Ceres, nimiam hominis curioſitatem morte puniјt. Puerum autem ſerendarum frugum rationem docuit: eundemq́; in alatorum draconum uehiculum impoſuit, ut orbem peragrans, frugum uſum mortalibus communicaret. Poſtea Arethuſæ Nymphæ *indicio certior facta* Ceres, Proſerpinam *apud inferos eſſe,* Iouem *adit, fratriſq́; iniurias cum eo expoſtulat: tandemq́; filiæ reditum ea conditione impetrat, ſi nihil illa apud inferos guſtaſſet.* Verùm cum Aſcala*phi indicio palàm factum eſſet, eam in* Plutonis *pomario fortè obambulãtem, malum punicũ decerpſiſſe, aliquotq́; inde grana deguſtaſſe, reditus ei in perpetuum fuit interclusus. Quam rem ægerrimè ferens* Ceres, *Aſcalaphũ in bubonem commutauit.* Tandem *tamen* Iupiter, *ut ſororis dolorem mitigaret,* Proſerpinæ *permiſit, ut dimidia anni parte apud inferos cum uiro, reliqua apud ſuperos eſſe poſſet.* Poëtæ *aliquando Cererem accipiunt pro* Luna, *ſicut* Liberum *pro* Sole. Vergil. 1. Georg.

Vos ô clariſsima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

Alij Cereris appellatione terrã intelligi uolunt: unde & à Græcis δημήτηρ *dicitur, quaſi* γημήτηρ. *Eſt enim terra frugũ omniũ genitrix, & altrix. Eadẽ &* Theſmophoros, *dicta eſt, hoc eſt, legum latrix, quia antequam illa agriculturæ uſum docuiſſet, homines nulla lege uiuebant: poſtea*

ſtea uerò Cereris beneficio monſtrato uſu frugum, cœptū eſt de agrorum finibus (qui antea nulli erant) diſceptari: quam primam uolunt fuiſſe iuris & legum originem.

Ceyx, (κήϋξ *Suidæ*) *rex fuit* Trachiniæ, Luciferi *filius, & maritus* Alcyones *filiæ* Aeoli, *qui cùm ob caſum fratris in accipitrem mutati, ad Clarium oraculum conſulendum nauigaret, tempeſtate depræhenſus eſt & ſubmerſus. Quare cùm ſtatuto tempore non rediret,* Alcyone *multa quotidie uota pro uiri ſalute ſuſcipiebat.* Tandem *in ſomnis monita, naufragio eum periiſſe, cùm ad flendum miſerabilem uiri caſum manè ad littus ueniſſet, unde ille ſoluerat, cadauer quoddam fluctibus ad littus uidit expelli: quod cùm uiri ſui eſſe cognouiſſet, ac per undas ad illud exilire uellet,* Deorum *miſeratione in* Alcyonen *auem cōuerſa, ad os mariti aduolauit: qui & ipſe oſcula uxoris ſentiēs, in* Alcyonen *commutatus eſt.* Latius *exequitur hanc fabulam* Ouid. 11. Metam.

Chalcédon, (χαλκηδὼν) *urbs* Bithyniæ, *iuxta* Boſphorum Thracium, *ex oppoſito* Byzantij. Hanc Megarenſes *condidere:* Cæci *idcirco appellati, quòd non potius oppoſitum littus elegiſſent, in quo poſtea cōditum eſt* Byzantium, *tanto feliciore modis omnibus ſede.*

Chalcíope, (χαλκιόπη) Aeetæ *regis* Colchorum *filia fuit, ſoror* Medeæ, *& uxor* Phryxi. Huius *meminit* Flaccus *lib. 9.* Argonaut. Ouid. *in* Epiſt. Helenæ *ad* Parid.

Non *erat* Aeetes, *ad quem deſpecta rediret,*
Non Ipſæa *parens,* Chalciopeq́; *ſoror.*

Chalcís, ídis, (χαλκὶς) Eubœæ *urbs præcipua, ab* Aulidæ, Bœotiæ *portu, exiguo* Euripo *diuiſa, uetus* Athenienſium *colonia: ita dicta (ſi* Stephano *credimus) à* Chalcide *filia* Aſopi: *aut certè, quòd ærariæ fabricæ ibi pri-*

mùm fuerint repertæ. Lucan. *lib. 5.*

Chalcidos Euboïcæ uana ſpe capte, parabas &c.

Chálybes, (*χάλυβες*) *populi ſunt* Ponto *uicini, ad* Ther*modoontem fluuium,* Homero Alizones *appellati, teſte* Strabone *lib. 12.* Hi *optimo ferri genere olim celebrabantur, quod nudi effodiebant.* Vergilius 1. Georg.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,

At Chalybes nudi ferrum.

Eſt & Chalybs fluuius in Hiſpania, *in quo ferrum optimè temperatur: iuxta quem & Chalybas populos collocat* Iuſtinus *lib. ultimo: de quibus* Grammaticorum *nonnulli putant intelligendum locum* Vergilij *paulò antè citatum.*

Chaónia, (*χαονία*) *pars* Epiri *Acroceraunijs montibus proxima, cuius incolæ Chaones dicti ſunt à Chaone Troiano,* Heleni *fratre, quem cùm* Helenus *in uenatione imprudens occidiſſet, ad extincti ſolatium, regni ſui populos à nomine eius Chaones, & regionẽ Chaoniam appellauit.* Vergil. *3.* Aeneid.

Chaoniamq; omnem Troiano *à Chaone dixit.*

Iidem poſtea & Moloßi dicti ſunt, à Moloſſo Pyrrhi *filio, teſte* Strabone *lib. 7.*

Chaos, (*χάος*) *omnium rerum initium à* Poëtis *conſtituitur, quòd ante omneis deos, deaſq; natum uolunt.* He*ſiodus in* Theogonia:

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα

Γαῖ' εὐρύστερνος, &c.

Vergil. 4. Georg.

Aq; Chao denſos diuûm narrabat amores.

Dictum autem putatur Chaos, à uerbo Græco *χέω, quod eſt fundo. Nihil enim aliud hoc nomine intelligi uolunt,*

quàm

quàm rudem, informemq́; elementorum omnium cõfuſionem: cuiuſmodi deſcribitur ab Ouidio lib. 1. Metam.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cœlum,
Vnus erat toto naturæ uultus in orbe,
Quem dixêre Chaos, rudis indigeſtaq́; moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaq́; eôdem
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.

Cháradrus, (χάραδρος) *Ciliciæ fluuius eſt: à quo & lacus, & ſtatio propinqua nomen ſumpſerunt. Papinius lib. 4. Thebaidos:*

Quæq́; pauet longa ſpumantem ualle Charadron,
Neris.

Charâxus, (χάραξος) *frater Sapphûs poëtriæ, qui captus fuit Rhodopes meretricis amore: cuius cauſa opes ſuas omnes dilapidauit: & ad ſummam redactus inopiã, piraticam exercuit. Ouidius in Epiſto. Sapphûs:*

Gaudet, & è noſtro creſcit mœrore Charaxus
Frater, & ante oculos itq́;, reditq́; meos.

Et paulò antè:

Arſit inops frater uictus meretricis amore:
Miſtaq́; cum turpi damna pudore tulit.
Factus inops agili peragit freta cærula remo:
Quasq́; malè amiſit, nunc malè quærit opes.

Chárites, (χάριτες) *à Græcis dicuntur, quas Latini Gratias appellant. Hæ autem à Poëtis tres finguntur, Aglaïa, Thalia, & Euphroſyne, Iouis & Eurynomes, (ut in Theogonia tradit Heſiodus) aut Veneris & Liberi filiæ: quas ueterès nudas pinxerunt, quòd gratias inter amicos minimè deceat eſſe fucatas. Tres autem ea ratione dicuntur, quòd una beneficium det, altera accipiat, tertia reddat. Pinguntur iuuenes, ne beneficij memoria ſeneſcat.*

Riden

Ridentes, quòd hilariter dandum ſit. Et cùm duæ nos aſpiciãt, una pingitur auerſa: quo ſignificari uolũt, quòd pro accepto beneficio duplex à nobis gratia debeat reuerti.

Charon, (χάρων) Erebi & Noctis filius, inferorum portitor, quem Poëtæ fabulantur defunctorum animas ſutili cymba per Stygiam paludem tranſuehere. Vergilius ſexto Aeneidos,

Portitor has horrendus aquas, & flumina ſeruat,
Terribilis ſquallore Charon: cui plurima mento
Canities inculta iacet: ſtant lumina flamma:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipſe ratem conto ſubigit, uelisq; miniſtrat,
Et ferruginea ſubuectat corpora cymba.

Charops, (χάρωψ) uir Troianus, Hippaſi filius, & Soci frater, quos ambos uno die Vlyſſes interemit: ut tradit Homerus 11. Iliad.

Charybdis, (χάρυβδις) gurges eſt uorticoſus in freto Siculo, iuxta littus Taurominitanum, Scyllæ oppoſitus, contrarijs fluctuum concurſibus, in miram altitudinem aſſurgens, ſtatisq; temporum uicibus obuia quæq; abſorbens, iterumq́; euomens. Verg. 3. Aen.

Dextrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis
Obſidet, atq; imo barathri ter gurgite uaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſusq́; ſub auras
Erigit alternos, & ſidera uerberat unda.

Poëtæ fabulantur, Charybdim mulierem fuiſſe rapaciſſimam, à Ioue, cùm Herculis boues ſurripuiſſet, fulminatã, & in uoraginem hanc conuerſam.

Cherronêſus, (χεῤῥόνησος) quaſi χερσόνησος, ἀπὸ τοῦ χέρσου, καὶ νήσου: terra eſt, in inſulæ modum mari cincta, uno tantùm, eoq́; anguſto ſpatio continenti adiuncta:

Lati

Latini Peninſulam uocant. Quinq; autem inſigniores cōmemorantur Cherroneſi: quarum celeberrima Achaïæ adhærens, Peloponneſus appellatur. Secunda, quæ à uicina continente Thracia dicitur, cuius Iſthmus ab occaſu Melane ſinu, ab ortu Propontide abluitur. Tertia quæ Saxoniæ adherēs, à Cimbris qui eam tenuerunt, Cimbrica appellata eſt: hodie Dania dicta. Quarta inter Pontum Euxinum, & Mæotidem paludem ſita, à Tauris Scythiæ Europææ populis Táurica appellata. Quinta, quam Auream cognominant, in India ſita ſupra Gangem, Ortum uerſus, iuxta ſinum quem Magnum appellat Ptolemæus.

Chimæra, (χίμαιρα) *mons eſt Lyciæ igniuomus, in cuius cacumine leones habitant: in medio autem, ubi paſcuis abundat, capræ: in radicibus autem ſerpentes. Hinc factus eſt locus fabulæ, Chimæram monſtrum eſſe, quòd flammas euomat, caput & pectus leonis habens, uentrem autem capræ, & caudam draconis. Lucretius:*

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra.

Ouid. 6. Metamorph.

Quoq; Chimæra iugo medijs in partibus hircum,
Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.

Et quoniam Bellerophontes Glauci filius montem hunc habitabilem reddidit, Chimæram fingitur occidiſſe. Hæc ferè Seruius in illud Vergilij 6. Aeneid.

-Flammiſq; armata Chimæra.

Chíone, (χιόνη) *filia fuit Dædalionis, cuius nuptias cùm ob formæ elegantiam multi ambirent proci, tandem Pæonio Epidaurienſi nūpſit. Redeunte autem Mercurio à Cyllene monte, & Phœbo Delphis, ab utroq; conſpecta eſt: qui ſtatim amore eius capti, ſeparatim eam de ſtupro interpellant. Cumq; Apollo concubitum in noctem diſtuliſſet,*

liſſet, Mercurius moræ impatiens, caduceo eam tangens altiſſimo ſopore oppreſſit, dormientemq́; uitiauit. Sub noctem deinde Apollo accepta anus forma ad eam ingreſſus, uoti ſui compos factus eſt. Ex utroq; itaque grauida effecta, Mercurio Autolycum peperit, Apollini uerò Philammona, qui carmine & lyra plurimùm ualuit. Poſtea quòd dijs placuiſſet, ſuperbia elata, non uerita fuit ſeſe Dianæ pulchritudine præferre: qua iniuria commota Diana, ſagittis eam interemit. Fabula refertur ab Ouidio 11. Metamorph.

Chios, (χίος) *inſula maris Aegæi, nonimgentorum circiter ſtadiorum ambitu, Ioniæ adiacens, inter Samum & Leſbum, in qua laudatiſſima naſcitur maſtiche. Luca. libro octauo,*

Quas Aſine cautes, & quas Chios aſperet undas.

Hanc Ephorus priſco nomine Aethaliam, Cleobulus Chiã appellauit, à Chione Nympha, ſiue à niue: alij & Macrin, & Pityuſam. Montem habet Pellenæum, & Marmor Chium: item templum Apollinis, qui inde Chius appellatur: & promontorium Aruiſium, à quo Aruiſia uina. Hinc deducitur adiectiuum Chius, (χῖος) pen. producta, quæ tamen in primitiuo corripitur. Tibullus lib. 2.

Nec mihi fumoſos ueteris proferte Falernos
Conſulis, aut Chio ſoluite uincla cado.

Chiron, onis, (χείρων) *Centaurus, Saturni & Phillyræ filius, dimidia ſui parte equus, reliqua homo. Fabulantur enim Poëtæ, Saturnum, cùm Phillyram Oceani filiam adamaret, eiusq́; frueretur concubitu, Opis uxoris interuentu turbatum, ſubitò ſe in equum conuertiſſe. Phillyram autem ex eo grauidam effectam, fœtum peperiſſe, cuius anterior pars hominem, poſterior equum referret, eumq́;*

umq; Chironem nominaſſe: qui ubi primùm adoleuit, in ſyluas ſeſe contulit, ibiq; herbarum uires edoctus, in præſtantiſsimum medicum euaſit: à quo etiam Centaurion herba nomen accepit, & Chironium hulcus, quod maximè fit in pedibus & cruribus, duas habens oras calentes, tumẽtesq́; dolore modico: ſic dictum, quòd Chironis opem exigat. Hic *poſtea à* Peleo *&* Thetide *accitus, propter probitatem, peritiam, & iuſtitiam, quibus cæteris multùm antecellebat,* Achillis *pædagogus conſtitutus eſt, quem & citharæ artem, & herbarum uſum docuit.* Ab *eodem & medicinam* Aeſculapius, *&* Aſtrologiam Hercules *dicuntur accepiſſe.* Poſtremò *cùm* Herculem *hoſpitio ſuſcepiſſet, armaq; eius pertractaret, euênit, ut ſagitta quædam hydræ* Lernææ *ueneno imbuta, illi in pedes decideret.* Quod *malũ cùm nulla ope ſanari poſſet, diriſsimis cruciatibus conficiebatur: mori tamen non potuit, quòd utroq; parente immortali natus eſſet.* Tandem *cùm à ſuperis impetraſſet, ut immortalitatem ſibi morte liceret commutare, in cœlum translatus: ubi & Sagittarij ſignum efficit.* Verg. de XII. *cœleſtibus ſignis:*

Armatusq; arcu Chiron, & corniger hircus.

Chloris, (χλωρίς) *florum dea, eadem cum ea, quæ à Romanis* Flora *dicta eſt: quæ cùm* Zephyro *nupſiſſet, à marito muneris loco impetrauit, ut florũ omnium haberet poteſtatem.* Ouid. 4. Faſtor.

Chloris eram, quæ Flora *uocor.*

Fuit *&* Chloris *quædam* Amphionis *&* Niobes *filia, quæ* Neleo *nupſit, eiq;* Neſtorem, *aliosq; complures filios peperit.* Hæc *poſtea, ob matris ſuperbiam, quæ ſe* Latonæ *præferre nõ uerebatur, unà cum fratribus, & ſororibus,* Apollinis *&* Dianæ *telis fuit interfecta.* Fabulam *refert* Ouid

Ouidius 6. Metamorph.

Choaſpis, (χόασπις) *Medorum fluuius, ad fines* Perſidis *in* Tigrim *defluens: cuius aquæ tam ſunt ſuaues, ut finitimi reges nõ alia aqua ad pocula utantur.* Tibullus *lib.* 4.

Nec *quà uel* Nilus *uel regia lympha* Choaſpis Profluit.

Choátræ, (χόατραι) populi ſunt Scythici, *Mæotidis paludis accolæ, apud quos arbores in tantam excreſcunt altitudinẽ, ut ſagittis uix poßint adæquari.* Lucan. *lib.* 1.

Aethera tangentes ſyluas liquere Choatræ.

Chœrilus, (χοίριλος) *Poëta fuit Samius, ſeruili cõditione natus, qui cũ ex Samo Athenas profugiſſet, ab* Herodoto *hiſtorico exceptus eſt, & inſtitutus. Scripſit Athenienſium uictoriam contra Xerxem: cuius carminis nomine in ſingulos uerſus ſingulos accepit aureos ſtateres. Scripſit et geſta* Lysãdri Lacedæmoniorũ *ducis, (cuius in expeditione comes erat) ut in uita illius tradit* Plutarchus. Horatius *autor eſt, etiam* Alexãdri Magni *geſta ſcripſiſſe Chœrilum, & pro ſingulis uerſibus ſingulis* Philippeis *fuiſſe donatum. Sic enim ſcribit lib.* 2. *Epiſt.*

Gratus Alexandro Magno quondam fuit ille
Chœrilus, incultis qui uerſibus, & malè natis
Rettulit acceptos, regale nomiſma Philippos.

Sunt qui tradant, Alexandrũ hac lege cum Chœrilo pepigiſſe, ut pro ſingulis bonis uerſibus ſingulos acciperet Philippeos. pro ſingulis autem malis ſingulos colaphos: opere autem perfecto uix ſeptem fuiſſe inuentos, qui poſſent probari.

Chrómios, (χρόμιος) *filius* Nelei, *&* Cloridos, *qui in ea pugna, quã* Pylij *&* Meſſenij *aduerſum* Herculem *geſſerunt, cum decem fratribus occiſus eſt. Alius fuit* Priami *filius in bello* Troiano *à* Diomede *interfectus. Fuit &*

Crom

Chromius quidam Argiuus, qui ea in pugna, quæ ob Thyreorum agrum inter trecentos Lacedæmonios, totidemq; Argiuos commiſſa eſt, ſolus ex ſuis cum Alcenore incolumis euaſit. Autor Herodot. lib. 1.

Chryſa, æ, *ſiue* Chryſe, es, (χρύση) *oppidum fuit Ciliciæ, in ditione Mynetis, non procul à Thebis Cilicijs, Apollinis Sminthei delubro inſigne, ut eſt autor Strabo libro 13. Ouid. 13. Metamorph.*

– Chryſenq;, & Cillan, Apollinis urbes.

Stephanus item Chryſen quandam collocat circa Lemnũ, & ipſam Apollini ſacram.

Chryſáor, (χρυσάωρ) *Meduſæ filius ex Neptuno, qui ex Callirrhoë Geryonẽ ſuſcepit, ut placet Hygino Fab. Poët. ca. 152. Heſiodus in Theogonia Chryſaorẽ ſine patre natũ uult, quẽadmodũ & Pegaſum, ex ſolo Meduſæ ſanguine, cùm Perſeus Iouis & Danaës filius caput ei abſtuliſſet.*

Chryſèis, (χρυσηΐς) *filia fuit Chryſæ, Apollinis Sminthei ſacerdotis, quæ in expugnatione Thebarum Ciliciarum à Græcis capta, Agamemnoni extra ſortẽ decreta eſt: ut eſt uidere apud Homerum libro 1. Iliad. Chryſeis autem dicta eſt, à Chryſe patre, cùm uero nomine Aſtynome diceretur. Vide de hac plura in dictione Chryſes.*

Chryſes, æ, (χρύσης) *Apollinis ſacerdos fuit, pater Aſtinomes, quæ à nomine eius Chryſeis cognominata fuit: quam cùm Græci expugnatis Thebis Cilicijs, urbe Eetionis, abduxiſſent, & Agamemnoni in prædæ diuiſione tradidiſſent, Chryſes Apollinis inſignibus exornatus, ad Græcorum caſtra acceſſit, filiamq; ſibi petijt reſtitui. Quod cùm impetrare non potuiſſet, Apollinis auxilium implorauit, qui tam grauem Græcis peſtilentiam immiſit, ut Agamẽnon patri puellam reſtituere fuerit coactus. Cuius loco cũ*

Achilli Briſeidem eripuiſſet, indignè id ferens Achilles, in poſterum à prælio omni abſtinuit, donec morte Patrocli nuntiata, intermiſſa arma recepit. Autor Homerus 1. Ilia.

Chryſippus, (χρύσιππος) *filius fuit Pelopis, quem cùm pater ualde amaret, nouerca eius Hippodamia id indignè ferens liberos ſuos Atreum & Thyeſtem impulit, ut illum interficerent: ob quam rem à Pelope pulſi, in exilio uitam degerunt, donec pater è uiuis excederet. Fuit & Chryſippus alter, Stoicus Philoſophus, auditor Cleantis: cuius uitam, quoniam ad noſtrum inſtitutum nihil pertinet, ex Laërtio petendam relinquimus.*

Chryſórrhoas, (χρυσοῤῥόας) *fluuius eſt Lydiæ, ita dictus ab aureis, quas uoluit, arenis, cùm antea Pactolus diceretur. Ferunt enim Midam Lydiæ regem, cùm Liberũ patrẽ hoſpitio excepiſſet, iuſſusq; eſſet petere quod uellet, optaſſe, ut quicquid tangeret, in aurum uerteretur. Verùm cùm ipſum etiã cibum in aurum uideret commutari, & iã fame propemodum enecaretur, tandem intellecta ſtultitia ſua, à Libero dicitur petiiſſe, ut donum ſuum, quantumuis ſpeciosũ, ſibi auferret. Iuſsit itaq; Liber, ut in Pactolo fluuio ſe ablueret: cui cùm morem geſsiſſet Midas, ipſe quidẽ priſtino ſtatui eſt reſtitutus: cæterùm Pactoli aquæ aureũ inde colorem dicuntur contraxiſſe, aureasq; tunc primùm arenas uoluere cœpiſſe: unde factum eſt, ut pro Pactolo Chryſorrhoas diceretur. Vide Hyginum Fab. Poëticarum cap. 191.*

Chryſóthemis, (χρυσόθεμις) *filia fuit Agamemnonis, et Clytæmneſtræ, ſoror autẽ Oreſtis, Laodices, et Iphianaſſæ: ut tradit Homerus libro 9. Iliad.*

Cícones, (κίκονες) *populi ſunt Thraciæ ad Hebrũ fluuium, apud quos Orpheus obſcœni concubitus inuentor, à*

Bacchis dicitur laceratus. Verg. 4. Georg.

-Spretæ Ciconum quo munere matres
Diſcerptum latè iuuenem ſparſere per agros.

Cilicia, (κιλικία) regio eſt minoris Aſiæ, ad Ortum Amano mõte, & portis Ciliciis à Syria diſcreta, à Septẽtrione Tauri iugis, ab Occidẽte Pamphyliæ proxima, Cilicio mari, & ſinu Iſſico ad Meridiem abluta. Huius incolæ dicti ſunt Cilices, (κίλικες) quos piraticam exercentes, Pompeius deuicit, uictosq́; in deditionem accepit, eorumq́; poſtea fideli opera uſus eſt in bellis naualibus aduerſus Cæſarem. Lucan. lib. 3.

Itq; Cilix iuſta, non iam pirata, carina.

Cilla, (κίλλα) oppidum fuit Ciliciæ, non procul à Thebis Ectioneis, Apollinis Cillæi templo inſigne: ut habet Strabo libro. 13. Ouid. 3. Metam.

-Chryſenq́; & Cillan Apollinis urbes.

Cillus, (κίλλος) Pelopis fuit auriga, quem cùm Pelops ad Oenomaum proficiſcens, amiſiſſet in itinere, iuſta ei ſplendidè perſoluit: & ut memoriam eius ad poſteritatẽ propagaret, eodem, quo mortuus eſt, loco urbem cõdidit, quã Cillã de nomine eius appellauit. Autor Strabo lib. 13.

Cimbri, (κίμβροι) populi fuerunt Septentrionales, Saxonici maris peninſulam incolentes, quæ ab ipſis Cimbrica Cherroneſus dicta eſt. Hi anno ab urbe condita ſexcenteſimo & quadrageſimo unà cũ uxoribus & liberis Narbonenſem prouinciam ingreſſi, à C. Mario ad internecionem fuerunt deleti. Hodie Dani appellantur, & qui ipſum peninſulæ Iſthmum inhabitant, Holſatij. Hinc Cimbricus, a, um, Claudianus:

Illic Oceani ſtagnis excita ſupremis
Cimbrica tempeſtas.

Cimmérij,(κιμμέριοι)populi à Scythis oriundi, dexterã Ponti partem habitantes, nõ procul à Boſphoro,qui à nomine ipſorũ Cimmerius appellatus fuit:ubi & oppidum fuit nomine Cimmerion.Hi aërem craſſum habuiſſe feruntur,& denſis exhalationibus nebuloſum:quod & ipſum Homerus teſtatur Odyſſ.lib. 11.ubi ſic habet;

Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε, πόλις τε,
Ἠέρι, καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι. οὐδέποτ᾽ αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
Οὔθ᾽ ὁπότ᾽ ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Οὔθ᾽ ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ᾽ οὐρανόθεν προτράπηται.
Ἀλλ᾽ ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Hinc Cimmeriæ tenebræ prouerbio celebrantur,pro denſiſsima caligine. Apud Cimmerios Ouidius Somni ſedem collocat,ſic ſcribens 11.Metam.

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,
Mons cauus,ignaui domus,& penetralia ſomni.

Cimôlus,(κίμωλος Suidæ) inſula eſt in mari Cretico,è regione Zephyrij promõtorij: ex qua optimũ aduehebatur cretæ genus,abluendis ueſtiũ maculis imprimis utile. Oui.7.Metamor.

Hinc humilem Myconen,cretoſaq; rura Cimoli.

Cinga,(κίγγας) fluuius eſt Hiſpaniæ Citerioris, ex Pyrenæis montibus in Iberum influens.Lucanus lib.1.

Quos Cinga pererrat   Gurgite,&c.

Cinna,(κίννας) Poëta fuit doctiſsimus, Vergilij æqualis: cuius meminit Eclog.9.

Nam neq; adhuc Vario uideor, neq; dicere Cinna
Digna,ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.

Cippus,(κίππος)nobilis fuit Romanus,ut fabulatur Ouid.15.Meta.qui fuſis hoſtibus ad urbẽ rediens, cùm cornua ſibi ſubitò enata animaduertiſſet, reſponſumq; acce-

piſſet

piſſet ab haruſpicibus, fore ut Romæ *regnaret, ſi urbis mœnia ingrederetur: Senatum, populumq́; extra urbem conuocauit, quos cùm rem omnem edocuiſſet, ſponte ſe exilio mulctauit, unico terræ iugero contentus, in quo reliquam uitæ partem peregit.*

Circe, (κίρκη) *Solis, & Perſes* Nymphæ *filia, & Aeetæ Colchorũ regis ſoror, ueneficiorũ peritiſsima: quæ Sarmatarum rege, cui nupſerat, ueneno ſublato, regnoq́; per ſcelus parto, cùm crudelius imperaret, ab incolis pulſa, in* Italiã *profugit, & in Circæo monte (qui antiqui olim* Latij *terminus erat, & efficaciſsimis herbis abundabat) ſedẽ ſibi delegit: ubi cùm Glaucũ marinũ deum adamaret, Scyllam puellam, quam ille deperibat, infectis fontibus, in monſtrum marinum commutauit.* Vlyſſem *item ui tempeſtatis ad ſe delatum hoſpitio ſuſcepit, ſociosq́; eius, quos in porcos commutauerat, eidem reſtituit: cui &* Telegonum *filium peperit. Poſtremò &* Picum *Latinorum regem, quòd ſuxorem ſuam, nomine Canentem, ſibi præferret, in auem ſui nominis commutauit.* A` Circe *fit Circæus, a, um,* (κιρκαῖος.) Vergil. 4. Aen.

Proxima Circææ raduntur littora terræ,
Diues inacceſsos ubi Solis filia lucos
Aßiduo reſonat cantu.

Vide plura apud Homerum 10. Odyß.

Circius, (μελαμβόρειος Straboni) *uentus eſt* Galliæ Narbonenſi *peculiaris, reliquis cœli partibus ignotus, inter* Corum *&* Aparctian *ſpirans, nulli uentorum uiolentia inferior: quippe qui et onuſta percellat plauſtra, & ædiũ tecta ſecũ rapiat. Circius autẽ à uertigine dictus putatur, eò quòd in orbem circumagatur.* De hoc Lucan. lib. 1.

– Solus ſua littora turbat

Circius, & fida prohibet ſtatione Monœci.

Cirrha, (κίῤῥα) *oppidum fuit Phocidis, ad radicem Parnaßi montis, in quo Apollo religioſißimè colebatur. Lucan. libro tertio,*

Phocaïcas Amphiſſa manus, ſcopuloſaq́; Cirrha.

Martialis ad Silium Poëtam:

Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permeßidos unda?
Romanum melius, diuitiusq́; forum eſt.

Hinc Apollinem Cirrhæum cognominat Seneca in Hercule Oetæo.

Ciſſeus, (κισσεὺς) *rex Thraciæ fuit, pater Hecubæ: de quo Vergilius 5. Aen.*

Ipſius Anchiſæ longæui hoc munus habebis
Cratera impreſſum ſignis, quem Thracius olim
Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum, & pignus amoris.

Hinc Hecuba ipſa Ciſſeis appellatur à Vergilio 7. Aen.

-Nec face tantum
Ciſſeis prægnans ignes enixa iugales.

Cithæron, (κιθαίρων) *mons eſt Bœotiæ, teſte Strabone, cuius radicem Aſopus amnis alluit. Seruius credidit alterũ eſſe ex iugis Parnaßi: quod omniũ Geographorũ iudicio ſecus ſe habet. Eſt enim Cithæron, mons à Parnaſſo diſcretus, & ab eo plus quàm triginta paſſuum millibus dißitus. Hic mons Libero patri ſacer erat: unde etiam ibi eius Orgia celebrabant. Ouid. 3. Metam.*

Vadit, ubi feſtus facienda ad ſacra Cithæron,
Cantibus, & clara Bacchantûm uoce ſonabat.

Clánius, (γλάνις Steph.) *fluuius Campaniæ, iuxta Acerras urbem, crebris eius inundationibus bona ex parte hauſtam: ut annotauit Seruius in illud Verg. 2. Georg.*

Vacuis

—*Vacuis Clanius non æquus Acerris.*

Plinius lib.3.cap.5. Glanicum *uocat, eundemq́; eſſe teſtatur cum* Lyri, Minturnas *interſecante.*

Claros, (κλάρος) *Ioniæ ciuitas, Apollinis oraculo nobilis, iuxta Colophonem. Hanc Manto Tireſiæ filia condidit, fugiens Thebanorum uictores Epigonos. Quæ cùm patriæ cladem lugeret, & ſuã, manantibus ubertim lacrymis fontem fecit: unde Claros,* ἀπὸ τοῦ κλάειν *locus appellatus. Nearchus uerò autor eſt, inde urbi huic nomen factum, quòd Apollini per ſortem Claros obtigit. Nam ſortem,* κλῆρον *Græci nominant. Hinc Apollo Clarius dictus eſt, qui illic & fanum habuit, in quo reſponſa, epota aqua, edebantur. Ouid.2. de Arte:*

Et Paros, & Clario Delos amata Deo.

Eſt & Clarus inſula in mari Myrtoo, & ipſa Apollini ſacra: de qua nonnulli intelligunt illud Ouid.1. Metam.

—*Mihi Delphica tellus,*
Et Claros, & Tenedos, Pataræaq́; regia ſeruit.

Clauſus, *rex fuit Sabinorum, qui Turno aduerſus Aeneã ſuppetias tulit. Ab hoc Appius ille Claudius originem traxit, qui paucis poſt exactos reges annis cum quinq́; millibus clientũ ſe Romã cõtulit, urbisq́; partẽ habitandã accepit, Claudiamq́; familiam propagauit. Ver.7. Aeneid.*

Ecce Sabinorum priſco de ſanguine magnum
Agmen agens Clauſus, magniq́; ipſe agminis inſtar,
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus, & gens.

Claudianus, (κλαυδιανὸς) *Poëta fuit Alexandrinus, qui ſub Theodoſio floruit. Scripſit de Raptu Proſerpinæ libros 3. Item Laudes Honorij, Arcadij, Olibrij, Stiliconis, & aliorum, cum quibuſdam Inuectiuis & Epigrammatis: quæ etiam hodie extant.*

Clazómenæ, (κλαζομεναί) urbs Ioniæ, non procul à Smyrna, Parali opus, antea Gryna appellata: unde & Apollo, qui circa hanc urbem & lucum habebat, & oraculum, Grynæus eſt cognominatus.

Cleónæ, (κλεωναὶ) oppidum fuit mediocre ea in uia, quæ ab Argis Corinthum ducit, ab Argis quidem ſtadijs 120. à Corintho uerò 80. diſtans. Ouid. 6. Metamorph.

-Humilesq́; Cleonæ
Et Nelea Pylos.

Inter Cleonas & Phliuntem Nemeæa ſylua conſurgit, in qua Hercules miræ magnitudinis leonem interfecit, qui à loco dictus eſt Cleonæus. Lucanus lib. 5.

Ille Cleonæi proiecit terga leonis.

Cleópatra, (κλεοπάτρα) Aegypti regina fuit, Ptolemæi Auletæ filia, ſoror, & uxor Ptolemæi ultimi, mulier impudiciſsima, à Cæſare primùm adamata: cui filium Cæſarionem peperit: deinde ab Antonio iuſtæ uxoris loco habita. Quod cùm ægrè ferret Auguſtus, cuius ſororē Antonius uxorem duxerat, bellum inter eos eſt exortum: cuius exitus is fuit, ut pugna nauali apud Actium commiſſa, Antonius fuerit ſuperatus, atq; unà cum Cleopatra (quæ prælio illi intererat) ſeſe dederit in fugam. Quos nō multò pòſt inſecutus Auguſtus, Actium ad necem ſpontaneam compulit. Cuius exemplum imitata Cleopatra, ne uiua in hoſtis poteſtatem ueniret, & per ludibrium in triumpho circunduceretur, aſpidibus corpori admotis, extremum uitæ diem clauſit. Statius lib. 3. Syluar.

Actias Auſonias fugit Cleopatra catenas.

Clîo, (κλέω) una Muſarū ex nouē, apud Heſio. in Theog. ἀπὸ τῦ κλέυς, id eſt, à gloria, quòd poëtis gloria ex carmine naſcatur. Alij ἀπὸ τῦ κλέειν, hoc eſt, à celebrando

dictam

dictam putant, propterea quòd hiſtoriæ inuentrix eſſe pu tetur: cuius proprium eſt uirorum fortium laudes celebrare, eorumq́; geſta ad poſteritatem tranſmittere. Verg. de Nouem Muſis:

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.

Clitor, oris, (κλείτωρ) *oppidum mediterraneum Arcadiæ, à quo uicinus fons Clitorius appellatur, ei qui guſtauerit, uini faſtidium inducens.* Ouid. 15. Metam.

Clitorio quicunq́; ſitim de fonte leuauit,
Vina fugit, gaudetq́; meris abſtemius undis.

Clitumnus, (κλίτουμνος) *agri* Faliſci *fluuius eſt, cuius aquæ potatæ candidos faciunt boues, teſte* Plin. *libro* 2. *ca pit.* 103. Vergil. 2. Aen.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima. Silius lib. 11.
Et lauat ingentem profundens flumine ſacro
Clitumnus taurum.

Clœlia, (κλοιλία) *nobilis uirgo* Romana *fuit, quæ cum alijs nõnullis uirginibus* Porſenæ Hetruſcorum *regi obſes data, deceptis cuſtodibus unà cum reliquis uirginibus incolumis ad ſuos per* Tyberim *renauit.* Quamobrem Romani *nouam in fœmina uirtutem nouo honoris genere or nandam rati, ſtatuam ei equeſtrem in ſumma ſacra uia po ſuerunt.* Verg. 8. Aeneid.

Illum indignanti ſimilem, ſimilemq́; minanti
Aſpiceres: pontem auderet quòd uellere Cocles,
Et fluuium uinclis innaret Clœlia ruptis.

Clónius, (κλόνιος) *unus è quinque ducibus* Bœotorum, *qui cum quinquaginta nauibus ad* Troiam *nauigauerũt, ut ſcribit* Homer. *libro* Iliad. 2.

Clothò, (κλωθὼ) *una* Parcarũ, *quas* Heſiodus *in* Theogo

nia Iouis & Themidos filias facit, humanæ uitæ ſtamina diſpenſantes. Dicta Clotho, ἀπὸ τοῦ κλώθειν, quod uoluere, ſeu nere ſignificat. Fingunt enim Poëtæ hanc colum geſtare, & nendo humanæ uitæ terminum præſcribere. Statius:

Quid bonus ille Deûm ſtatuat, quid ferrea Clotho.

Clúpea, ſiue Clypea, (ἀσπὶς) ciuitas eſt Africæ propriè dictæ, in promontorio Mercurij ſita: ita dicta à clypei figura. Lucanus libr. 4.

Et Clupeam tenuit ſtationis littora notæ.

Hanc Solinus Græco nomine Aſpidem uocatam tradit. Quod & ipſum non obſcurè affirmat Silius Italicus Bel. Pun. lib. 3.

In clypei ſpeciem curuatis turribus Aſpis.

Clymene, (κλυμένη) Oceani & Tethyos filia, Iapeti uxor, teſte Heſiodo in Theogonia: de quo Vergilius quarto Georg.

Inter quas Clymene curam narrabat inanem
Vulcani, Martisq; dolos, & dulcia furta.

Fuit & altera Clymene, quæ Apollini Phaëthontem peperit, eiusq; ſorores Heliadas: de qua Ouid. lib. 1. & 2. Metamorph. Tertia fuit Clymene, miniſtra Helenes, particeps conſiliorum dominæ, furtorumq; eius internuntia, quæ etiam ad Troiam illam eſt ſecuta, ut eſt autor Homerus lib. 3. Iliad. Meminit huius & Ouidi. in Epiſt. Helenæ ad Paridem:

Cætera per ſocias Clymenen, Aethramq; loquemur:
Quæ mihi ſunt comites, conſiliumq; duæ.

Clytæmneſtra, (κλυταιμνήστρα) filia fuit Tyndarei & Ledæ, uxor autem Agamemnonis, quæ belli Troiani tempore mutuo Aegiſthi amore capta, turpiſsimis cum eo uo

lupta

luptatibus ſeſe implicuit: uirumq; capta iam Troia, in patriam redeuntem, ab adultero adiuta, per inſidias interfecit: idem Oreſti filio factura, niſi eum Electra ſoror certiſſimæ neci eripuiſſet, & ad Strophium regem clàm miſiſſet educandum. Hic poſtea adultus Argos rediјt: ubi unà cum hoſpitibus Phocenſibus (quos Strophius ad Aegiſthum miſerat tanquam Oreſtis mortem nuntiaturos) ad Clytæmneſtram intromiſſus, unà cum adultero eam interemit. Vide Homerum libro undecimo Odyſſeæ. Senecam in Agamemnone, & Euripidem in Oreſte.

Clytia, æ, *ſiue* Clytie, es, (κλυτίη) *una fuit ex Oceani nymphis, aliquandiu ab Apolline adamata, donec illa Apollinis cum Leucothoë concubitum Orchamo patri eius indicauit. Quare iratus Apollo, Clytien grauiſſimo odio proſequutus eſt. Illa uerò amoris impatientia cibo, & potu abſtinens, manè orientem, & ueſperi occidentem ſpectabat Apollinem: & quacunque ille iter faciebat, Clytie oculis ſequebatur. Vnde tandem fame, & dolore conſumpta, mutata eſt in heliotropium. Fabulam hanc refert Ouidius 4. Metamor.*

Clytius, (κλύτιος) *filius Laomedontis, & frater Priami, ut refert Homerus libro 20. Iliad. Eſt & Clytius, adoleſcentis nomen apud Vergilium 10. Aen. quem Cydon quidam in delicijs habuit.*

Cnidus, (κνίδος *Straboni*) *urbs inſignis in extremo cornu peninſulæ Cariæ adhærentis, Praxitelis Venere imprimis nobilis. Horat. 1. Carm. Ode 30.*

O Venus regina Cnidi, Paphiq;.

Cnoſſus, (κνωσσὸς *Straboni*) *urbs Cretæ clariſſima, Minois regia, olim Ceratus appellata, à uicino eiuſdem no-*

minis

minis fluuio. Hinc Cnoſsius,a,um.Verg.6.Aeneid:

Cnoſsius hæc Rhadamanthus habet duriſsima regna.

Item Cnoſſus,a,um.Lucan.lib.3.

-Cnoſſasq; agitare pharetras Docta.

Item Cnoſsis,idis,gentile fœmininum,quo Poëtæ utuntur pro Ariadne Minois Cnoſsi regis filia.Ouid.Epiſt.21.

Et Phœbus Daphnen,& Cnoſsida Bacchus amauit.

Cócalus,(κώκαλος) Siciliæ rex fuit,qui Dædalum Minois iram fugientem hoſpitio ſuſcepit: quem cùm Minos illuc uſq; perſequeretur,à Cocali filiabus fuit interfectus.

Cocytus,(κωκυτὸς) Inferorum fluuius, à Styge profluens,nomen habens ἀπὸ τοῦ κοκύειν, quod eſt gemere, ac lamentari.Vergilius 6.Aeneid.

Cocyti ſtagna alta uides,Stygiamq; paludem.

Claud.de Raptu Proſerpinæ lib.2.

-Preſſo lacrymarum fonte reſedit

Cocytus,tacitis Acheron obmutuit undis.

Hinc Cocytia, (κοκύτια) dicta ſunt ſacra, quæ fiebant in honorem Proſerpinæ,quam Pluto rapuit: à Cocyto inferorum fluuio nominata.Autor Porphyrio in illud Horatij in Epod.

Inultus ut tu riſeris Cocytia.

Codrus, (κόδρος) rex fuit Athenienſium, qui pro patriæ ſalute certiſsimæ ſe morti obiectauit. Reſponſum enim acceperant Peloponnenſes,ita demum ſe ſuperaturos, ſi hoſtium regem non occidiſſent.Fefellit ergo eos habitu pauperis,eosq; in ſuam necem per iurgia prouocando, à nullo cognitus,fecit fidem oraculo.Verg.Eclog.5.

-Si quos aut Phyllidis ignes,

Aut Alconis habes laudes,aut iurgia Codri.

Colchis, idis, (κολχὶς) regio Aſiæ iuxta Pontum, regnum

gnum Aeetæ regis, & Medeæ patria, Coracé monte (qui eſt Tauri pars) à Septentrione, ab Ortu Iberia, à Meridie Phaſide, ab Occidente Euxino ponto clauſa. Huc ferunt Iaſonem cum Argonautis nauigaſſe, Medeæq; artibus adiutum, aureum uellus inde retuliſſe. Eſt autem hæc regio uenenorum feraciſsima: quæ res uidetur locum feciſſe fabulæ, quam de Medeæ ueneficijs comminiſcuntur Poëtæ. Horat. lib. 2. Carm.

Ille & uenena Colchica,
Et quicquid uſquam concipitur nefas
Tractauit.

Eſt & Colchis, gentile fœmininum, quo poëtæ utuntur pro Medea Aeetæ Colchorum regis filia. Martialis li. 4.

Ignipedes poſſet ſine Colchide uincere tauros.

Collátia, (κολλατία) oppidum fuit in prima Italiæ regione, ab Albanis (ut creditur) conditum, & à Tarquinio Superbo inſtauratum, collata eum in uſum à Pop. Rom. pecunia: unde & nomen putatur accepiſſe, ut refert Seruius enarrans illud Vergilij 6. Aeneid.

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemq; Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces.

Ex hac urbe ortum traxit Tarquinius Collatinus, Lucretiæ maritus, qui primus poſt exactos reges cum Iunio Bruto factus Conſul, paulò pòſt non aliam ob cauſam, quàm quod ex gente Tarquiniorum eſſet, magiſtratu ſe abdicare coactus eſt, & uitæ reliquum in exilio tranſigere: ut eſt autor Liuius lib. 2. ab urb. cond.

Collîna porta, Romæ in colle Quirinali ſita (unde & nomen accepit) non procul à Veneris Erycinæ templo. Ouid. 4. Faſtor.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ

Nunc

Nunc decet: à Siculo nomina rege tenent.

Eadem & Salaria uocatur: propterea quòd per eam ſalem ferebant Sabini: ut eſt autor Cornel. *Tacitus Annal. lib.* 15.

Colónos, (κολωνὸς) *agger fuit, ſiue locus editus, non procul ab Athenis, in quē* Oedipus *Thebis exulās dicitur commigraſſe: unde* Sophocles *tragœdiam de* Oedipi *calamitatibus cōſcriptam,* Oedipum Coloneum *appellauit. Erat autem hic locus* Neptuno *ſacer, ubi etiam equeſtris eius ſtatua fuit, quemadmodum &* Theſei, Pirithoi, Adraſti, *&* Oedipodis. *In hoc aggere fuit &* Timonis *turris, qui à ſolitudine, hominumq́; odio* μισάνθρωπος *cognominatus eſt.* Hæc Pauſanias *in* Atticis. Pollux *uerò lib.* 7. *autor eſt, duo huius nominis loca in* Attica *fuiſſe: alterum* ἵππιον *appellatum, in quem confugit* Oedipus: *alterum in foro iuxta* Euryſacium, ἀγοραῖον *cognominatum.*

Cólophon, (κολοφὼν) *urbs eſt* Ioniæ, *nobilis oraculo* Apollinis. *Colophonij nauales opes ſatis amplas habuere, & in equeſtribus certaminibus tantùm excelluere, ut uictoriam ſibi certam pollicerentur, quibus Colophonius acceßiſſet equitatus. Hinc factus eſt locus prouerbio,* κολοφῶνα ἐπέθηκε, *hoc eſt, Colophonem addidit, cùm ſumma operi manus imponebatur. Ex hac urbe nonnulli* Homerum *ortum uolunt: unde & Colophoniacus cognominatur à* Vergilio *in Ciri:*

Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero.

Colôus, (κολῶος) *lacus eſt* Lydiæ, *quadraginta ſtadijs à* Sardibus *diſtās, qui & Gygæus à* Poëtis *nominatur: iuxta quem &* Dianæ *templum fuit cognomento* Coloenæ, *ubi ſimiæ ſolennibus diebus ſaltare dicebantur. Vide* Strabonem *lib.* 13.

Comagêna, (κομαγηνή) pars Syriæ, ſupra Ciliciam in Ortum ſita, trans Amanum montem, excurrens uſq; in Meſopotamiam, à qua Euphrate fluuio dirimitur. Huius regionis incolæ Comageni dicti ſunt, haruſpicinæ olim peritia præ cæteris nobilitati. Iuuen. Sat. 6.

Spondet amatorem tenerum, uel diuitis orbi
Teſtamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius, uel Comagenus aruſpex.

Cométes, (κομήτης) pater fuit Aſterionis, unus ex Argonautis, cuius meminit Valerius Flaccus lib. 1.

Comus, (κῶμος) Deus apud ueteres habitus comeſſationum, nocturnarumq; ſaltationum præſes: in cuius militia autorabantur iuuenes, qui coronati noctu cum facibus, muſicisq; inſtrumentis ad amicarum fores ſaltandi, canendiq; gratia concurrebant, procaciterq; laſciuiebant, ut fores nonnunquam effringerent: quod optimè deſcribit Philoſtratus περὶ εἰκόνων, Imagine tertia. Hinc Crepalocomus, uinolentorum hymnus, apud Ariſtoph. in Ranis.

Cone, (κώνη) inſula eſt exigua, non procul ab oſtijs Iſtri fluminis. Lucan. lib. 3.

-Et barbara Cone
Sarmaticas ubi perdit aquas.

Congêdus, amnis eſt Celtiberorum, erumpens circa Bilbilim, qui per agri planitiem fluens, exiguum lacum efficit, tepentibus aquis ſalubrem. Martial. lib. 1.

Tepida natabis lenè Congedi uada,
Molleſq; Nympharum lacus.

Conon, (κόνων) inſignis fuit Mathematicus, patria Samius, qui ſeptem de Aſtrologia libros edidit. De hoc accipiendum eſt illud Vergilij 3. Eclog.

In medio duo ſigna, Conon, & quis fuit alter,

Deſcri

Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem?

Fuit & alter Conon, Athenienſium dux, qui prælio uictus à Lyſandro Lacedæmoniorum duce, ſponte abijt in exilium ad Artaxerxem Perſarum regem, cuius auxilio patriam, cui ſeruitutem attulerat, reſtituit in libertatem: ut latius eſt uidere apud Plutarchum in Lyſandro.

Coon, *(κόων) Antenoris filius fuit, Troiano in bello ab Agamemnone occiſus: ut placet Homero lib. 11. Iliad.*

Coptus, *(κόπτος) oppidum Thebaidis, teſte Plinio libr. 37. cap. 5. commune Aegyptiorum & Arabum emporiũ, uergens ad mare rubrum, uicinas habens cautes, è quibus eruuntur ſmaragdi. Iuuenalis Satyra 15.*

Geſta ſuper calidæ referemus mœnia Copti.

Coralli, *(κοραλλοὶ) populi ſunt Pontici, immanitate inſignes. Ouidius libro quarto de Pon.*

Hîc mea cui recitem flauis niſi ſcripta Corallis?

Corcyra, *(κέρκυρα) inſula eſt maris Ionij, non procul ab Epiro, Vlyßis naufragio, & Alcinoï hortis nobilitata: ita dicta ab eiuſdem nominis Nympha, Aſopi filia, quam Neptunus ibi compreßit: cùm prius Scheria, & Phæacia diceretur. Lucan. lib. 2.*

Hinc latè patet omne fretum, ſeu uela ferantur
In portus Corcyra tuos, ſeu læua petatur
Illyris, &c.

Córduba, *(κόρδουβα) oppidum Hiſpaniæ Bæticæ, utriuſque Senecæ, & Lucani patria: ut teſtatur Martialis lib. 1. ad Licianum:*

Duosq; Senecas, unicumq; Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Corinna, *(κόριννα) poëtria fuit doctißima, ab Ouidio Naſone plurimum adamata, eiusq; carminibus ab obliui-*

onis

onis iniuria uindicata. De hac Martialis lib. 5.

Norat Naſonem ſola Corinna ſuum.

Fuit & Corinna alia Thebana, ſiue Tanagræa, Archelodori filia, & Myrtidis diſcipula, quæ Pindari ætate floruit. Item alia Theſpia, ueterum & ipſa monumentis plurimum celebrata: ut latius eſt uidere apud Suidam.

Corinthus, (κόρινθος) urbs Achaiæ, ferè in medio Iſthmi Peloponneſiaci ſita: (Iſthmos autem Græci uocant anguſtias, quibus à peninſula ad continentem eſt aditus) ab ortu Saronicum, ab occaſu Criſſæum ſinum habens, qui & Corinthiacus dicitur: duobus inclyta portubus, quorum Lechæũ Ionio, Schænus Aegæo imminet mari. Vnde & Bimarem Corinthum poëtæ peculiari epitheto appellarunt. Ouid. 4. Faſtor.

Adriacumq; patens latè, bimaremq; Corinthum.

Horat. lib. 1. Carm. Ode 7.

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimariſue Corinthi Mœnia.

Dicta autẽ putatur Corinthus, à Corintho Marathonis, ſiue (ut alij malunt) Pelopis filio, qui illam euerſam inſtaurauit, cùm antea Ephyre diceretur. Hæc Græcarum omnium urbium clariſſima fuit, quæ ob ſitus opportunitatem in tantam excreuit potentiam, ut ne Romanæ quidem urbi concederet: tantumq; in faſtum euaſit, ut Pop. Rom. legatos iniurioſius appellare, & (ſi Straboni credimus) etiam ſordibus perfundere non dubitarint. Qua re commoti patres, cùm etiam antea creſcentem in dies urbis potentiam ſuſpectam haberent, bellum illi inferendum cenſuerunt. Miſſus itaq; in Græciam L. Mummius Corinthum obſedit, tandemq; captam incendit, ſoloq; æquauit, adeò ut uix ullum tantæ urbis reliquerit ueſtigium.

Quo incendio cõfuſis metallis inuẽta eſt miſtura æris pretioſißimi, qđ ab urbis huius nomine Corinthiũ appellarũt.

Cornélia, (κορνηλία) *matrona nobilißima fuit, eademq; eloquentißima, Sempronij Gracchi uxor, & Tyberij & Caij Gracchorum mater, & maioris Africani filia. De hac Iuuenal. Sat. 6.*

Malo Venuſinam, quàm te Cornelia, mater
Gracchorum, ſi cum magnis uirtutibus affers
Grande ſupercilium, & numeras in dote triumphos.

Corœbus, (κόροιβος *Suidæ*) *filius fuit Mygdonis, (unde à Verg. Mygdonides appellatur) qui incenſus amore Caſſandræ, quam Priamus ei deſpõderat, poſtremis belli Troiani temporibus ad Troiam uenit, ſocero & Phrygibus laturus auxilium, fruſtra ei ſuadente ſponſa, ut in patriam reuerteretur, certißimoq; exitio, quod toti urbi imminebat, ſeſe eriperet. Cuius uerbis cũ fidem non adhiberet, poſtrema illa nocte, qua Ilium cecidit, à Peneleo quodã Græco fuit interfectus. Verg. libro 2. Aeneid.*

-Iuuenisq́; Corœbus
Mygdonides, illis qui ad Troiam fortè diebus
Venerat, inſano Caſſandræ incenſus amore.

Corôna, (ςέφανος) *quantum ad præſens attinet inſtitutum, ſignum eſt cœleſte ſupra humerum Arctophylacis, ex nouem conſtitutum ſtellis, in orbem diſpoſitis, cum Scorpione exoriens, occidens autẽ exoriente Cancro. Fabulantur Poëtæ hanc Ariadnes, Minois Cretenſium regis filiæ coronam fuiſſe, quam illa in Dia inſula Libero nubens, à Venere & Horis dono accepit, cùm Dij omnes in eius nuptijs dona conferrent. Vnde & Cnoßia corona paßim à Poëtis appellatur. Vergil. 1. Georg.*

Antè tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,

Cnoßiaq́; ardentis decedat ſtella coronæ.

Corónis,idos(*κορωνὶς*) *alio nomine* Arſinoë, Nympha *fuit* Phlegyæ,*uel, ut alij tradunt,* Leucippi *filia, quæ cùm forma eßet non inelegāti,* Apollini *placuit: à quo & uitiata, & grauida facta eſt. Verùm cùm poſtea* Iſchidi *cuidā* Theſſalo*, mutuo eius amore capta, ſui copiam faceret, à coruo depræhenſa eſt: ex quo cùm* Apollo *amicæ perfidiam cognouiſſet, telis eam confodit: puerumq́; (qui poſtea* Aeſculapius *appellatus eſt) ex utero eius exemptum,* Chironi Cētauro *tradidit educandum.* Ouid.lib.2.Metamor.

Pulchrior in tota, quàm Lariſſæa Coronis,

Non *fuit* Aemonia,*&c.*

Corus, (*ἀργέστης*) *uentus eſt ſpirans ab* Occaſu *ſolſtitiali, teſte* Plinio.*lib.2.cap.47.*Lucanus *libr.2.*

–Non Corus *in illum* Ius *habet.*

Idem *&* Caurus *quandoq́; appellatur propter cognationem o literæ cum au diphthongo.*Verg.3.Georg.

Semper hyems, ſemper ſpirantes frigore Cauri.

Corybantes,(*κορύβαντες*)Cybeles *ſacerdotes, qui ſacro correpti furore cymbala pulſabant, capitaq́; inter ſaltandum iactantes, alios in ſimilem rabiem agebant.*Homerus *βητάρμονας uocat.*Hi *primùm* Idam Phrygiæ *montem tenuiſſe dicuntur: poſtea autem in* Cretam *nauigaſſe, monteмq́; quēdam incoluiſſe, quē à nomiue relictæ ſedis, etiam* Idam *appellarunt: ubi &* Iouem *infantem aluerunt, tympana iugiter pulſantes, ne* Saturnus*(cui cum* Titano *fratre conuenerat, ut ſobolem omnem maſculam interficeret) puerum uagientem audiret. Sunt qui* Curetas*, &* Corybantas*, &* Caberos*, &* Idæos Dactylos *eoſdem eſſe putent.* Dicti *autem putantur* Corybantes, *ἀπὸ τοῦ κορύπτειν, quod eſt, caput inter ſaltandum iactare, more inſanorum.*

Vnde & κορυβαντιᾷν dicũt Græci pro inſanire, ſeu malo genio incitari. Hermolaus tamen in Plinianis Caſtigat. à pupillis oculorũ dictos mauult, quas Græci κόρας appellant. Nam cùm Iouis cuſtodes eſſent, apertis oculis more leporum dormire cogebantur. Diodorus Siculus Corybantum ſcribit Iaſonis & Cybeles filium fuiſſe, ac ſimul cum Dardano ſacra Matris deûm in Phrygiam detuliſſe, eosq́; qui in ſacrificia eius deæ incumbere uoluerunt, de ſuo nomine Corybantas appellaſſe. Alij à galea dictos uolunt, quæ Græce κόρυς dicitur, quòd galero quodam capita tecta haberent. Nominatiuus ſingularis eſt Corybas: quo uſus eſt Claudianus de Raptu Proſerpinæ lib. 2.

Non te progenitum Cybeleïus ære canoro
Luſtrauit Corybas, &c.

Hinc Corybantius, a, um: ut Aera Corybantia, pro Magnæ matris cymbalis, apud Verg. 3. Aen.

Córycus, (κώρυκος) mons Ciliciæ altißimus, cum oppido eiuſdem nominis, optimi ferax croci, quod ab eo Corycium appellatur. Martialis libro 11.

Vltima Corycio quæ cadit aura croco.

Ad montis huius radicem antrum erat Corycium, Muſis ſacrũ: unde etiam illæ paßim à Poëtis Corycides Nymphæ appellantur. Ouid. 1. Metam.

Corycidas Nymphas, & numina montis adorat.

Corynêta, (κορυνήτης) latro fuit famoſißimus, Vulcani filius, qui cùm iuxta Epidaurum hoſpites claua quadam, quæ coryna dicebatur, trucidaret, (unde & hoc nominis ſibi ſumpſit, cùm prius Periphatus uocaretur) à Theſeo fuit interfectus. Autor Suidas.

Corythus, (κόρυθος) oppidũ Thuſciæ, prope Aretiũ, in paruo colle eiuſdẽ nominis ſitũ, à Corytho rege ita appellatum.

latum. Verg. lib. 9.

Nec ſatis: extremas Corythi penetrauit ad urbes.

Côs, (κῶς) *inſula eſt maris* Icarij, *Cariæ adiacens, non procul à* Rhodo, 550. *ſtadiorũ ambitũ cõtinens: urbẽq; habens eiuſdẽ nominis, inſulæ totius caput, ex qua* Apelles *pictor ortũ traxit: unde & Cous cognominatur. Oui. 2. de Arte.*

Si Venerem Cous nunquàm pinxiſſet Apelles,
Tota ſub æquoreis merſa lateret aquis.

Solẽt in hac inſula fieri ueſtes tenuiſsimæ ex bõbyce ad fœminarũ ornamẽtũ, quæ Coa uocabãtur. Ouidius de Arte:

Siue erit in Tyrijs, Tyrios laudabis amictus:
Siue erit in Cois, Coa decere puta.

Cóſyra, (κόσυρα) *inſula eſt ſterilis in mari Lybico, non procul à Melite, cuius incolæ Coſyræi, (κοσυραῖοι) dicuntur. Ouidius 3. Faſtorum:*

Fertilis eſt Melite, ſterili uicina Coſyræ,
Inſula, quam Libyci uerberat unda freti.

Cotytto, ûs, (κοτυῒτώ) *dea impudentiæ habita eſt, cui Athenis à Baptis (eo nomine uocabãtur eius ſacerdotes) nocturna ſacra fiebant, quæ ab illa uocabantur Cotyttia. Hanc Probus ſaltatricem fuiſſe exiſtimat: unde etiam ſacerdotes eius laſciuis ſaltationibus mores eius referebãt. Iuuenal. Sat. 2.*

Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.

Huius ſacra Cotyttia dicebãtur. Vide Polit. Miſcel. ca. 10.

Cragus, (κρᾶγος Stephano) *mons Lyciæ, Tauri pars, ut ſcribit Pomponius li. 1. & Plin. cap. 27. lib. 5. ex oppoſito habens montem Anticragum: ſic dictus à Crago Tremiletis, & Praxidicæ Nymphæ filio. Ouid. Metamorph. lib. 9.*

Iam Cragon, & Lymiræ, Xanthiq; reliquerat undas.

Crantor, (κράντωρ) *Solenſis, Academicus philoſophus*

fuit, Platonis auditor, & condiſcipulus Xenocratis, & Palæmonis, qui nouis opinionbus Academiam Platonicã repleuerunt. Hic ſcripſit librum de Conſolatione, quẽ Cicero æmulatus eſt. Perijt aquæ intercutis morbo. Taxauit Stoicorum indolentiam, quæ eſſe nullo modo poteſt, niſi planè hominem ſaxeum eſſe uelimus, & omni ſenſu carentem. Horatius libro 1. Epiſto.

Troiani belli ſcriptorem, Maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi:
Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid nõ,
Planius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.

Alius fuit Pelei armiger, à Demoleonte Centauro interfectus, ut refert Ouidius libr. 12. Metam.

Craſſus, prænomine Marcus, Romanorum omnium ditiſsimus fuit, qui negauit quempiam diuitem habendum, qui annuo reditu exercitum alere non poſſet. Hic ad bellum miſſus ſeruile, aduerſus Spartacum gladiatorem, qui fugitiuorum ingenti contracta manu Vatinium Gellium, ac Lentulum Romanos Imperatores fugauerat, duodecim milibus hoſtium unà cum eorũ duce cæſis, apud Rhegium, iuxta Leucadis paludẽ, uictoria eſt potitus: urbẽq; ouans ingreſſus eſt, lauro nouo exemplo coronatus, cum cæteri ante eum Imperatores ex ſeruili bello nõ niſi myrteã coronã accepiſſent. Poſtremò cùm ei Syria ſorte obueniſſet, profectus ad bellũ Parthicũ, ibi filiũ Publiũ amiſit. Ipſe demum infeliciter rem gerẽs, à Surina regis præfecto captus, atque interfectus eſt. Et quoniam auri cupiditate expeditionem eam ſuſcepiſſe credebatur, Barbari mortuo liquefactum aurum in os infuderunt, iubẽtes, ut ſaltẽ mortuus ſe auro ſatiaret, cuius famem uiuus nunquàm ſedare potuiſſet. Lucanus libro 1.

Poſtquam

-Poſtquam crudeli funere Craſſus
Aßyrias Latio maculauit ſanguine Carras,&c.

Crathis, (κράθις) *nomen eſt duorum fluuiorum, quorum alter eſt in* Achaïa *propriè dicta,prope* Aegas,*in ſinũ influens* Corinthiacum: *cuius meminit* Strabo *lib.8.* Alter *in* Magna Græcia,*iuxta* Sybarim *oppidũ,cuius aqua barbis comisq́; flauum colorem inducere traditur.* Ouid.15. Metamor.

Crathis,& hinc Sibaris noſtris conterminus oris,
Electro ſimiles faciunt,auroq́; capillos.

Idem 3.Faſt.

Eſt prope piſcoſos lapidoſi Crathidis amnes
Paruus ager.

Cratînus, (κρατῖνος) *fuit* Poëta *Comicus, clarus apud* Athenienſes,*qui primus in* Dionyſijs Athenis,*ſatyricam fabulam induxit.*Horat.lib.1.Ser.Sat.4.

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophanésque Poëtæ.

Hic autem fuit ſupra modum gulæ,ac omni uoluptatum generi deditus,& præcipuè ebrietati:ad quod alludit Horatius *in* Epiſt.

Priſco ſi credis Mecœnas docte Cratino,
Nulla placere diu,nec uiuere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Crémera, (κρεμέρα) *fluuius eſt* Tuſciæ, *trecentorum* Fabiorum *clade nobilitatus, qui* Veientum *inſidijs circunuenti,ad fluminis huius ripas ad unum omnes ſunt trucidati: unde & dies ille inter atros annumeratus eſt, & porta,qua egreßi ſunt,*Scelerata *eſt cognominata:ut latius deſcribit* Liuius *lib. 2.ab* Vrbe. Ouid.2.Faſtor.

Vt celeri paſſu Cremeram tenuere rapacem,
Turbidus hybernis ille fluebat aquis.&c.

Crémmyon,(κρεμμύων Stephano)oppidum non procul à Corintho, iuxta quod Theſeus incredibilis magnitudinis ſuem, quæ agros circumiectos longè lateq́; deuaſtabat, occidit. Ouid. lib. 7.

Quodq́; ſuam ſecurus arat Cremyona colonus,
Munus, opusq́; tuum eſt.

Vbi alterũ m, uerſus gratia, à Poëta eſt eliſum. Strabo lib. 8. locum hunc Cromyonem uocat, unde & ſuem à Theſeo occiſam Cromyoniam cognominat.

Cremôna,(κρεμώνη Straboni) urbs eſt Galliæ Ciſalpinæ, non procul à Mantua, quæ etiam hodie nomen retinet: cuius ciues cùm contra Auguſtum cũ Antonio ſenſiſſent, Cæſar uictor, ueteranis ſuis eorum agros aßignauit: qui cùm non ſuffeciſſent, adiecit etiam Mantuanorũ agros, nullam aliam ob culpam, niſi quòd Cremonenſibus uicini eſſent. Hinc Vergil. Eclog. 9.

Mantua, uæ miſeræ nimium uicina Cremonæ.

Creon, ontis,(κρέων) rex fuit Corinthiorum, qui Iaſoni, poſt Medeæ repudium, filiam ſuam natu minorem, nomine Creuſam, uxorem deſpondit. Quam rem iniquo animo ferens Medea, coronam naphtha illitam ſponſæ dono miſit: quæ ſub noctem ex luminibus accenſis concepto igne, non modò illam, uerum etiam ſponſum, & ſocerum, cum tota regia concremauit. Qua de re uide plura apud Hyginum Fab. Poët. cap. 25. Fuit & Creon Thebanorum rex, Menœtij filius, & frater Iocaſtæ, qui Laio ab Oedipo filio occiſo regni adminiſtrationẽ arripuit. Verùm cùm Sphinx, Typhonis & Echidnæ filia, Thebanum agrum crudeliſsimè uaſtaret, neq́; aliud tantæ calamitatis remedium oſtenderetur, quàm ſi quis ænigma ab illa propoſitum diſſoluiſſet, Creon propoſito per uniuer-

ſam

ſam Græciam edicto, ſiquis id præſtare poſſet, Iocaſtam Oedipi matrē, uiduā, illi ſe uxorē daturū pollicitus eſt, regnoq́; Thebanorum ultro illi ceſſurum. Quibus præmijs illecti non pauci, cùm propoſitum ænigma diſſoluere non poſſent, à Sphinge occiſi, temeritatis ſuæ pœnas dederūt: donec ad rei famam Corintho excitus Oedipus, Laij & Iocaſtæ filius, ænigma explanauit. Quam rem tam ægrè tulit fera, ut protinus ſeſe ex prærupto monte dederit præcipitem. Hac itaq; uia Thebanorum regnum adeptus Oedipus, matrem imprudens uxorem duxit, cùm paulò antè etiam patrem occidiſſet. Quibus flagitijs poſtea cognitis, tantum ex ijs animo dolorem concepit, ut lucis pertæſus, utrunq; ſibi eruerit oculum, Antigonesq́; filiæ ductu Athenas ſeſe in exilium contulerit, regno Eteocli & Polynici filijs ſuis ea conditione relicto, ut alternis annis imperarent. Verùm cùm Eteocles (cui quòd maior natu eſſet, priores uices Polynices conceſſerat) exacto iam anno fratrem non reciperet, grauiſſimum ea occaſione inter Argiuos & Thebanos bellum eſt exortum: in quo cùm fratres ambo mutuis uulneribus cecidiſſent, Creon denuo regni gubernacula recepit. Verùm cùm præter alia complura inclementiæ ſuæ exempla, Antigonam & Argiam interficiendas curaſſet, quòd illa fratres, hæc uirum ſupremo ſepulturæ honore eſſent proſequutæ, cumq́; occiſorum Thebanorum propinquos funeris officio prohiberet: Theſeus Thebanarum matrum querelis commotus, Creonti bellū indixit, prælioq́; uictum uita exuit. Vide hæc latius apud Statium in Thebaïde.

Creta, (κρήτη) inſula eſt medio ferè ſpatio ſita inter Sunium Atticæ promontorium, & Cyrenas Africæ ciuitatem, centum olim urbibus clara, quæ (ut ſcribit Strabo) à

Septentrione Aegæo alluitur ſimul & Cretico pelago: ab Auſtro Libyco: ad Occidentē Aegilam & Cytheram ſpectat: ad Orientem Carpathon. Habet in lōgitudine ducenta ſeptuaginta millia paßuum, in latitudine quinquaginta millia. Circuitus eius quingenta octoginta nouem millia paſſuū cōplectitur. Hodie Candiā uocant. Inſignes in ea urbes ſunt Gortyna, Cydon, Gnoſſus, Minois regia, & Strabonis Coſmographi patria. De hac Verg. 3. Aen.

Creta Iouis magni medio iacet inſula ponto,
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula noſtræ:
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

Hinc deducitur gentile maſcul. Cres, Cretis, (κρῆς.) cuius fœmininum eſt Creſſa, κρῆσσα. Vergil. 5. Aen.

Olli ſerua datur operum haud ignara Mineruæ,
Creſſa genus, Pholoë.

Cretheus, *(κρηθεὺς) Aeoli filius fuit, qui ex Tyro Salmonei fratris filia Aeſonem genuit, Alcimedontem, & Amythaonem. Inde Cretheius denominatiuum: ut, Virgo Cretheia apud Flaccum lib. 1. dicitur:*

Helle Crethei neptis.

Crethon, *(κρήθων) filius fuit Dioclis, qui cum fratre Orſilocho ab bellū Troianum profectus eſt, Græcis auxilium laturus. Verùm cùm duo hi fratres nimium ſuis uiribus freti, cum Aenea congredi non dubitarent, ab eodem interfecti, temeritatis ſuæ pœnas dederunt: uixq; eorum cadauera à Menelao & Antilocho ex hoſtium manibus eripi potuerunt: ut latius refertur ab Homero lib. 5. Iliad.*

Creûſa, *(κρέουσα) Creontis Corinthiorum regis filia fuit, quam Iaſon, repudiata Medea, uxorem accepit: quamobrē Medea indignata, carminibus ſuis ignem inextinguibilem ſcriniolo incluſum per filios ſuos Creüſæ muneris loco miſit:*

miſit: filios uerò præmonuit, ut ſtatim oblato munere diſcederent. Creüſa igitur uidendi cupida, nihilq́; mali ſuſpicans, ſcriniolum aperuit, & cõtinuò euolauit ignis, Creüſamq́;, & totã Creontis regiam exuſsit. Oui. li. 1. de Arte,

Cui non defleta eſt Ephyrææ nata Creüſæ?

Alia fuit Priami & Hecubæ filia, Aeneæ cõiux, cui Aſcaniũ filiũ peperit. Hanc in excidio Ilij, ab Aenea, qui fugiẽs patrem humeris geſtabat, filiumq́; manu ducebat, perditam fuiſſe in itinere, dum uias notas exceſsiſſet, tradit Maro libro 2. Aen. ſed nõnulli eam ab ipſo Aenea ex pactione cum Græcis facta occiſam uolũt, nequis ex ſemine Priami ſupereſſet. Alij rurſus non occiſam, ſed deſertã tradũt: idq́; eo conſilio, ne nouas ſedes, nouaq́; fœdera (quæ ferè nuptijs ſolent coaleſcere) longinquis in regionibus quæſituro uxor obeſſet.

Crinîſus, (κρίνισ☉) Siciliæ fluuius, Segeſtæ urbi uicinus: de quo Seruius huiuſmodi refert fabulam. Cùm Laomedon Neptuno & Apollini mercedẽ pro ædificatione murorũ Ilij recuſaret, Neptunus iratus Troiæ cetum immiſit, ut eam uaſtaret. Qua de re conſultus Apollo, hoc unũ tantæ calamitatis remedium fore oſtendit, ſi uirgines Troianæ belluæ obijcerentur. Hippotes itaq; nobilis Troianus metuens, ne & Hegeſta filia ſua, in eãdem calamitatem incideret, naui eam impoſitam uentis fluctibusq́; commiſit, tolerabilius nimirum ratus, ſi illa ſe abſente mergeretur, quàm coràm à teterrima bellua crudeliſsimè dilaniaretur. Verùm ita dijs uiſum eſt, ut illa ſalua in Siciliam deferretur: ubi amore eius captus Criniſus, in canis, ſeu (ut alij malunt) in urſi effigiẽ conuerſus, eã oppreſsit, ſuſcepitq́; ex eo concubitu Aceſtam Siciliæ regem. Verg. 5. Aen. de Aceſte.

Troia Criniſo conceptum flumine mater

Quem

Quem genuit.

Crocus(*κρόκος*)*puer fuit formoſiſſimus, qui cùm Smilacē puellam tenerrimè deperiret, amoris impatientia uerſus eſt in florem ſui nominis.* Ouid. 4. Metam.

Et Crocon *in paruos uerſum cùm Smilace flores.*

Crœſus,(*κροῖσος*)rex Lydorum *fuit,* Alyattæ *filius, omnium, quos hominum memoria celebrat, ditiſſimus: unde etiã hodie, cùm immenſas opes ſignificare uolumus, Crœſi diuitias dicimus.* Hic *cùm ſe omnium mortalium feliciſſimum crederet, monitus eſt à* Solone, Neminē *ante cineres beatũ dicendum, quòd quoad uiuimus, periculũ ſit, ne inſtabilis huius mundi felicitas, dolore aliquo cõtaminetur.* Quam Solonis *ſentẽtiam ueriſſimam eſſe, Crœſi calamitas poſtea declarauit.* Victus *enim à Cyro, pyræq; impoſitus, tandem ſalubre* Solonis *cõſiliũ agnouit, eiusq; nomen ſæpius inclamauit.* Vnde *admiratus Cyrus, quiſnam eſſet deorum, hominúmue, quem ille in extremo periculo ſolum inuocaret: remq; totam edoctus, humanæ uiciſſitudinis memor, Crœſum ab incẽdio liberauit, ſummoq; ſemper apud ſe in honore habuit.* Ouid. 4. de Ponto:

Diuitis *audita eſt cui non opulentia Crœſi?*

Crómyon,(*κρομύων* Straboni)*oppidulum fuit, medio ferè ſpatio inter* Megaras, & Corinthum *ſitum, in cuius agro* Theſeus *miræ magnitudinis ſuem interemit, quæ ab hoc loco Cromyonia appellabatur.* Vide *Strabonem lib. 8. Stephanus locum hunc Cremmyonem uocat, & ſuem ipſam Cremmyoniam: ut ſuprà oſtendimus ſuo loco.*

Cromna,(*κρῶμνα*) Paphlagoniæ *oppidum eſt, apud Strabonem lib.* 12. De hoc Val. Flac. lib. 5.

Mox etiam Cromnam, atq; iugo pallente Cytoron.

Crónia, niorum,(*κρόνια*) *Saturni feſta erant, quæ celebr*

lebrabantur Romæ decimoquarto Calendas Ianuarias: ita dicta ἀπὸ τῦ χρόνυ, hoc eſt, à Saturno: unde & Saturnalia à Latinis appellantur. Horum Macrobius latè meminit, citata etiam antiqui poëtæ autoritate, apud quem legerat:

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximæ Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia appellantur ab illis.

Crótalum, (κρόταλον) crepitaculum ex ligno, ære, aliáue materia ita concinnatum, ut efficere ſonum queat, ſi quis manu uerſet. Vnde & Aegyptiorum ſacerdotum ſiſtra, quibus in Iſidis ſacris utebantur, à nonnullis etiam Crotala appellantur, ἀπὸ τῦ κρόυειν, hoc eſt, à percutiendo. Vergilius in Copa:

Criſpum ſub crotalo docta mouere latus.

Crotôpus, (κρότωπος) rex Argiuorum fuit, pater Pſamathes, quæ ab Apolline compreſſa Linum peperit: quẽ cùm inter uepres abſcondiſſet, canes extractum dilacerarunt. Hinc Crotopiades patronymicum maſcul. Ouidius in Ibin:

Quiq; Crotopiaden diripuere Linum.

Cruſtumérium, (κρυςωμερία Stephano) oppidum in Latio, Albanorum colonia: cuius meminit Plinius libro 3. cap. 5. Vergil. libro 7. Aeneid. Cruſtumeros appellat.

Ardea, Cruſtumeriq;, & turrigeræ Antemnæ.

Cruſtúmium, oppidum Tuſciæ, iuxta Veios: à quo incolæ Cruſtumini dicti, & Cruſtumina tribus, & Cruſtumina pyra, & Cruſtuminum uinum laudatiſſimum. Eſt item Cruſtumium, fluuius ex Apennino monte ortum trahens, Ariminumq; præterlabens. Lucanus lib. 2.

In læuum cecidere latus ueloxq; Metaurus,
Cruſtumiumq; rapax, & iunctus Sapis Iſauro.

Meminit

Meminit huius fluuij & Plinius libro 3.cap.15.

Ctéatus, (κτέατος) *pater Amphimachi, unius ex quatuor ducibus Epeorum, qui quadraginta nauibus ad Troianam expeditionem ſunt profecti, ut teſtatur Homerus in Catal.nauium.*

Cumæ, arum, (κύμη) *ciuitas Campaniæ ad mare, iuxta Puteolos, à Cumæis Aſiæ populis, & Chalcidenſibus communiter condita. Seruius in illud Vergilij 3. Aeneid.*

Huc ubi delatus Cumæam acceſſeris urbem.

Eubœa, (inquit) inſula eſt, ex cuius ciuitate Chalcide coloni profecti ſunt ad nouas ſedes quærẽdas, & haud lõgè à Baijs (qui locus à ſocio Vlyßis Baio illic ſepulto nomen accepit) inuenerũt uacuũ littus: ubi uiſa muliere grauida (quod illi fœcunditatis augurium interpretabantur) ciuitatẽ condiderũt, quam Cumas appellauerũt, ſiue ἀπὸ τοῦ κύοντος, hoc eſt, à prægnante: ſiue ab undis, quas Græci κύματα appellant. Hæc ille. Strabo uerò lib. 5. Cumas appellatas mauult à Cuma Aeolica urbe, ex qua profectus eſt Hippocles, qui Megaſtheni Chalcidẽſi in hac urbe condenda ſeſe præbuit adiutorem: traditq́; ita conueniſſe inter duos hoſce duces, ut ius quidem coloniæ penes Chalcidenſes, nominis autem imponendi poteſtas penes Cumæos eſſet.

Cupîdo, dinis, (ἔρως) *amoris Deus, quẽ Heſiodus natũ uult ex Chao & Terra. Semonides & Cicero ex Marte & Venere: Arceſilaus ex Nocte & Aethere: Alcæus, ex Lite & Zephyro: Sappho ex Venere & Cœlo: Seneca ex Venere & Vulcano. Duplex autem eſt, Ouid. dicẽte,*

Alma faue dixi geminorum mater Amorum, &c.

Honeſtus uidelicet, & turpis: illúmque ex Venere & Ioue patre natum uolunt: hunc autem Erebi & Noctis

filium

filium eſſe: quod & ipſum refert Cicero libro 3. de Natura deorum. Fingitur à poëtis armatus flammis, & duobus diuerſiſſimæ naturæ ſpiculis, altero uidelicet aureo, altero plumbeo, quorum illud uim habet amorem conciliandi, hoc pellendi fugandiq́ue: ut pulcherrimè docet Ouidius lib. 1. Metam. in fabula Apollinis & Daphnes. Ver. de Vino & Amore:

Bellum ſæpe parit ferus exitiale Cupido.

Cures, ium, (*κύρις Straboni*) *Sabinorum urbs olim potentiſſima, T. Tatij, & Numæ Pompilij patria. Ouidius 2. Faſt.*

Te Tatius, paruiq́ue Cures, Ceninaq́ue ſenſit.

Curêtes, (*κουρῆτες*) *populi Cretæ inſulæ, qui & Corybantes, & Dactyli Idæi appellati ſunt: ex Ida Phrygiæ mõte (ut quidam uolunt) oriundi: à cuius etiam nomine, Cretæ montem, quem primum inſedere, Idam appellarunt. Dicti κουρῆτες, teſte Strabone lib. 10. ἀπὸ τῆς κουρᾶς, hoc eſt, à tonſura. Anteriorem enim capitis partem detonſam geſtabant, ne hoſtes eos cæſarie apprehenderent. Alij Curetas dictos putant ἀπὸ τῆς κουροτροφίας, eò quòd Iouem aluiſſe dicantur. Autor eſt idem Strabo loco iam citato, Curetas in Græciam quoque traieciſſe, tandemq́ue conſediſſe trans Acheloum fluuium: ibiq́ue cùm intonſa ſeruarent capita, Acarnanas uocari cœpiſſe. Hos Ouidius ex imbri natos fabulatur, lib. 4. Metam.*

—Largoq́ue ſatos Curetas ab imbri.

Cúrius, (*κούριος*) *nomen Romani ciuis exactiſſimæ frugalitatis, & perſpectæ fortitudinis. Hic cùm in ſcamno ſedens, rapas in foco torreret, & Samnitum legati magnũ auri pondus publicè miſſum attuliſſent, inuitarentq́ue, ut eo uti uellet: reſpondit, M. Curium malle imperare locupletibus,*

pletibus, quàm locupletem fieri, & qui acie uinci non potuit, eum pecunia corrumpi non poſſe. Hunc omnium primum de Sabinis triumphaſſe, autor eſt Liuius. Idem etiam Pyrrhum Epirotarum regem acie uictum, Italia expulit: populoq́; uiritim quaterna agri iugera, diuiſit, ſibiq́; nihilo plus ſeruauit. Claud. in Rufinum:

Pauper erat Curius, reges cùm uinceret armis.

Curtius, *prænomine Marcus, adoleſcens Romanus nobilis fuit, qui ſe pro ſalute patriæ Dijs Manibus deuouit. Nam cùm terra in medio foro ingenti hiatu deſediſſet, reſponſumq́; eſſet, non coituram labem, niſi quiſquam ex primæ ſpei adoleſcentibus ſeſe in hiatum deieciſſet: Curtius acceptam à patria uitam, eidem impendere non dubitauit: conſcenſoq́; equo, ſine mora ſe in ſpecū præcipitauit. Vnde etiam Curtius lacus nomen creditur ſeruaſſe. Vergil. in Culice:*

Hic & fama uetus, nunquam moritura Camilli,
Curtius, & medijs quem quondam ſedibus urbis
Deuotum bellis conſumpſit gurges in unda.

Cyane, (κυάνη) *Nympha Sicula fuit, quæ cùm Proſerpinæ aduerſus Plutonem opem ferre conaretur, ab illo dicitur commutata in fontem ſui nominis, qui in agro Syracuſano oſtenditur, ubi Anapo miſtus, non procul ab Ortygia inſula illabitur in mare. Ouid. 3. de Ponto:*

Quaq́; ſuis Cyanen miſcet Anapus aquis.

Cyáneæ, (κυάνεαι) *inſulæ, ſeu potius ſcopuli ſub Thracio Boſphoro, modico ſpatio inter ſe diſtantes. Vnde factus eſt locus Poëtarum fabulis, qui Cyaneas inter ſe concurrere tradiderunt, quòd ex aduerſo intrantibus geminæ cernebantur, naue uerò paululum in alterum latus deflexa, una tantum uidebatur. Multa de his inſulis mentio*

tio eſt apud Valerium Flaccum lib. 4. Argo. à quo modo Cyaneæ, modò etiam Symplegades appellantur.

Cyánee, (κυανέη) Mæandri Phrygij fluminis filia fuiſſe fertur, quæ à Mileto compreſſa Caunum & Byblida genuit. Ouid. lib. 9. Metamorph.

Hîc tibi, dum ſequitur patriæ curuamina ripæ,
Filia Mæandri toties redeuntis eôdem
Cognita Cyanee præſtanti corpore Nympha,
Byblida cum Cauno prolem eſt enixa gemellam.

Cyanippus, (κυάνιππος) Syracuſanus fuit, qui cùm Bacchi Orgia contemneret, ab irato Deo tanta perfuſus eſt ebrietate, ut filiæ Cyane in tenebris, quamuis reluctanti, uitium intulerit. Filia uerò cognito ex anulo, quem uiolatori detraxerat, parente, tunc quidem, ut potuit, dolorem diſsimulauit: poſtea autem ingenti exorta peſtilentia, cùm ab Apolline remedium promitteretur, ſi ab autore flagitij pœnas ſumerent: admirantibus omnibus, quodnam eſſet tantum ſcelus, quod etiam ſuperis curæ eſſet autoris morte expiari, conſcia rerum Cyane arreptum capillis patrem ad aram pertraxit, eoq; primùm mactato, ſibi quoque manus intulit. Autor Plutarchus in Parallelis.

Cybéle, (κυβέλη) Cœli, & Terræ filia, & uxor Saturni, alijs nominibus Ops, Rhea, Veſta, Magna mater, Dindymene, & Berecyntia appellata. Cybele autem dicta putatur à Cybelo Phrygiæ monte, ubi eius ſacra primò creduntur inſtituta: quanquam Feſtus ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν dictam malit, quod Græcis ſignificat, in caput ſaltare: quo genere ſaltationis Galli, Deæ huius ſacerdotes peculiariter in ſacris utebantur. Habet autem hoc nomen mediam ſyllabam natura correptam: ut apud Claudianum,

Turrigeramq́; petit Cybelen.

Item apud Martialem,

Et Cybeles picto ſtat Corybante tholus.

Nonnunquam tamē Poëtæ l,litera geminata eandem pro- ducunt.Lucanus libr.primo:

Et lotam paruo reuocant Almone Cybellen.

Cychreus,ei,(κυχρεὺς)*Neptuni & Salaminis filius,qui ob morum aſperitatem* ὄφις*, hoc eſt, ſerpens cognominatus eſt.Hunc Eurylochus,cùm inſulam uaſtaret,expulit: ſuſcepit autem eum Ceres in Eleuſine,ſuumq́; fecit ſacerdotem. Ab huius etiam nomine Salamis inſula aliquandiu Cychrea appellata eſt.Vide Stephanum.*

Cyclades,(κυκλάδες) *inſulæ ſunt maris Aegæi, teſte Strabone lib.10.circa Delum in orbem ſitæ:unde & nomen acceperunt.Ouid.1.Triſtium:*

Cycladas Aegæas obſtupuiſſe reor.

Alij dicunt uocari Cyclades, non quia in rotunditatem ſitæ ſint, ſed quòd longo ordine eas circuire neceſſe ſit, propter promontoria.Vnde & Ver.3.Aeneid. Sparſasq́; per æquor (dixit) Cyclades. Sunt autem numero quinquaginta tres.

Cyclôpes,(κύκλωπες)*Neptuni & Amphitrites filij fuerunt, miniſtri autem Vulcani, Ioui ſua fulmina fabricātes. Cyclopes dicti ab eo, quòd unum haberēt oculum, eumq́; orbicularem, media in fronte ſitum.Ex his tres potiſsimùm à Poëtis celebrantur,Brontes, Steropes, & Pyracmon,quē Oui.4.Faſtor. Acmonidē uocat.Ver.8. Aen.*

Ferrum exercebant uaſto Cyclopes in antro,

Brontesq́;,Steropesq́;,& nudus membra Pyracmon.

Cycnus,(κύκνος) *Martis filius fuit, quem Hercules equeſtri prælio ſuperatum occidit, equo adiutus Arione,*

quem Neptunus in equum conuerſus ex Erinny genuerat. Huius necem tam iniquo animo Martem tuliſſe ferunt, ut eius ulciſcendæ cauſa aduerſus Herculem arma ſumeret. Verùm antequam ad manus uenirent, Iupiter iaculato fulmine eos diremit: ut refert Hyginus Fab. poët. cap. 31. Cycnus alius fuit Neptuni filius, omni ex parte inuulnerabilis: cum quo Achilles Troiani belli tempore cõgreſſus, cùm fruſtrà eum iaculis appetiſſet, tandem re intellecta, humi eũ proſtrauit, genibusq́; collo innixus, animam eripuit: cumq́; cadauer ſpoliare uellet, arma uacua inuenit, Cygnumq́; in auem ſui nominis uidit commutatũ. Vide Ouid. 12. Metamorphoſ. Fuit & Cycnus alius, Ligurum rex, qui cùm Phaëthontis propinqui ſui necem inſolabiliter defleret, in auem ſui nominis eſt cõmutatus: ut fabulatur Ouid. lib. 2. Metam.

Cydippe, (κυδίππη) puella generis nobilitate, & formæ præſtantia inſignis, cuius amore captus Acontius adoleſcens, cùm repulſam metueret, quòd neq; genere, neq; opibus illi par eſſet, ad dolum confugit, pomumq́; ad pedes eius deuoluit, uerſibus hiſce inſcriptum,

Iuro tibi ſanè per myſtica ſacra Dianæ,
Me tibi uenturam comitem, ſponſamq́; futuram.

Hoc itaq; pomum cùm puella incauta ſuſtuliſſet, uerſusq́; in eo deſcriptos legiſſet, fidem ſuam amanti imprudens obſtrinxit. Quo factum eſt, ut quoties alteri nubere conaretur, toties in grauem incideret morbum, ab irata Diana (ut Acõtius credi uolebat) immiſſum. Tandem re omni à puellæ parentibus intellecta, ne Dianæ numen grauius irritarent, puellam Acontio deſpondent. Vide hæc latius ſuprà in dictione Acontius.

Cydnus, (κύδνος) fluuius amœniſſimus Ciliciæ, ex Tauro

monte oriens, & Tarſum urbem mediam interſecans: ab aquarum candore nomen habens, ut refert Solinus. Cydicum enim uocant Syri, quod nos candidum dicimus. Tibullus lib. 1.

At te Cydne canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleis placidus per uada ſerpis aquis.

Cydon, Plinio, (*κυδωνία Straboni*) *urbs inſignis Cretæ inſulæ, cuius incolæ Cydones dicuntur. Vergil. 12. Aen.*

Parthus, ſiue Cydon telum immedicabile torſit.

Eſt item Cydon uiri proprium apud eundem 10. Aen. in qua ſignificatione priorem ſyllabam producit, quæ in gentili nomine corripitur, ut annotauit Seruius in illud Vergilij,

Dum ſequeris Clytium infelix noua gaudia Cydon.

Hinc deducitur denominatiuum Cydonius, a, um, Vergil. 10. Eclog.

–Partho torquere Cydonia cornu Spicula.

Cyllarus, (*κύλλαρος*) *equus fuit Pollucis, Iouis & Ledæ filij. Verg. 3. Georg.*

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

Quem tamen locum explicans Seruius, Cyllarum non Pollucis, ſed Caſtoris equum fuiſſe tradit, Poëtamq; fratrem pro fratre poſuiſſe.

Cyllene, (*κυλλήνη*) *mons Arcadiæ, in quo Maia à Ioue compreſſa, Mercurium peperit: ut autor eſt Verg. libro 8. Aeneid.*

Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum uertice fudit.

Cyllénius, (*κυλλήνιος*) *peculiare Mercurij cognomen eſt, inde impoſitum, quòd omnem rem ſermone, ſine manibus*

bus conficiat: quibus partibus corporis qui caret, κυλλοὶ uocantur: ſiue quòd in Cyllenia uia, aut certè à Cyllene Nympha fuerit educatus: ſiue quòd in Cyllene Arcadiæ mõte fuerit genitus: quã opinionem ipſe etiam Vergilius ſequitur libro 8. Aeneid. cuius uerba citauimus paulò antè in dictione Cyllene. Lucanus libro 1.

– Motuq; celer Cyllenius hæret.

Cyminus, (κύμινος) *Hetruriæ lacus eſt, ad ſex millia paſſuum ab urbe Viterbio, Cymino monti ſuppoſitus: ut Appianus oſtẽdit. De huius lacus origine talia refert Seruius: aliquando Herculẽ ad hos populos ueniſſe: & quum à ſingulis prouocaretur, ad uirium oſtentationem, uectem ferreum, quo exercebatur, humi defixiſſe, quem cùm nemo illorum poſſet euellere, Herculem tandem eum ſuſtuliſſe: tantamq; repentè aquæ uim erupiſſe, ut Cyminum effecerit lacum. Hæc Seruius illud Vergilij explicans Aenei. 7.*

Hi Soractis habent arces, Flauiniaq; arua,
Et Cymini cum monte lacum, lucosq; Capenos.

Cymódoce, Cymodocêa, (κυμοδόκη) *Nympha marina, Nerei & Doridis filia, à placandis fluctibus ita dicta. Verg. 10. Aenid. Cymodoceam enumerat inter eas, quæ ex nauibus Aeneæ in Nymphas marinas commutatæ fuerunt.*

Quarum (inquit) quæ fandi doctiſsima, Cymodocea.

Cymothoë̃, (κυμοθόη) *Nympha marina, Nerei & Doridis filia, teſte Heſiodo in Theogon. ita dicta, quòd per fluctus diſcurrat. Vergilius 1. Aeneid.*

Cymothoë ſimul & Triton adnixus, acuto
Detrudunt naues ſcopulo.

Cynici, (κυνικοὶ) *philoſophi quidam fuerunt, ſectatores Antiſthenis, qui primus nouũ hoc philoſophiæ genus introduxit: ita dicti, ſiue à Cynoſarge gymnaſio, in quo An-*

tiſthenes profitebatur: ſiue à canina mordacitate, qua in hominum uitas nullo diſcrimine inuehebãtur: aut (ut alij uolunt) ab eo, quòd canum more in propatulo coire non dubitarent: quemadmodum de Crate & Hipparchia tradit Laërtius. Perſius Sat. 3.

Si Cynici barbam petulans nonaria uellat.

Cynips, (κίνυψ) *fluuius eſt Africæ, inter duas Syrtes, in colle Gratiarum naſcens, teſte Herodoto, & per Macas in mare Libycum ſe exonerans. Claudianus in Rufinum.*

-Quos uagus humectat

Cynips.

Iuxta hunc fluuium proceriſsimi naſcebantur hirci, qui inde Cyniphij à Poëtis peculiari epitheto nuncupantur. Vergil. 3. Georg.

Nec minus interea barbas, incanaq; menta

Cyniphij tondent hirci.

Cynoſsêma, atis, (κυνόσσημα) *locus eſt Troadis ad Helleſpontum, Hecubæ ſepulcro nobilitatus. Latinè Canis tumulum interpretari poſſumus. Fabulantur enim Poëtæ, Hecubam, cùm in Græciam abduceretur captiua, poſt exitium patriæ, ac ſuorum, ibi doloris impatientia in canem eſſe conuerſam, & deinde ſepultam. Qua de re uide Ouid. libr. 13. Metamorph.*

Cynosûra, æ, (κυνόσουρα) *ſidus Septentrionale, ex ſeptẽ conſtans ſtellis, quod & Vrſam minorẽ appellamus. Hanc Poëtæ fabulantur Nympham fuiſſe Idæam, unam ex Iouis nutricibus, poſtea à Ioue rerũ potito in hoc ſidus tranſlatam, ut ex Aglaoſthenis ſentẽtia refert Hyginus in Aſtro. Poët. Alio nomine etiam Phœnice appellatur, teſte eodem Hygino, eò quòd à Phœnicibus inter nauigandum potiſsimum ſoleat obſeruari, quemadmodum & Helice, hoc eſt,*

Vrſa

Vrſa maior, à Græcis nautis. Ouidius de Triſtibus:

Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura petatur
Sidonijs, Helicen Graia carina notet.

Cynthus, (*κύνθος*) *mons eſt in Delo inſula, tantæ altitudinis, ut totam inſulam dicatur inumbrare. Vergilius 2. Aeneid.*

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros.

In hoc monte Latona Apollinem & Dianam dicitur peperiſſe: unde ille Cynthius, hæc Cynthia paßim à Poëtis appellantur. Idem 3. Georg.

-Et Troiæ Cynthius autor. *Lucan. lib. 1.*

Tertia iam grauido pluuialis Cynthia cornu.

Cypariſſus, (*κυπάρισσος*) *puer fuit formoſißimus, ex Cea inſula, ab Apolline in delicijs habitus: qui cùm ceruũ manſuetum, ſibiq; in primis charum imprudens occidiſſet, doloris impatientia contabuit, Deiq; amatoris miſeratione in cupreſſum arborem eſt commutatus: ut latius refertur ab Ouidio lib. 10. Metam. Seruius tamen autor eſt, Cypariſſum puerum à Syluano potius, quàm ab Apolline fuiſſe adamatum: id quod & Vergilius uidetur indicare libr. 1. Georg.*

Et teneram ab radice ferens Syluane cupreſſum.

Cyprus, (*κύπρος*) *inſula eſt inſignis in ſinu Ißico, inter Ciliciam & Syriam, fertilitatis tam eximiæ, ut Macaria olim, hoc eſt, beata dici meruerit: luxuriæ autem tantopere dedita, ut ob id Veneri ſacra credita ſit. Horat. libro primo Carm.*

Sic te Diua potens Cypri, &c.

Cyréne, (*κυρήνη*) *Penei fluminis filia fuit, cuius amore flagrans Apollo, in Pelio Theſſaliæ monte eam rapuit, &*

in eam Aphricæ partem tranſtulit, quæ ab ea poſtea dicta fuit Cyrenaica: ubi & Ariſtæum ex ea ſuſcepit. Vergilius 4. Georg.

—O gemitu non fruſtra exterrita tanto
Cyrene ſoror, ipſe tibi tua maxima cura
Triſtis Ariſtæus Penei genitoris ad undam
Stat lacrymans.

Eſt item Cyrene, ſiue Cyrenæ, arum, inſigne Libyæ oppidũ inter Sirtim maiorẽ, & Mareotidem ſitum, unũ ex ijs, quæ Pentapolim efficiunt: à Batto Theræo (quem Callimachus progenitorem ſuum fuiſſe tradit) conditum, & à Cyrene Penei amnis filia, quã Apollo, amore eius captus, in eam Libyæ partem tranſtulit, ita nominatum. Lucan. libro nono,

Proximus in muros & mœnia Cyrenarum &c.

Cyrnus, (*κύρνος*) *inſula eſt in mari Liguſtico, quam Latini Corſicam dicunt, longa paſſuum centum quinquaginta millia, lata maiore ex parte quinquaginta, circuitu trecentorum uigintiduorum millium, diſtans à Vadis Volaterranis ſexaginta duobus millibus paſſuũ. Dicta Cyrnus à Cyrno rege, cùm antea Therapne diceretur. Hinc Cyrnæus, a, um. Vergil. Eclog. 9.*

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.

Cyrus, (*κῦρος*) *Cambyſis filius, ex Mandane Aſtyagis regis filia, & Perſarum Medorumq; rex, qui primus (ut Iuſtinus lib. 1. ſcribit) deuicto Aſtyage, ultimo Medorum rege, Medorum imperium tranſtulit in Perſas, & ſubacta Aſia, totum Orientem in poteſtatem redegit. Poſtremò cùm bellum Scythis intuliſſet, eosq; clade magna affeciſſet, Tomyris eo tempore Scytharum regina, compoſitis inſidijs, ducenta millia Perſarum cum ipſo rege trucidauit, ita*

uit, ita ut ne nuntius quidem tantæ cladis ſuperfuerit. Caput Cyri amputatum, in utrem humano ſanguine plenum coniectum fuit, cum hac exprobratione: Satia te ſanguine, quem ſitiſti. Hic primùm Agradatus dictus fuit: & poſtea Cyrus, ab eiuſdem nominis fluuio per cauam Perſidem fluente, iuxta quem fuit expoſitus. Lucan. lib. 3.

Non cum Mæonijs deducens agmina regnis
Cyrus, & effuſis numerato milite telis
Deſcendit Xerxes.

Fuit & Cyrus alter Artaxerxis frater: apud quem cùm falſo delatus eſſet, ægreq; matris precibus ſeruatus, bellū aduerſus eundem ſuſcepit: in quo, cùm iam Græcorum opera penè uictor euaſiſſet, fortiter quidem, ſed incautè dimicans, eſt interemptus. Hæc qui latius noſſe cupit, adeat Xenophontem, qui hanc expeditionem, cui ipſe interfuit, memoriæ prodidit.

Cyta, æ, (κύτα Stephano) urbs fuit Colchidis, Medææ patria, teſte Steph. herbis ueneficis imprimis famoſa. Hinc fit adiectiuum Cytæus, a, um, (κυταῖος.) Vnde Virgo Cytæa appellatur Medea à Valerio Flacco libr. 6. Item Cytæis, idis, (κυταΐς.) Propertius lib. 2.

Non hîc herba ualet, non hîc nocturna Cytæis.

Cythêra, orum, (κύθηρα, τὰ) inſula eſt contra Cretam, (ut ſcribit Strabo) quinq; millibus à Maleæ promontorio diſtans, Veneris numini dedicata. Vergil. lib. 10. Aen.

Eſt Paphos, Idaliumq; mihi, ſunt alta Cythera.

Cytherêa, (κυθέρεια) peculiare eſt Veneris cognomentum, à Cytheris inſula impoſitum, in quam illa primùm concha marina dicitur aduecta. Verg. 1. Aen.

Parce metu Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi.

Cythêris, idis, (κυθηρὶς) *nobiliſsima meretrix fuit, liberta Volumnij, quæ eodem tempore floruit, quo Origo, & Arbuſcula meretrices. Hanc Cornelius Gallus Poëta ſupra modū adamauit: quo tamen ſpreto Antonium in Galliam ſecuta eſt. Hanc Vergil. 10. Eclog. Gallum conſolās, commutato nomine Lycoridem uocat. Autor Seruius.*

Cytôrus, (κύτωρος) *mons Paphlagoniæ, in quo buxus plurima naſcebatur: unde & buxifer à Catullo dicitur. Vergil. 2. Georg.*

Et iuuat undantem buxo ſpectare Cytorum.

Ab hoc, quæ buxea ſunt, Cytoriaca dicuntur. Ouidius 4. Metamorph.

Sæpe Cytoriaco diducit pectine crines.

Cyzicus, (κύζικος) *ſiue* Cyzicum, *inſula in Propontide, duobus pontibus iuncta continenti, habens urbem eiuſdē nominis, mœnibus, arce, & turribus marmoreis: cui nomen indidit Cyzicus rex, quem Iaſon per imprudentiam interemit. De hac Ouid. lib. 1. Triſt.*

Hincq; Propontiacis hærentem Cyzicon oris,
Cyzicon Aemoniæ nobile gentis opus.

Fuit hæc ciuitas magnitudine & pulchritudine cum primis Aſiæ urbibus comparanda, paci & bello apta, tribus armamentarijs inclyta, quorum aliud armorum, aliud inſtrumentorum, aliud frumenti erat receptaculum. Huius habitatores Cyziceni, (κυζικηνοὶ) appellantur.

D.

DAæ, arum, (δάαι Steph.) *populi ſunt Scythiæ, ex genere Nomadū, ut autor eſt Seruius in illud Vergilij 8. Aen.*

Indomitiq; Daæ, & pontem indignatus Araxes.

Dacia, (δακία) *regio Scythiæ Europææ, quæ ad Septentrio*

trionem Carpato monte à Sarmatia diuiditur: ad Occaſum autem Tibiſco fluuio: ab Iazygibus Metanaſtis: ad Meridiem uerò & Ortum uſq; ad Danubium extenditur. Hinc deducitur gentile Dacus, (δάκος.) Itē Dacicus, denominatiuum, (δακικὸς) quod cognomen trophæi loco uſurparunt Romanorum aliquot Imperatores, uictoria aliqua de Dacis reportata. Iuuenal. Sat. 5.

-Cùm lance beata
Dacicus, & ſcripto radiat Germanicus auro.

Dáctyli Idæi, (δάκτυλοι ἰδαῖοι) *ijdem qui Curetes, & Corybantes, quos Iouem nutriuiſſe ferunt, & ne uagitu infans proderetur, nouo luſus genere excogitato, clypeolis æneis inter ſe concurſantes, æris tinnitu, & numeroſi pedis compoſitione (qui inde Dactylus dictus eſt) Saturnum fefelliſſe, patriſq; crudelitati, qui filios ſuos deuorare ſolebat, puerum eripuiſſe. Hi Phryges origine fuiſſe putantur, relictaq; patria in Cretam ueniſſe, montemq;, in quo primùm conſederunt, à Phrygij montis nomine Idam appellaſſe.*

Dædalus, (δαίδαλος) *faber fuit Athenienſis, Mitionis filius, artificum omnium ſuæ ætatis ingenioſiſſimus, ut qui primus ſerram, aſciam, perpendiculum, terebram, glutinum, & lithocollam dicatur inueniſſe, primuſq; omnium uela & antennas naui impoſuiſſe. Statuis quoque immobilibus oculos induxit, & abditis quibuſdam neruis efficit, ut huc atq; illuc mouerentur, adeò ſcitè, ut ſpectantibus uiuere uiderentur. In Creta item Labyrinthum conſtruxit, multiplici & intricata uiarum perplexitate irremeabilem, cui & ipſe unà cum Icaro filio à Minoë fuit incluſus, eò quòd uaccam ligneam feciſſet, cui incluſa Paſiphaë tauro ſe cōmiſcuerit. Quare cùm terra mariq; ef-*

fugium

fugium ſibi negatum uideret, fugam ſibi per aërem tentandam duxit. Aßimulans itaq; ſe munus conficere uelle, quo regis animū placare poſſet, pennas, & ceram popoſcit: quibus impetratis, ſibi, & Icaro filio alas confecit, atq; ita ex Creta in Sardiniam euolauit. Deinde & Cumas delatus eſt, ubi Apollini templum erexit. Icarus uerò cùm patris conſilium ſpernit, iuſtoq; altius euolat, cera radijs Solis liquefacta, in mare decidit, quod deinde à nomine eius Icarium eſt appellatum. Vide latius hanc fabulam apud Ouid. lib. 8. Metam.

Dalmátia, (δαλματία) *Illyrici pars eſt, contermina Liburniæ uerſus Occaſum, cuius incolæ Dalmatæ appellantur, Auguſti olim auſpicijs Romano imperio ſubiecti. Martial. lib. 10.*

-Et exeuntem
Vdo Dalmata gaudio ſequêris.

Damaſcus, (δάμασκος) *Syriæ urbs antiquißima, palmularum fertilißima, & prunorum, quæ inde Damaſcena uocantur. Lucan. lib. 3.*

Et felix (ſic fama) Ninos, uentoſa Damaſcus.

Dánaë, (δανάη) *filia fuit Acriſij regis Argiuorum, qui cùm oraculo monitus eſſet, fore ut à nepote occideretur, filiam munitißimæ incluſit turri: cuius amore captus Iupiter, in imbrem aureum ſe conuertit, & per tegulas in puellæ gremium ſeſe demiſit. Quo ex coïtu illa grauida effecta, Perſeum peperit. Quamobrem indignatus Acriſius, filiam unà cum recèns nato nepotulo arcæ includi iußit, atq; in mare proijci, futurum ratus, ut uentis undiq; obrueretur. Verùm id longè aliter cecidit. Nam arca ad Dauniæ littus delata, & à piſcatore reperta eſt: in qua cùm Danaën cum filio reperiſſet, utrunq; Pilumno*

regi

regi obtulit: qui cùm genus, & patriam eius didiciſſet, Danaën quidem uxorem duxit: Perſeum uerò Polydectæ Seriphi inſulæ regi educandum tradidit: qui poſtea adultus cùm Argos ueniſſet, Acriſium auum oſtenſo Meduſæ capite, in ſaxum conuertit. Vide Hæc latius in dictionibus Acriſius & Perſeus.

Dánaus, (Δαναὸς) Aegypti frater, Argiuorum rex, qui Sthenelo rege expulſo, Argos tenuit, ibiq; quinquaginta annos regnauit. Genuit quinquaginta filias, quæ ab aui nomine Belides, à patris autem nomine Danaïdes dictæ ſunt. Hæ una nocte uiros ſuos, Aegypti filios, interfecerunt, præter unam Hypermneſtram, quæ Lynceum maritum ſeruauit. Ob quam impietatem tali ſupplicio apud inferos plectuntur, ut dolium pertuſum aqua cogantur implere, é quo tantundem effluat, quantùm infundatur.

Danúbius, (ἴστρος) maximus Europæ fluuius, qui ortus in iugis Arnobæ montis Germaniæ (ut Plinius exiſtimauit) ex aduerſo Raurici Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus, ac per innumeras lapſus gentes Danubij nomine, immenſo aquarum auctu, ubi primùm Illyricum alluit, Iſter appellatus, ſexaginta amnibus receptis, medio ferme numero eorum nauigabili, in pontum uaſtis ſex fluminibus euoluitur. Hæc Plin. lib. 4. cap. 12. Hodie tamen cõpertum eſt, Danubium plano in loco naſci, in agri Furſtenbergenſis uico, qui à fonte eius nomen accepit.

Daphne, (Δάφνη) Peneï fluminis filia fuit, quæ cùm Apollinis uim alioqui effugere non poſſet, implorato paterni numinis auxilio, in laurum arborem eſt commutata. Quam fabulam uide latius apud Ouidium libro primo Metamorph.

Daphnis, (Δάφνις) iuuenis fuit Siculus, Mercurij filius,

Bucol

Bucolici carminis inuentor. Hic cùm *formoſiſſimus eſſet, cum* Nympha *quadam, quæ mutuo eius amore tenebatur, ita pepigit, ut qui prior fidem uiolaſſet, utroq; lumine orbaretur.* Cuius *ſponſionis immemor* Daphnis, *cùm nouis ſeſe amoribus implicuiſſet, irati* Dij, *quos ſtipulationis ſuæ teſtes illi adhibuerant,* Daphnin *excæcarunt. Autor* Suidas.

Dárdanus, (*Δάρδανος*) Iouis *filius ex* Electra *Atlantis filia, qui cùm* Iaſium *fratrem interemiſſet, inde fugiens, in* Samothraciam *primùm, & deinde in* Aſiam *uenit, locáq; tenuit* Helleſponto *proxima, urbemq́; ibi* Dardanum *condidit, regionemq́; totam* Dardaniam *nominauit: quam poſtea* Tros Erichthonij *filius,* Troiam *appellauit.* Trois *autem filius fuit* Ilus, *qui urbem regiam à ſe* Ilion *appellauit.* Ilus *uerò* Laomedontem *filium genuit, qui pater fuit* Priami. Vergil. 3. Aeneid.

> Dardanus *Iliacæ primus pater urbis, & autor.*

Darîus, (*Δαρεῖος*) *Satrapes fuit inter* Perſas *nobiliſſimus, qui poſt mortem* Cambyſæ, *à nobilibus aliquot* Perſis *adiutus, occiſo* Pſeudoſmerdi, Perſarum *regnum è* Magorum *manibus uindicauit: equiq́; ſui hinnitu rex declaratus, poſtquam 36. annos regnaſſet,* Xerxem *filium regni ſucceſſorem reliquit: ut latius eſt uidere apud* Herodotum *lib. 4.* Fuit *& alius eiuſdem nominis,* Perſarũ *rex, qui* Alexandri *adoleſcentiam deſpicatam habens, bello eum aggreſſus eſt: quem tamen* Alexander *exiguis copijs facilè profligauit.* Darius *uerò inſtaurato exercitu, prælio iterum congreſſus, ægrè fuga ſibi ſalutem quæſiuit: uxore & filiabus hoſtium prædæ relictis.* Poſt *hæc de pacis conditionibus cum* Alexandro *agens, cùm nihil impetraſſet, redintegratis copijs tertiò congreditur, tandemq́; ui-*

ctus, cùm ſe fuga uictori eripere conaretur, à ſuis comprehenſus eſt, & trucidatus. Hoc nomen habet pen. prod. *quoniam apud* Græcos *ſcribitur per æ diphth.* Claudia*nus in* Epiſt. *ad* Adrianum:

Darium *famuli manibus doluiſſe peremptum.*

Daúlia, *uel* Daulis, (Δαυλὶς Ptolemæo) *oppidum* Pho*cidis fuit, olim ſub ditione* Terei *regis* Thracum. *Vnde* Philomela *ab* Ouidio Daulias *dicitur, quòd in* Daulide *urbe in auem ſui nominis fuerit cõuerſa.*

Deflet *(inquit)* Threicium Daulias *ales* Itym.

Daunus, (Δαῦνος) *filius fuit* Pilumni & Danaës, & *auus* Turni, *qui in* Apulia *regnauit, à quo etiam regio illa* Daunia *dicta eſt.* Alter *fuit* Daunus, *prioris filius, qui ex* Venilia *ſorore* Amatæ, Turnum *ſuſcepit.* Vergil. *libr. duodecimo:*

–Dauni *miſerere ſenectæ.*

Eſt *quoque fluuij nomen in* Apulia: *de quo* Horat. *libro* 3. *Carm.* Ode 33.

Et *quà pauper aquæ* Daunus *agreſtium*
Regnator *populorum, &c.*

Décij (Δέκιοι) Romani *fuerunt fortiſsimi, tanta patriam charitate complexi, ut pro eius ſalute ſe* Dijs Manibus *deuouere non dubitarint: pater quidem bello* Latino, *filius bello* Hetruſco, *nepos uerò eo bello, quod* Pyrrhus *pro* Tarentinis *geſsit.* Claudianus *in* Panegyrico Honorij & Arcadij:

His *ego non pulchros* Decios, *fortesq́;* Metellos
Prætulerim, &c.

Deianíra, (Δηιάνειρα) *filia fuit* Oenei, Aetoliæ *regis, primũ* Acheloo, *mox* Herculi *deſpõſata.* Qua *de cauſa ex orto inter riuales diſsidio,* Achelous *ſingulari certamine*

ſupera

ſuperatus, Herculi concedere eſt coactus. Porrò cùm Hercules tranſiturus eſſet Euenum, Aetoliæ fluuium, qui tum temporis maximè excreuerat, Neſſus Centaurus ſeipſum ultrò obtulit ad tranſuehendam Deianiram: quam quum illi commiſiſſet, ipſe primus intrepidè tranauit fluuium. Porrò cùm Neſſus, qui in altera remanſerat ripa, nouæ nuptæ uim inferre pararet, ægrè id ferens Hercules ſagitta hydræ ſanguine infecta Centaurum transfixit: qui ſe moriturum ſentiens, ut hoſtem ulciſceretur, Deianiræ ueſtem ſuam proprio ſanguine perfuſam dono dedit, aſſerens ei uim amatoriam ineſſe, & ſi hac maritus indueretur, ipſum ab aliarum mulierum amore iri auocatum. Mulier itaq; nimis credula munus accepit, & cùm audiſſet maritum ſuum in Eubœa amore Ioles, Euryti filiæ, detineri, ueſtem Neßi ſanguine imbutam Lychæ famulo tradidit domino perferendam. Hercules igitur nihil mali ſuſpicans, quum ſacrificaturus eam induiſſet, tantis cruciatibus affectus eſt, ut in furorem uerſus, Lycham è Cenæo monte in Euboicum mare deiecerit, qui in ſcopulum mutatus eſt. Ipſe autem Hercules arcu, & ſagittis Phyloctetæ commißis, ſe in ardentem pyram in Oeta monte conſtructam coniecit. Quod Deianira audiens, dolore percita, Herculis claua ſe interfecit, ex cuius ſanguine poſtea nata eſt herba, quæ Nymphæa, & Heracleon dicitur. Ouidius libro 9. Metamor.

Victor ab Oechalia Cenæo ſacra parabat
Vota Ioui, cùm fama loquax peruênit ad aures,
Deianira tuas, &c.

Deidamîa, (Δηιδαμία) filia fuit Lycomedis, regis Scyri inſulæ, quam Achilles, cùm inter regis huius filias ſub muliebri habitu lateret, grauidam fecit, & ex ea Pyrrhum genuit.

genuit. Propertius lib. 2.

Scyria nec uiduo Deïdamia uiro.

Deione, es, (Δηϊόνη) mater fuit Mileti, ex Apollinis cõcubitu. Vnde Miletum Deïonidem uocat Ouidius lib. 9. Metamorph. ubi ſic habet:

Tunc erat inualidus, Deïonidemq́; iuuentæ
Robore Miletum, Phœboq́; parente ſuperbum,
Pertimuit.

Deïopeîa, (Δηϊόπεια) ſiue Deïope, una ex Nymphis Iunonis, quam illa apud Vergil. 1. Aeneid. Aeolo uxorem pollicetur.

Sũt (inquit) mihi bis ſeptẽ præſtãti corpore Nymphæ,
Quarum quæ forma pulcherrima, Deïopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriamq́; dicabo.

Deiphile, (Δηϊφίλη) Adraſti regis filia, & Tydei uxor, mater autem Diomedis, Græcorum omnium poſt Achillẽ & Aiacem Telamonium fortiſſimi.

Deiphobe, (Δηϊφόβη) nomen proprium Sibyllæ Cumanæ, Glauci filiæ, quæ Aeneam ad inferos duxit. Vergil. 6. Aeneid.

Phœbi, Triuiæq́; ſacerdos,
Deiphobe Glauci.

Deiphobus, (Δηΐφοβος) filius Priami ex Hecuba, qui interempto Paride Helenam duxit uxorem: cuius tamen dolo, & proditione interfectus eſt à Græcis, quos illa in cubiculum dormientis intromiſit, ut autor eſt Vergilius libro 6.

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto,
Deiphobum uidit, &c.

Deiphylus, (Δηΐφυλος) fuit Stheleni filius, Capanei in bello Troiano amicus fidiſſimus, teſte Homero 5. Iliad.

Delos, (Δῆλος) *inſula eſt maris Aegæi, Cycladum omnium clariſſima, in qua Latona Apollinem & Dianam dicitur eſſe enixa. De hac ſic ſcribit Cicero 3. Verr. Proditum eſt memoriæ ac literis, Latonam ex longo errore et fuga grauidam, & iam ad pariendum uicinam, temporibus exactis fugiſſe Delum, atq; ibi Apollinē, Dianamq́; peperiſſe. Qua ex opinione hominū illa inſula eorum Deorum ſacra putatur, tantumq́; eius autori religionis & eſt, & ſemper fuit, ut ne Perſæ quidē, quum bellum toti Græciæ, Dijs, hominibusq́; indixiſſent, & mille numero nauiū claſſem ad Delum appuliſſent, quicquam conarentur, aut uiolare, aut attingere. Hæc ille. Dicta autem putatur Delos,* ἀπὸ τοῦ δηλοῦν, *quòd cùm antea mari tecta eſſet, Latonæ locum ad pariendum quærenti, repentè ſe oſtenderit. Antea Ortygia dicebatur, Aſteria, Cythia, Lagia, Chlamydia, Cynethus, & Pyrpile, ab igni ibi primùm reperto. Vergil. 3. Georg.*

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?

Delphi, (Δελφοὶ) *ciuitas eſt Phocidis, rupibus potius, & loci natura, quàm humana arte munita, celeberrimoq́; Apollinis oraculo, quod à loco Delphicum dicebatur, in primis nobilitata. Horat. 1. Carm.*

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimarisue Corinthi,
Mœnia; uel Baccho Thebas, uel Apolline Delphos
Inſignes, &c.

Demócritus, (Δημόκριτος) *nomen philoſophi Abderitæ, qui accepta à fratribus natu maioribus paternæ hæreditatis portione, cognoſcendarum rerum cupiditate accenſus, bonam orbis partem peragrauit. Poſtea in patriā reuerſus, cum ſumma inopia, in hortulo iuxta ſuæ urbis muros,*

muros,ſe adſolas rerum naturas contemplandas contulit, à quibus ne externis obiectis auocaretur, æneæ peluis fulgore ſeipſum obcæcauit. De hoc *memoriæ proditum eſt, quòd quocunq; fortunæ caſu, & mutabilium rerum auditu, in riſum ſoluebatur, ſicut* Heraclitus *in fletum: unde* Gelaſinus *nominatus eſt.* Horat. *lib.* 2. Epiſt.

Si foret in terris, rideret Democritus *&c.*

Demódocus, (Δημόδοκος) *nomen citharœdi, quem* Homerus *li.* Odyſſ. 8. *inducit in cõuiuio* Alcinoi *regis* Phæacum *citharam pulſantem, & ſimul accinentem.*

Demócoon, (Δημοκόων) *fuit nothus* Priami, *qui uelociſsimos patris equos apud* Abydum *cuſtodiebat.* Hũc Vlyſſes *in bello interemit, ut eſt apud* Homerũ *lib.* Iliad. 4.

Demóphoon, ontis, (Δημοφόων) *uel* Demophon *per cõtractionem,* (Δημοφῶν) Theſei *ex* Phædra *filius, & rex* Athenarũ, *qui ab expeditione* Troiana *rediẽs, aduerſis uẽtis pulſus eſt in* Thraciam, *ibiq; à* Phyllide, Lycurgi *regis filia, hoſpitio & lecto ſuſceptus eſt: apud quã cũ aliquãdiu delituiſſet,* Athenas *abijt, ibiq; mortuo patre imperiũ ſuſcepit, oblitus* Phyllidis, *cui intra paucos mẽſes ſe rediturũ iurauerat.* Quapropter *illa uidẽs ſe derelictã, amoris impatiẽtia de amygdalo ſe ſuſpẽdit,* Vide *infrà in dictione* Phyllis, *ubi hæc copioſius tractantur.* Ouid. *lib.* 2. *de* Arte:

Et *tibi* Demophoon Theſei *criminis hæres*
Phyllide *decepta, nulla relicta fuit, &c,*

Deo, (Δηὼ) Ceres *à* Græcis *appellatur:* παρὰ τὸ δηῶ, τὸ εὑρίσκω, *eò quòd frugũ fuerit inuentrix.* Hinc Deois *patronymicũ, filia* Deus, *quæ eſt* Proſerpina. Oui. 6. Meta.

Addidit *ut* Satyri *celatus imagine, pulchram*
Iuppiter *implerit gemino* Nycteida *fœtu,*
Mnemoſynen *paſtor, uarius* Deoida *ſerpens,*

Demóſthenes, (Δημοσθένης) ciuis Athenienſis fuit, Græcorũ omniũ oratorũ clariſsimus, patre cultellario natus, qui relictus puer in hæreditate locupleti, tutorum fraude, & negligẽtia direptis bonis, uix habuit, unde præceptoribus mercedẽ ſolueret. Verùm cùm multo ſtudio, & laborioſo peruigilio in clariſsimum oratorẽ euaſiſſet, acerrimus extitit libertatis Græciæ defenſor, grauibus concionibus Philippũ, utpote publicæ libertatis inſidiatorẽ identidem inſectans. Poſt cuius mortem patria pulſus, tandem reuocatus eſt. Sed iam mortuo Alexandro, & Antipatro rebus Græciæ præpoſito, cũ manifeſtã ſibi necem imminentem uideret, relictis Athenis, in Calauriam inſulam (ut ſcribit Suidas) ubi aſylum erat, Neptuno ſacrum, cõceſsit. Quò cùm ueniſſet, Archias actor tragœdiarum, qui ab Antipatro miſſus erat, ut Demoſthenem compræhenderet, primùm ei perſuadere conatus eſt, ut unà ſecũ ad Antipatrũ ſe conferret, nihil moleſtiæ ab eo perpeſſurus. Cuius fraude intellecta Demoſthenes, Nihil eſt (inquit) Archia, quod coneris. Neque enim in ſcena mihi unquam placuiſti mimus, neq; nunc perſuadebis legatus. Cùm autem Archias ſe per uim detracturum minaretur, Tandẽ (inquit) Macedonica oracula aperuiſti: nam prius quidem tãquam hiſtrio ſimulabas. Verùm age, parumper expecta, dum pauca domeſticis ſcribo. Hæc locutus, ſumptis codicillis tanquam ſcripturus, calamum ori admouit, hauſtoq́; quod eum in uſum aſſeruabat, ueneno, neceẽ ſibi conſciuit. Reliqua eius geſta ex Plutarcho petenda relinquimus.

Dercéto, (Δέρκετώ) nomẽ eſt fabuloſæ deæ, quæ apud Ioppen, autore Plinio, aut (ut Diodoro lib. 1. placet) iuxta Aſcalonem colebatur humana facie, reliquo corpore piſcis.

Hanc

Hanc Syri Atargatim uocabãt. Filiã habuit Semiramidẽ, quã à columbis educatã ferunt. Ob id Syrorum genti aues eas ſacras eſſe, oſtendit Tibullus, lib. 4. ubi ſic habet:

Alba Palæſtino ſancta columba Syro.

Deucálion, (Δευκαλίων) *filius fuit Promethei, cui adulto Epimetheus patruus Pyrrham filiam coniugio iunxit. Porrò cùm hic apud Theſſalos regnaret, ingens diluuium contigit, quod uniuerſum terrarũ orbem inundauit: genusq; humanũ ad internecionẽ deleuit, Deucalione tãtum & Pyrrha ſeruatis: qui in Parnaſſum mõtẽ nauicula delati, ubi primùm aquæ deſediſſent, Themidis oraculũ cõſuluerunt, quánã ratione genus humanũ poſſet reparari: acceptoq; reſpõſo, ut magnæ matris oſſa poſt terga projicerent, lectos humi lapides (eos enim magnæ matris, hoc eſt, terræ oſſa interpretabãtur) poſt terga iactabant: qui protinus naturali poſita duritia in utriuſq; ſexus mortales ſunt cõmutati: ij quidẽ, qui à Deucalione iaciebantur, in mares: qui uerò à Pyrrha, in fœminas. Iuuen. Satyr. 1.*

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor,
Nauigio montem aſcendit, ſorteſq; popoſcit,
Paulatimq; anima caluerunt mollia ſaxa.

Vide latius hanc fabulam apud Ouidium lib. 1. Metamor. Inde Deucalioneus, a, um: ut, Deucalionei imbres, qui pro maximis & copioſiſsimis imbribus ponuntur à Poëtis, ſiue pro uniuerſo totius orbis cataclyſmo, quem illius uolunt Poëtæ contigiſſe temporibus. Lucanus lib. 1.

Deucalioneos fudiſſet Aquarius imbres.

Día, (Δῖα) *inſula eſt maris Aegæi, una Cycladum, diſtans à Delo* XVII. M. *paſs. Alijs nominibus Naxos dicta, & Sicilia minor, & Dionyſias, à uini fertilitate. Autor Plinius lib. 4. capite 12. In hac Liber pater Ariadnen à Theſeo de-*

ſtitutam, uxorem duxit: qua de cauſa, etiã Baccho ſacram eſſe uolunt. Ouid. in Triſtibus,

Quà breuis æquoreis Dia feritur aquis.

Diàna, (ἄρτεμις) Iouis filia ex Latona, eodem cum Apolline partu edita: quæ & Luna dicitur, ſiue quòd noctu una, hoc eſt, ſola, & ſine fratre luceat: ſiue quòd lumen à Sole accipiat, quaſi luce lucens aliena. Præterea, & Noctiluca dicta eſt: ſub quo nomine etiã templũ in Palatio dedicatũ habuit. Hanc parturiẽtes Iunonis Lucinæ nomine inuocabãt: Iunonẽ quidẽ appellãtes à iuuãdo: Lucinã uerò, quòd partum in lucem proferre putaretur. Verg. 4. Eclog.

Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

Græci εἰλείθυιαν uocant. Alij Lucinam dictam putãt, quòd oculis & luci præſit: alij à luco, quem Romæ in Exquilijs habebat. Eadẽ & Proſerpina (περσεφόνη) dicta eſt, & Dictynna: quarum appellationum rationem uide ſuo loco. Apud inferos Hecate dicitur, uel quòd centum uictimis placetur, uel quòd centum annos errare faciat inſepultos. Dicta eſt & Pergæa, (περγαία) à Perga Pamphyliæ oppido, in quo tẽplum habuit inſigne. Plures tamen Dianas fuiſſe Cicero libro ultimo de Natura deorum ſcribit: ſed illa nominatiſſima eſt, quæ eodem partu cum Apolline ex Ioue & Latona nata eſt. Hæc ob uirginitatis amorem, fertur hominũ conſortia fugiſſe, & ut à ſe libidinis pruritũ amoueret, uenãdo ſyluas incoluiſſe, paucarũ uirginũ comitatu contenta. Arcum ferebat, & pharetram, ſuccincta ſemper incedens, & cothurno induta. Ob hãc cauſam ſyluarũ & nemorũ dea putabatur. Dicta eſt Faſcelis, à faſce lignorũ, ubi eius ſimulacrũ abditum erat, quod occiſo Thoãte, Tauricæ regionis rege, ab Iphigenia Agamẽnonis filia, in Italiam delatum eſt. Laudatiſſimum tem-

plum

plum habuit apud Epheſios: aliud item in Taurica regione, ubi carne tantùm humana litabatur. De hac Luc. li. 1.

Et Tauroſcythicæ non mitior ara Dianæ.

Dianam autem dictã putant, quaſi Iouianam, ἀπὸ τοῦ Διός, fuit enim (ut iam diximus) Iouis filia ex Latona.

Dicte, (Δίκτη) mons eſt Cretæ, à Nympha eiuſdē nominis, quæ in eo colebatur, ita appellatus. Hinc Dictæus, a, um, (Δικταῖος) qđ pro Cretēſi Poëtæ uſurpãt. Ver. Eclog. 6.

Dictææ Nymphæ nemorum iam claudite ſaltus.

Dictynna, (Δίκτυννα) Nympha fuit Cretenſis, quæ caſſes uenatorios prima creditur inueniſſe: unde & Dictynna eſt appellata, cùm antea Britomartis uocaretur. Ferũt autem hanc in Creta Dianæ conſuetudine familiariſſimè uſam fuiſſe, quæ & ipſa ob id à Poëtis nõnunquã Dictynna appellatur. Sunt qui Dictynnam à Minoë Cretenſium rege adamatã ferant, eiusq́; uim cùm alioqui effugere nõ poſſet, ex edita rupe ſe in mare præcipitaſſe, retibusq́; piſcatorijs exceptam fuiſſe: indeq́; nomen accepiſſe.

Dictys, (Δίκτυς) unus fuit ex Centauris, Pirithoi manu in Hippodamiæ nuptijs interfectus: ut placet Ouid. libr. 12. Metamor. Fuit & Dictys Cretenſis hiſtoricus, qui cum Idomeneo ad Troiam profectus, totum illud bellum Phœnicum literis conſcripſit.

Dido, ûs, (Διδώ) filia fuit Beli, Tyriorum regis, quæ primis nuptijs Sichæo Herculis ſacerdoti iuncta fuit, quem cùm Pygmalion, Eliſæ frater, theſauris eius inhians, ante aram obtruncaſſet, illa in ſomnis monita, cum ijs, quibus Pygmalionē inuiſum eſſe ſciebat, effoſsis clàm theſauris, nauim conſcendit, & in eam Africæ partem, quæ Zeugitana appellata eſt, delata, tantum ſibi ſoli emit, quantum taurino corio poſſet circundare. Quo in loco, cùm co-

rium in tenuiſsimas partes diſſecuiſſet, locumq́; ſatis amplum complexa eſſet, urbem condidit, quam Carthaginem appellauit, arcemq́; in medio urbis, quam à corio bubulo Byrſam *uocauit.* Deinde *cùm* Iarbas, Getuliæ *rex, nuptias eius ambiret, recuſantemq́; ui armisq́; cogeret, ſibi ipſi manus intulit, præferens nimirum honeſta morte occumbere, quàm prioris lecti iura, ſecundis nuptijs polluere.* Vergil. *lib.1.&* 4. Aeneid. *fabulatur* Aeneam, *capta* Troia *à patria profugum, ui tempeſtatis* Carthaginem *fuiſſe delatum,* Eliſamq́; *amore eius captam, cùm præter ſpem deſereretur, mortem ſibi conſciuiſſe. Quæ tamen res grauiſsimorum* Hiſtoricorum *fide facilè refellitur, qui* Carthaginẽ *tradunt ſeptuageſimo demum anno poſt* Romam *conditam, ab* Eliſa *condi cœpiſſe. Ab* Aeneæ *uerò in* Italiam *aduentu uſque ad urbem conditam numerantur anni amplius quàm trecenti, quibus* Albæ *regnatum eſt.* Hac *de re extat elegans apud* Auſonium Epigramma, *quo illa ſe ab impudicitiæ nota uindicat, monens lectorem, ut de moribus ſuis incorruptis potius* Hiſtoricorum *monumentis, quàm* Poëtarum *fabulis, fidem adhibeat.* Hæc *proprio nomine* Eliſa *dicta fuit:* Dido *autem cognominata fuit à rerum geſtarum magnitudine, quaſi uirago.*

Diéſpiter, (*ζεὺς*) *idem* Iupiter: *quaſi diei, hoc eſt, lucis pater: ut in* Satur. *interpretatur* Macrobius. Horat. li. 1. Car.

—Nanq; Dieſpiter
Igni *coruſco nubila diuidens.*

Dynámene, (*δυναμένη*) Nympha *marina,* Nerei *&* Doridos *filia: ita dicta ab eo, quòd in mari plurimũ polleat.* Heſiod. *in* Theogon.

Δωτώ τε, Πρωτώ τε, Φέρουσά τε, Δυναμένη τε.

Díndymus, mi, *ſeu* Dindyma, orum, (*Δίνδυμα, τὰ*)

ra) mons eſt celſiſſimus Phrygiæ,*ſiue (ut quidam uolũt)* Idæ *iugum,in quo* Cybeles *ſacra à* Gallis *miris ſuperſtitionibus ſolent celebrari.* Propertius *lib.3.*

Dindymus,*& ſacræ fabricata inuenta* Cybellæ.

Vergil.9.Aen.

O *uerè* Phrygiæ *(neq; enim* Phryges*) ite per alta*
Dindyma,*ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum.*

Quin *&* Cybele *ipſa ab hoc monte* Dindymene *(δινδυμήνη) appellatur.* Martial.*lib.8.*

Non *per myſtica ſacra* Dindymenes
Iurat Gellia.

Diógenes, *(διογένης) philoſophus* Cynicus *celeberrimus,* Antiſthenis *diſcipulus,ἡμερόβιος,hoc eſt,in diem uiuens,uulgò appellatus,quod omni abiecta ſolicitudine cibum ſuum in ſingulos dies emendicaret.* Habitauit *in portarum ueſtibulis &* porticibus *ciuitatũ : cumq; ſe contorqueret in dolio,uolubilẽ ſe habere domum iocabatur, & ſe cum temporibus immutãtem.*Hyeme *enim os dolij uertebat in* Meridiem,*æſtate ad* Septentrionem: *& utcunq;* Sol *ſe inclinauerat,* Diogenis Prætorium *uertebatur.* Obijt *ferme nonagenarius, mortiq; iam uicinus, iuſsit cadauer ſuum inhumatum abijci,quærentibusq; amicis, uolucribúsne & feris corpus ſuum dilaniandum uellet relinqui?* Minimè,*inquit,ſed bacillũ apud me, quo illas abigam,ponitote:irridens nimirum amicorum præpoſteram curam,qui tantopere de humatione cadaueris, omnis ſenſus expertis,erant ſoliciti:quaſi magnum quiddam intereſſet,à ferisne, an à uermibus abſumeretur.*

Diomêda,*(διομήδη)* Phorbantis *filia fuit, quam* Achilles *ex* Leſbo *raptã concubinam habuit.* Homerus *9.*Iliad.

Diomédes,*(διομήδης)rex* Aetoliæ,Tydei *&* Deiphiles

filius, qui cum reliquis Græcis ad Troiam profectus, adeò ſtrenuè ſe geſſit, ut poſt Achillem & Aiacem Telamoniũ fortiſſimus haberetur. Nam præter occiſos à ſe reges, & ſingulares pugnas aduerſus Hectorem & Aeneam, aliosq; inſignes Troianorum principes, & captos Rhœſi equos, Palladiũq; Troianis ſubtractum, Martẽ quoq; in eo bello uulnerauit, Venerẽq; in dextra manu, dũ Aeneã protegere uellet. Quãobrẽ Dea indignata, Aegialen uxorẽ eius tãta libidinũ turpitudine inuoluit, ut eius cauſa patriã exoſus Diomedes domũ reuerti noluerit, ſed in Apuliam profectus regni partem à Dauno acceperit, ibique Arpos condiderit. Quidam ferunt Diomedem ab Aenea dolo occiſum, eiusq; ſocios doloris impatientia in aues Diomedeas eſſe cõmutatos. Diomedes alter, rex Thraciæ, qui dum equos ſuos humana carne aleret, ab Hercule uictus, equis ſuis in pabulum eſt obiectus. Ouid. in Ibim:

Vt qui Threicij quondam præſepia regis
 Fecerunt dapibus ſanguinolenta ſuis.

Idem 9. Metam.

Quid quũ Thracis equos humano ſanguine pingues &c.

Diône, (Διώνη) una ex Nymphis, Oceani & Tethyos filia, Veneris autem mater ex Ioue. Vnde & Venerẽ ipſam Dionæam cognominat Vergilius 3. Aeneid.

Sacra Dionææ matri, diuisq; ferebam.

Dionyſius, (Διονύσιος) deus uini inuentor, quem & Bacchum, & Liberum patrem nominamus. Vnde & Dionyſia dicta ſunt feſta in honorem eius inſtituta. Ea autem fuerunt duplicia, altera uetuſtiora, quibus ſacra fiebant in Acropoli, ubi antiquiſſimum erat Dionyſij templum, quod in Limnis dicebatur, idq; duodecimo die menſis, quem illi ἀνθεστηριῶνα uocabant. Altera recentiora,

quæ

quæ & Aſtyca,(ἀστυκὰ)dicebantur,hoc eſt,urbica,quòd in ipſa urbe celebrarentur.Fuerunt & Dionyſij duo Syracuſanorum tyranni: quorum uitam, quoniam ad noſtrum inſtitutum nihil pertinet,ex Hiſtoricis petendam relinquimus.

Dioſcuri, (*Διόσκουροι, ἢ Διόσκοροι*) *à Græcis dicuntur Caſtor et Pollux,quaſi Iouis filij.Antiquitas credidit, hos ſalutares eſſe nauigantibus, ſi gemini apparerent (apparent autem ignis ſpecie,antēnæ, aut malo inſidentes) contrà triſtes, ſi ſinguli apparerent: ut latius docuimus in dictione Caſtor.*

Dipſas,adis,(*διψὰς*) *ſerpētis genus,ſimile uiperæ, ſiti, quos momorderit, enecans:unde & nomen accepit.Naturam eius pulchrè depingit Lucan.lib.9.*

Diræ,(*εὐμενίδες, ἐρίννυες*) *Acherontis, & Noctis filiæ, animorum ſibi malè conſciorum exagitatrices. Seruius in illud Vergilij 12.Aeneid.*

Dicuntur geminæ peſtes cognomine Diræ,
Quas,& Tartaream Nox intempeſta Megæram
Vno,eodemq; tulit partu,paribusq; reuinxit
Serpentum ſpiris,&c.

Diras eaſdem facit cum Furijs,& in cœlo quidem Diras uocari ait, in terris Furias & Eumenides, apud inferos autem Stygias canes.

Dirce,(*Δίρκη*) *Lyci Thebarum regis uxor fuit,quam ille repudiata Antiopa uxorem duxerat:quæ cùm Antiopam grauidam eſſe animaduerteret (nam poſt repudium à Ioue compreſſa fuerat) ſuſpicata uirum ſuum clàm cum illa conſueſcere,in uincula eam coniecit. Verùm inſtante iam partus tempore,Iouis miſeratione uinculis ſoluta, in Cithæronem montem confugit:ubi Amphionem, & Zetum*

tum gemellos peperit: qui poſtea Lycum *interfecerunt:* Dircen *uerò caudæ indomiti equi alligarunt: quæ diu ita per terram raptata, tandem* Deorum *commiſeratione in ſui nominis fontem conuerſa eſt, non procul à* Thebis. *Proper.lib.3.*

Tu reddis pueris matrem, pueriq; trahendam
Vinxerunt Dircen *ſub trucis ora bouis.*

Lucan.lib.tertiò:

Fatidica Cephiſſos *aqua,* Cadmeaq; Dirce.

Ab hoc fonte Thebani *dicti ſunt* Dircei. *Verg.2.Eclo.*

Amphion Dircæus *in* Actæo Aracyntho.

Alia fuit Dirce Babylonia, *quæ ſua forma tumẽs, cùm* Palladi *conuitiaretur, inter lauandum in piſcem cõuerſa eſt.*

Dis, (ᾅδης, ἀιδωνεὺς) Iouis, *&* Neptuni *frater, inferorum* Deus, *quem &* Plutonem *appellamus: utroq; nomine à diuitijs deducto, quæ ab inferis, hoc eſt, ex intimis terræ uiſceribus eruuntur. Ver.6.Aen.*

Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis.

Dodôna, (δωδώνη) *ciuitas* Chaoniæ, *regionis* Epiri, *iuxta quam propinquum erat nemus* Ioui *ſacrum, quer- neum totum, ubi* Iouis Dodonæi *templum fuiſſe dicitur, & in eo oraculum omnium, quæ apud* Græcos *fuerunt, uetuſtiſsimum. In hoc duas columbas conſulentibus reſponſa dediſſe quidam fabulantur, quarum altera* Delphos, *altera uerò in* Ammonis Iouis *templum uolauit. Alij arbores ipſas uocales fuiſſe uolunt, & conſulentibus oracula edere ſolitas. Hinc* Dodoneus, a, um, (δωδωναῖος) *ut,* Dodonæus Iupiter, *qui in* Dodonæo *nemore colebatur. Item* Dodonæum *æs,* (δωδωναῖον χαλκεῖον) *tintinnabuli quoddam genus, die noctuq; continuò crepitans: unde & ad homines iuſtò loquaciores prouerbiali*

metaph

metaphora transferri ſolet. Auſonius:

Nec Dodonæi *ceſſat tinnitus aheni.*

Dictam autem uolunt Dodonam *à* Nympha *quadam marina eius nominis: aut, ut alijs placet, à* Dodone *quodam* Iouis *&* Europæ *filio.* Vide Stephanum.

Dodónides, (Δωδωνίδες) Nymphæ *fuerunt (ut* Pherecydes *ait)* Liberi *patris nutrices, ita dictæ à* Dodona Epiri *ciuitate.* Hæ *&* Atlantides *uocantur, quarum nomina ſunt,* Ambroſia, Eudôra, Paſithoë, Coronis, Plexaura, Pytho, Tythe.

Dolon, (Δόλων) *uir* Troianus, *egregia pedum pernicitate præditus, qui cùm in caſtra* Græcorum *ſpeculator miſſus eſſet, à* Diomede *&* Vlyſſe *depræhenſus, conſilia* Troianorum *ſpe conſeruandæ uitæ, illis aperuit: quem tamen ut proditorem falſa ſpe deluſum, occiderunt.* Vergil. 12. Aeneid.

Antiqui proles bello præclara Dolonis.

Dólopes, (Δόλοπες) *populi* Theſſaliæ, *in extremis finibus* Phthiotidis, *quibus* Peleus *(cuius imperio parebant)* Troiani *belli tempore* Phœnicem *præpoſuit: ut ex* Homeri *ſententia refert* Strabo *lib.* 9. Verg. *lib.* 2. Aen.

-Quis *talia fando*
Myrmidonum, Dolopúmue, *aut duri miles* Vlyßi
Temperet *à lacrymis? &c.*

Hinc Dolopeïus, *a, um.* Val. Flaccus 2. Argonaut.

-Vidiſſe *putant* Dolopeïa *buſta.*

Donyſa, (Δονυσα) *inſula eſt in mari* Aegæo, *una* Sporadum, *cuius meminit* Vergil. *tertio* Aeneidos:

Linquimus Ortygiæ *portus, pelagoq́; uolamus,*
Bacchatamq́; *iugis* Naxon, *uiridemq́;* Donyſam.

Dorceüs, ei, (Δορκεὺς) *ab* Ouidio 3. Metamor. *numeratur*

tur inter canes Actæonis.

Inde (inquit) ruunt alij rapida uelocius aura

Pãphagus, & Dorceus, & Oribaſus, Arcades omnes.

Dórion, (Δώριον) *oppidum eſt Peloponneſi, in tractu Meſſeniaco, iuxta quod Thamyras citharœdus Muſas ad cantus certamen prouocauit. Meminit huius oppidi Plinius lib. 4. cap. 5. Item Lucanus libro 6.*

-Pteleos, & Dorion ira

Nobile Pieridum.

Doris, (Δωρὶς) *Nympha maris, Oceani & Tethyos filia, quæ Nereo fratri nupta immenſam uim marinarum Nympharũ peperit, quæ à nomine patris, Nereïdes appellatæ ſunt. Ponitur nonnunquam pro ipſo mari. Vergili. in Gallo,*

Sic tibi cùm fluctus ſubterlabere Sicanos

Doris amara ſuam non intermiſceat undam.

Doris item Græciæ regio eſt, iuxta ſinum Maleacum, à tergo habens Oetam montem: ita dicta à Doro Neptuni & Alopes filio: ex qua regione qui originem traxerunt, quacunq; terrarum in parte conſederint, Dores, (Δωριεῖς) appellati ſunt. Hinc Doricus, a, um, (Δωρικὸς) quod pro Græcanico Poëtæ nonnunquam uſurpant. Vergilius 2. Aeneid.

-Iuuat ire, & Dorica caſtra,

Deſertosq; uidere locos.

Dóryclus, (Δόρυκλος) *filius fuit Priami nothus, ab Aiace in bello Troiano interfectus: ut placet Homero lib. 11. Iliad. Alter fuit Doryclus, frater Phinei regis Thraciæ: de quo Vergilius libro 5. Aeneid.*

Fit Beroë Iſmarij coniunx longæua Dorycli.

Et paulò pòſt:

-Non hæc Rhœteïa, matres,
Eſt Dorycli coniux, &c.

Dórylas, (δορύλας) *nomen Naſamonis cuiuſdam potentiſsimi, unius ex ijs, qui Perſeo in aula Cephei uim inferre conati, ab illo ſunt interfecti. Ouidius 5. Metamorph.*

Et Naſamoniaci Dorylas ditiſsimus agri,
Diues agri Dorylas: quo non poſſederat alter
Latius, aut totidem tollebat farris aceruos.

Eſt item Dorylas, Centauri nomen, apud Ouid. 12. Meta.

Drances, (δράγκης) *nomen unius ex Latini regis proceribus, eloquens quidem, ſed imbellis, Turno Rutulorum regi infenſiſsimus. Vergil. lib. 11.*

Tum Drances idem infenſus, quem gloria Turni
Obliqua inuidia, ſtimulisq; agitabat amaris:
Largus opum, & lingua melior, ſed frigida bello
Dextera, &c.

Drépanum, (δρέπανον) *urbs eſt Siciliæ trans Lilybæum promontorium, non procul ab Eryce mõte: ita dicta quòd δρεπανοειδὴς ſit, hoc eſt, in modũ falcis incuruata. uel ab eo quòd Saturnus amputatis uirilibus paternis, illuc falcem proiecerit. Ouid. lib. 3. Faſt.*

Quiq; locus curuæ nomina falcis habet.

Verg. 3. Aeneid.

Hinc Drepani portus, & illætabilis ora.
Accipit. &c.

Drúidæ, *ſiue* Drúides, *aut, ut alij ſcribunt* Dryadæ, (δρυάδαι) *Magi, ſeu ſacerdotes fuerũt Gallorum, maximo apud eos in honore habiti, ita dicti, quòd in ſyluis inter arbores degerent. δρῦς enim quamuis peculiariter quercũ ſignificet, olim tamen pro quauis arbore accipiebatur. Hi ſolebant ſacrificia publica & priuata procurare, reli-*

giones

giones interpretari, adoleſcẽtes diſciplinis inſtituere, rerum naturalium cauſas ſcrutari, de cæde, de finibus, cæteriſq; controuerſijs cognoſcere, & ſi quis decreto non ſtetiſſet, eidem ſacrificijs, hominum ſermone, & congreſſu interdicere, ut latius eſt uidere apud Cæſarem, Comment. *libro 6.* Immortales *animas, & mundum non genitum aſſerebant: in primis autem hoc nitebantur perſuadere, nõ interire animas, ſed ab alijs poſt mortem tranſire ad alios: atq; hoc maximè homines ad uirtutẽ excitari putabãt, metu mortis neglecto.* Luc. lib. 1.

Et uos barbaricos ritus, moremq; ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ *poſitis repetiſtis ab armis.*

Druſus, (δροῦσος) *uir* Romanus, *genere & eloquentia magnus, ſed ambitioſus & ſuperbus,* Catonis *auus.* Fuit *& ante hunc* M. Liuius Druſus, *cognomento* Salinator, *qui unà cum* Cl. Nerone, *collega ſuo, in* Cõſulatu Aſdrubalem *uicit.* Vergil. 6. Aen.

Quin Decios, Druſosq; *procul, &c.*

Fuit *etiam hoc nomine* Liuiæ Auguſtæ *filius, qui in* Germania *perijt: de cuius morte extat* Ouidij *carmen conſolatorium ad* Liuiam *matrem.*

Dryades, (δρυάδες) Nymphæ *ſyluarum præſides, ita dictæ à* Græco *nomine* δρῦς, *quod quamuis propriè quercũ ſignificet, accipitur tamen pro quauis arbore.* Vergil. 1. Georg.

Ferte *ſimul* Fauniq; *pedem,* Dryadesq; *puellæ.*

Hamadryades *autem dicuntur ſingularum arborũ* Nymphæ, *quæ cum ijs unà naſci, & occidere dicuntur: cuiuſmodi unã deſcribit* Ouid. lib. 8. Metam. *quercu annoſa ab* Eriſichthone *ſucciſa interemptam.*

Dryantíades, (δρυαντιάδης) *dictus eſt* Lycurgus, Thraciæ

ciæ rex, Dryantis filius, qui cùm uites excidere uellet, ne Baccho in poſterum libaretur, tibias ſibi ſuccidit. Ouidius in Ibin:

Vtque Dryantiadæ Rhodopeia regna tenenti, &c.

Dryas, (*δρύας*) *filius Hippolochi, & pater Lycurgi, qui in bello Thebano Eteoclis partes ſecutus, cùm in pugna Parthenopæum lætali ictu uulneraſſet, à Diana ſagittis occiſus eſt: ut latius refert Statius lib. 8. Thebaid.*

Dryopes, (*δρύοπες*) *populi Epirotici, de quibus Strabo libro 8. & 13. & Vergilius lib. 4.*

Creteſq;, Dryopeſq; fremunt, pictiq; Agathyrſi.

Dulíchium, (*δουλίχιον*) *inſula eſt in mari Ionio, non procul ab Ithaca, una ex ijs, quibus Vlyſſes imperabat. Vergi. 3. Aen.*

In medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthus,
Dulichiumq;, Sameq;, & Neritos ardua ſaxis.

Hinc Dulichius, a, um. Propert. lib. 3.

At cùm Dulichias Pallas ſpatiatur ad aras,

Dúria, *ſiue* Dúrias, (*δουρίας Straboni*) *fluuius eſt Edetanorum, in tractu Tarraconenſis Hiſpaniæ, Valentiam præterfluens, & in ſinum Sucronenſem ſe exonerãs. Salluſtius Turiam uocat. Quam ſcripturæ rationem in Claudiano quoq; obſeruauimus, qui ſic habet:*

Floribus, & roſeis formoſus Turia ripis.

Dyrrháchium, (*δυῤῥάχιον*) *urbs eſt in ea parte Macedoniæ, quæ mari Adriatico incumbit, diſtans à Brunduſio* C C X X. M. *paſſ. traiectu. Dictũ autẽ uolũt Dyrrhachiũ à nomine eius, qui urbi portũ adiecit: nã antea Epidamnus uocabatur, teſte Plinio lib. 3. cap. 23. Hanc urbem Cicero exilij ſui tempore amiciſſimam expertus eſt, & officioſiſſimam: in qua & commoratus eſt, donec Senatuſconſulto*

t reuocare

reuocaretur. Lucanus *lib.5.*

-Dyrrhachij rapiendas tendit ad arces.

E

EBuſus, (ἔβυσος) *inſula eſt in mari* Balearico, *altera* Pityuſarum, *nullum animal noxium gignens.* Plin. *lib.3. capite 5.* Ebuſi *terra fugat ſerpentes,* Colubrariæ *parit: ideo infeſta omnibus, niſi* Ebuſitanam *terram inferentibus.* Habet *hæc inſula oppidum eiuſdem nominis, à* Phœnicibus, *ut putatur cõditum, aut certè à* Pœnis *qui à* Phœnicibus *originem duxerunt.* Silius *lib.3.*

Iamq; Ebuſus *Phœniſſa mouet, iamq;* Artabus *arma.*

Echêmon, (ἐχήμων) Priami *filius, à* Diomede *occiſus.* Homerus Iliados *quinto.*

Echenêus, (ἐχένηος) *omnium* Phæacũ *generoſiſsimus, teſte* Homero *libro 7.* Odyſſeæ.

Echínades, (ἐχινάδες) *exiguæ ſunt inſulæ,* Acarnaniæ *adiacentes, ex aduerſo oſtij* Acheloi *fluminis, natæ ex arena & limo impetu* Acheloi *conuecto, teſte* Plinio *libro 2. cap. 85.*

Echíon, (ἐχίων) *unus fuit illorum, quorum opera adiutus* Cadmus Thebas *ædificauit: unde &* Thebani *ipſi,* Echionidæ *dicti ſunt, &* Thebæ *ipſæ,* Echioniæ. Lucanus *lib.6.*

-Veteres ubi fabula Thebas

Monſtrat Echionias.

Echò, (ἠχὼ) Nympha *fuit,* Cephiſſi *amnis accola, quæ* Narciſsi *amore capta, cùm ab illo ſperneretur, doloris impatientia contabuit, & corpore in ſaxum conuerſo, nihil præter uocem retinuit.* Vide *latius hanc fabulam apud* Ouidium *libro tertio* Metamorph.

Edon, (ἠδῶν) *teſte* Seruio, *mons eſt* Thraciæ, *aut certè in ea parte* Macedoniæ, *quæ* Thraciæ *proxima eſt, qui à* Plinio

nio libro 4.cap.11.appellatur Edonus. Ab hoc monte uicini populi dicti ſunt Edonij,uel Edoni,penultima longa. Apud Græcos enim per ω, ſcribitur. Horat.libr.2. Carm.

–Non ego ſanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere eſt amico.

Hinc etiam fiunt adiectiua, Edonius,& Edonus,quæ idem ſignificant quod Thracius. Vergil. 12. Aeneid.

Ac uelut Edoni Boreæ cùm ſpiritus alto
Inſonat Aegæo.

Ad hunc etiam modum Statius dixit,Edonas hyemes, pro frigore acerrimo,quale eſt in finibus Thraciæ.

Edónides,(ἠδωνίδες) mulieres bacchantes, quæ furore diuino agitatæ myſteria Bacchi celebrabāt. Varijs autem nominibus appellabantur, nam & Euantes,& Thyades, & Mimallonides,& Mænades, & Baſſarides dictæ ſunt. De his Ouidius:

Protinus in ſyluis matres Edonidas omnes,
Quæ uidere nefas,torta radice ligauit.

Eétion,onis,(ἠετίων) pater fuit Andromaches, & ſocer Hectoris, qui apud Thebas Ciliciæ imperabat, teſte Homero lib.12.Iliad. Hinc deducitur adiectiuum Eetioneus,(ἠετιώνειος.)Ouid.13.Met.

Eetioneas impleui ſanguine Thebas.

Elatus, (ἔλατος) Perrhæbus quidam fuit, pater Cænei, qui inde Elateïus cognominatur ab Ouidio lib.12. Meta.

–Manet imperfoſſus ab omni
Inq́; cruentatus Cæneus Elateïus ictu.

Electra,(ἠλέκτρα)teſte Heſiodo, Nympha fuit, Oceani & Tethyos filia,uxorq́; Atlātis: cuius filia etiam Electra dicta fuit,quæ Ioui Dardanum peperit,dicente Vergil.li.8.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis,& autor,
Electra,ut Graij perhibent,Atlantide cretus.

Et ſubdit:

-Electram maximus Atlas
Edidit,æthereos humero qui ſuſtinet orbes.

Alia fuit Electra Oreſtis ſoror,filia Agamemnonis, quæ cœlibem ad multũ ætatis uitam egit:unde etiam ab Helena apud Euripidem πολυχρόνιος παρθένος, *hoc eſt,annoſa uirgo per contumeliam appellatur. Inde aliqui Electram dictam uolunt, quaſi* ἄλεκτραν, *hoc eſt,ſine thalamo:quanquam alijs magis placet,à flauo colore,electrũq; referente,ita fuiſſe appellatam.*

Eleleus,(ἐλελεὺς) *unum ex Bacchi cognominibus,ab* ἐλελίζω *uerbo Græco,quod ſignificat uociferari, quẽadmodũ prælio congreſſuri conſueuerunt. Oui.lib.4.Met.ubi Bacchi nomina enumerat,etiam Elelei meminit,inquiens:*

Nyctelius q;,Eleleus q; parens,& Iacchus,& Euan.

Hinc Bacchæ ipſæ dictæ ſunt Eleleïdes.Ouid.4.Epiſt.

Nunc feror,ut Bacchi furijs Eleleïdes actæ,
Quæq; ſub Idæo tympana colle mouent.

Eleuſis,(ἐλευσὶς) & Eleuſin, (ἐλευσὶν) *ciuitas Atticæ uicina, non longè ab Athenis, in qua regnauit Eleuſius, qui cùm Cererem filiam quærentem liberaliſsimè hoſpitio ſuſcepiſſet, illa pro munere oſtendit ei omne genus agriculturæ:filium etiam eius Triptolemum recẽs natum, per noctem igne fouit, per diem diuino lacte nutriuit: cumq; grandiuſculus factus eſſet,currui ſuo,quem alati trahebãt ſerpentes,impoſitum per totum orbem miſit,ad uſum frumentorum hominibus indicandum.Ob cuius beneficij memoriam,Eleuſini Cereri ſolennia ſacra inſtituerunt, quæ Theſmophoria dicebantur.Ouid.7.Metamorph.*

Cercyon

Cercyonis letum uidit Cerealis Eleuſis.

Quin & Ceres ipſa ab huius oppidi nomine Mater Eleu ſina cognominatur. Verg. 1. Georg.

Tardaq; Eleuſinæ matris uoluentia plauſtra.

Elicius, *Iouis cognomentum eſt, qui in* Auentino *colebatur, ab eliciendis, hoc eſt, euocandis fulminibus impoſitum.* Ouid. 3. Faſt.

Eliciunt cœlo te Iuppiter*: unde minores*
Nunc quoq; te celebrant, Eliciumq; uocant.

Elis, (ἦλις) *oppidum in* Occidentali *tractu* Peloponneſi, *non procul ab* Olympia*: à qua & circuniecta regio* Elis *appellatur,* Alphæo *fluuio irrigata.* Vergil. 3. Georg.

–Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe uias ſubter mare.

Hinc *Eleus, a, um,* (ἠλεῖος.) Verg. *ibidem:*

Hic uel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit ſpatia.

Item Elias, *adis: ut, Equæ Eliades, quæ apud Elidē certamine curuli palmas merentur, ut annotauit* Seruius *in illud* Verg. 1. Georg.

–Eliadum palmas Epirus equarum.

Elîſa, (ἐλισα) *Beli Phœnicum regis filia, Dido cognominata, quòd complura ſupra animi muliebris fortitudinem geſſerit. Nam & fratris inſidias fugiens Carthaginem condidit, cumq; à ſuis ciuibus cogeretur* Iarbæ, *nouæ urbi bellum inferenti nubere, morte ſpontanea ſe à ſecundis nuptijs liberauit.* Vergil. 4. Aen.

Et Diræ ultrices, & Dij morientis Eliſæ,
Accipite hanc animam.

Elôrus, (ἔλωρος) *fluuius eſt Siciliæ, qui adiacentibus cāpis ſuperfuſus, Nili more eos fœcundat: & non procul à*

Pachyno promontorio in mare euoluitur. Ver. li. 3. Aen.

Exupero præpingue ſolum ſtagnantis Elori.

Elpénor, (ἐλπήνωρ) unus fuit ex comitibus Vlyßis, qui à Circe cum alijs ſocijs in porcum conuerſus fuit: & deinde priſtinæ formæ reſtitutus, delapſus de ſcalis ceruicem fregit. Autor Homer. 10. Odyß. Iuuenalis Satyr. 15.

Et cum remigibus grunniſſe Elpenora porcis.

Elyſium, (ἠλύσιον) locus apud inferos, beatorum habitationi deſtinatus. Vergil. 5. Aen.

– Sed amœna piorum
Concilia, Elyſiumq; colo.

Emáthia, (ἠμαθία Stephano, & Suidæ) nobilis Europæ regio, Thraciæ finitima, poſtea Macedonia appellata: ita dicta (ut quidam exiſtimant) ab Emathione rege, fratre Memnonis, Tithoni & Auroræ filij. Plin. lib. 4. ca. 10. Macedonia centum quinquaginta populorum, duobus inclyta regibus, quondamq; terrarum imperio, Emathia antè dicta. Poëtæ Emathiam aliquando uſurpant pro Theſſalia, ſuo quodam iure uicinorum locorum appellationes confundentes. Verg. 1. Georg.

Non fuit indignum ſuperi, bis ſanguine noſtro
Emathiam, & latos Hæmi pingueſcere campos?

Lucanus libro primo:

Bella per Emathios plus quàm ciuilia campos.

Hoc eſt, per campos Pharſalicos, qui in Theſſalia ſunt, teſte Plinio lib. 4. cap. 8.

Empédocles, (ἐμπεδοκλῆς) Philoſophus fuit Agrigētinus, Pythagoræ ſectator, qui rerū naturā elegātiſsimo carmine explicuit, quēadmodū apud nos Lucreti9. De morte eius nōnulli memoriæ tradiderūt, clàm relictis ſocijs Aetnā Siciliæ montē aſcēdiſſe, & in ardētē eius craterē ſe coniecīſſe

ieciſſe, eo conſilio, ut cùm nuſquã appareret, crederetur factus eſſe immortalis: ſed eiectis impetu ignis ferreis eius crepidis, rem fuiſſe depræhenſam. Horat. *in* Arte:

-Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Inſiluit.

Encéladus, (ἐγκέλαδος) *Titanis, & Terræ filius, Gigantum omnium, qui aduerſus* Iouem *coniurarunt, longè maximus, quem* Iupiter *fulmine ictum* Aetnæ *monti ſuppoſuit.* Vergil. 3. Aen.

Fama eſt, Enceladi ſemuſtum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq; inſuper Aetnam
Impoſitam

Enchéleæ, (ἐγχελέαι Stephano) *oppidũ* Illyridis, *iuxta quod* Cadmus, *&* Harmonia *eius uxor in ſerpentes uerſi dicuntur.* Lucan. *lib.* 3.

-Et nomine priſco
Encheleæ uerſi teſtantur funera Cadmi.

Endymion, (ἐνδυμίων) *paſtor quidam fuit ex* Caria, *quem cùm* Luna *ob formæ præſtantiam adamaret, in* Latmio *monte eum ſopiuit, ut eum dormientem exoſcularetur.* Ouid. 2. Amor.

Latmius Endymion non eſt tibi Luna rubori.

Eníopeus, (ἡνιοπεὺς) Hectoris *auriga fuit, à* Diomede *lãcea confixus.* Autor Homerus 8. Iliad.

Enípeus (ἐνιπεὺς) *fluuius* Theſſaliæ, *campos* Pharſalicos *irrigans, iuxta quem* Cæſar *uicit* Pompeium. Lucan. *li.* 7.

Sanguine Romano quàm turbidus ibit Enipeus?

Eſt & alter huius nominis fluuius in Elide, *in* Alpheum *illabens, qui recentiore nomine* Barnichius *dicitur, teſte* Strab. *libr.* 8.

Enna, (ἔννα) *ciuitas inſignis in ipſo Siciliæ umbilico, anguſtiſsimo Cereris templo olim nobilitata, nemoreq́; ſacro, ex quo Proſerpinam raptam fuiſſe, incolæ aſſerunt. Hinc Proſerpina ipſa Ennæa cognominatur à Luca. li. 8.*

=Quæ te

Detineant Ennæa dapes.

Ennius, (ἔννιος) *Poëta antiquiſsimus, Rudijs Calabriæ oppido natus, Q. Valerio, & C. Manilio Romæ Coſs. qui à Catone Quæſtore in urbem adductus, in Auentino habitauit, ancillæ unius miniſterio contentus. Scripſit Annalium libros, Satyras, Comœdias, & Tragœdias, ex quibus ad nos nihil peruenit, exceptis aliquot uerſibus, à ſcriptoribus paſsim citatis. Scipionem Africanum maximè coluit, itaq; uiciſsim ab eo eſt adamatus, ut alter ab altero ne ſepultura quidem diuelli uoluerit. Perijt morbo articulari, quem immodico uini uſu contraxerat. Vnde & Horatius lib. 2. Epiſt. obiter eum tangit, tanquam uino plus ſatis deditum:*

Ennius ipſe pater nunquàm, niſi potus, ad arma
Proſiluit dicenda.

Ennoſigæus, (ἐννοσιγαῖος) *Neptuni cognomen, ab eo quòd terram concutiat, impoſitum. Iuuenalis Sat. 5.*

Ipſum compedibus qui uinxerat Ennoſigæum.

Enope, (ἐνόπη *Stephano) urbs Peloponneſi, in tractu Meſſeniaco, iuxta Pylum, ſub ditione Agamemnonis, teſte Homero lib. 9. Iliad.*

Enyo, (ἐνυώ) *ſoror Martis, quam Latini Bellonam uocant: quanquam à Poëtis non rarò pro ipſo bello ſiue prælio accipiatur. Martialis in Amphitheatro:*

Nec te decipiat ratibus naualis Enyo.

Eos (ἠώς) *à Græcis dicitur, quam nos Auroram uocamus.*

Ouid.

Ouid.3.Faſt.

Tres ubi Luciferos ueniens præmiſerat Eos.

Idem 4.Faſt.

Proxima uictricem cùm Romam inſpexerit Eos.

Hinc Eous,a,um,(ἠῷος) idem ſignificans,quod orientalis. Vergil.2.Georg.

Eoaſq; domos Arabum,pictoſq; Gelonos.

Idem.1.Aeneid.

Eoaſq; acies,& nigri Memnonis arma.

Lucanus lib.8.

Aut Arabum portus mercis mutator Eoæ.

Quo in loco Lucani illud animaduertendum eſt,primam dictionis huius ſyllabam corripi, cùm alioqui producatur. Cuius rei cauſa à Græcorum inconſtantia manauit, qui quamuis ſæpius ἠὼς pro Aurora longa ſcribant uocali,nonnunquam tamen apud eoſdem legitur & ἑὼς in eadem ſignificatione.

Epaphus,(ἔπαφος) Iouis filius, & Iûs, qui Memphim in Aegypto condidit. Ouid.1.Metamorph. poſtquam fabulam Iûs in Vaccam conuerſæ recitauit,ſubdit:

Hinc Epaphus magni genitus de ſemine tandem
Creditur eſſe Iouis.

Reliqua uide infrà in dictione Phaëthon.

Epêus,(ἐπειὸς) Endymionis filius,& Pæonis frater, qui primus in muralibus machinis equum reperit,qui & Aries dicitur,teſte Plin.lib.7.cap.56. quæ res locum fecit fabulæ,Epeum fabricatorem fuiſſe equi lignei,quo Troia prodita eſt. Vergil.2.Aeneid.

-Et ipſe doli fabricator Epeus

Epéi,(ἐπειοὶ) populi in occidentali ora Peloponneſi, alio nomine Elij dicti,teſte Plin. lib.4. cap.5. Cuius ſententiæ

etiam Stephanus ſubſcribit. Homerus tamen in Catalogo nauium, Epeorum urbem diuerſam facit ab Elide, quam uidetur Epeorum iuri ſubijcere. Vide Strabonem libro octauo.

Epheſus, (ἔφεσος) urbs Ioniæ, emporium totius citerioris Aſiæ celeberrimum, Amazonum opus, auguſtiſsimo Dianæ templo in primis nobilitatum. Horat. lib. 1. Carm.

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimarisue Corinthi
Mœnia.

Ephialtes, (ἐφιάλτης) Neptuni filius fuit, & Gigas incredibili corporis robore, qui cùm ſingulis menſibus nouem digitos creſceret, in tantam altitudinem euaſit, ut ſtatura ſua fretus, unà cum fratre Oto ſuperis bellum inferret: quapropter à Ioue fulmine ictus ad inferos eſt detruſus. Verg. in Culice:

Nam uictus ſedet immanis ſerpentibus Otus
Deuinctus, mœſtum procul aſpiciens Ephialten.

Ephyra, yræ, (ἔφυρα) urbs Peloponeſi, in ipſo ſita Iſthmo, quæ alio nomine Corinthus dicta eſt. Lucanus libro ſexto:

Aut Pelopis latis Ephyren erumpere regnis.

Ephyræ autem nomen accepiſſe uolunt, ab Ephyra Nympha, Oceani & Tethyos filia: cuius meminit Vergil. lib. 4. Georg. Hinc Ephyræus, ræa, ræum, (ἐφυραῖος) hoc eſt, Corinthius. Propertius:

Non ita complebant Ephyrææ Laïdos ædes.

Lucanus lib. 6.

Inſedit caſtris, Ephyræaq; mœnia ſeruat.

Vergi. 2. Georg. Ephyræius per quinque ſyllabas extulit:

Illuſas auro ueſtes, Ephyræiaq; æra.

Epicls

Epicharmus, (ἐπίχαρμος) Poëta fuit Syracuſanus, Comœdiarum ſcriptor. Horat. lib. 2. Epiſt.

Plautus ad exēplar Siculi properare Epicharmi, &c.

Epicûrus, (ἐπίκουρος) eius ſectæ autor fuit, quæ ab eo Epicurea dicta eſt. Summum bonum in uoluptate ponebat, non tamen in uoluptate corporis, quemadmodum Ariſtippus, ſed in uoluptate animi, hoc eſt, in abſentia omnium dolorum. Dialecticam damnabat, quòd Philoſophiam ſimplicibus uerbis affirmaret poſſe compræhendi. Deorum prouidentiam è rebus humanis tollebat. Huic Lucretius tantùm tribuit, ut non dubitet affirmare, Epicurum reliquorum omnium Philoſophorum lumen obſcuraſſe, quemadmodum Sol ſuo ſplendore aliorum cœleſtium corporum claritatem obtenebrat. Traditur fuiſſe continentiſſimæ uitæ: nomen tamen illud uoluptatis, in qua ſummum bonum ponebat, effecit, ut ab eo homines uoluptarij Epicurei dicantur. Horat. libro 1. Epiſtol. ad Tibullum:

Me pinguem, & nitidum bene curata cute uiſes,
Cùm ridere uoles Epicuri de grege porcum.

Epidamnus, ſiue Epidamnum, (ἐπίδαμνος) oppidum in ea parte Macedoniæ, quæ Adriatico mari incumbit, tritiſſimo è Græciæ in Italiam traiectu nulli non cognitum. Epidamnum dictum ab Epidamno rege Barbarorum. Sed Romani eò coloniam deducentes (inquit Plin. lib. 4. cap. 27.) Dyrrhachium dicere maluerunt, propter inauſpicatum nomen Epidamni, tanquam à damno dicatur Epidamnum. Ad quod alluſit Plaut. in Menæhmis, cùm ait: Ne mihi damnum in Epidamno duas. tanquam nomen inditum ſit Epidamno, quòd illuc nemo ſine damno diuertat. De hoc Lucan. lib. 10.

Ad camp

Ad campos Epidamne tuos.

Epidaurus, (ἐπίδαυρος) *ciuitas* Peloponneſi, *Aeſculapij templo celeberrima. Vnde etiam* Romani, *cùm graui peſtilentia laborarent, conſultoq́; oraculo iuberentur Aeſculapium* Romam *aduehere, triremem cum legatis ea de cauſa* Epidaurum *miſerunt.* Verùm *cùm* Epidaurij *deum opiferum à ſe inuiti dimitterent, ferunt illis cunctātibus, ingentem anguem ad* Romanorum *triremem adnauiſſe, ſeſeq́; in puppi in gyrum complicuiſſe: quem illi Aeſculapium arbitrati, magna cum ueneratione* Romam *aduexerūt.* Hoc *etiam nomine dicta fuit urbs* Dalmatiæ, *ad* Illyricum *mare ſita, de qua* Lucan. *lib.* 2.

Illyris *Ionias uergens* Epidaurus *in undas.*

Epiménides, (ἐπιμενίδης) *Poëta* Epicus *fuit, patria* Cretenſis, *teſte* Apuleio *lib.* 2. Floridor. *qui à patre* Agiaſarcho *in agrum ad cuſtodiendum pecus miſſus, in quodam antro obdormiuit annos* L X X V. *Vnde emanauit prouerbium,* Epimenidis *ſomnum dormire.*

Epimétheus, (ἐπιμηθεὺς) *Iapeti filius, & frater* Promethei, *qui cùm ingenio plurimum ualeret, hominis ſtatuam primus ex luto finxit.* Quamobrem *indignatus* Iupiter, *eum uertit in ſimiam, atq; in inſulas* Pithecuſas *relegauit.* Hic *pater fuit* Pyrrhæ *uxoris* Deucalionis, *quæ ab illo* Epimethis *dicitur.* Ouidius 1. Metam.

Inde Promethides *placidis* Epimethida *dictis*
Mulcet, &c.

Epîrus, (ἤπειρος) *regio eſt* Græciæ *finitima, ad* Ortum Acheloo *fluuio ab* Achaia *diſcreta: ad* Occaſum Acroceraunijs *montibus, quà mari* Adriatico *incumbunt: ad* Septentrionem Macedoniæ *parte terminata: ad* Meridiem Ionio *mari abluta.* Hæc *primùm* Moloßia *dicta eſt, & à*

Chaoni

Chaone Heleni fratre, Chaonia: nunc uerò Albania uocatur. Quondam urbibus populisq́; fuit frequentiſsima: ſed à Romanis ſubacta, cùm ſæpius deficeret, penè in ſolitudinem redacta eſt. Alit hæc regio equas præſtantiſsimas, quæ ab ea Epiroticæ appellantur. Verg. 1. Georg.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi:
At Chalybes nudi ferrum, uiroſaq́; Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros equarum.

Eraſînus, (ἐρασῖνος) *fluuius eſt ex Stymphalide Arcadiæ lacu profluens, qui deinde terra occultatus in agro Argiuo denuo erumpit, & in ſinum Argolicum illabitur. Ouidius lib. 15. Metamor.*

-Tecto modò gurgite lapſus
Redditur Argolicis ingens Eraſinus in agris.

Eſt & alius eiuſdem nominis, iuxta Buræ ruinas in ſinũ Corinthium illabens. Item alius in Eubœa inſula, iuxta Eretriam urbem. Rurſus alius in Attica, iuxta Babronem. Autor Strabo lib. 8.

Erato, (ἐρατώ) *una Muſarum, ab amore dicta, quòd præſit his, qui amoris face rapiuntur. Vergil. lib. 7.*

Nunc agè, qui reges Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus.

Erebus, (ἔρεβος) *inferorum deus, & pater Noctis ex Chao, & Caligine progenitus: ut refert Hyginus Fab. Poët. cap. 1, Cicero tamen de Natur. deor. Noctem Erebi uxorem facit. Id quicquid eſt, Poëtæ frequenter Erebum pro ipſa inferorum ſede collocant. Verg. 4. Aen.*

Pallentes umbras Erebi, noctemq́; profundam.

Ad eundem etiam modum Ouidius lib. 5. Metam. Proſerpinam Erebi reginam appellat.

Erêtum, (ἔρητον) *oppidulum eſt Sabinorum, non procul*

à Tib

à Tiberi, in colle ſitum, quem etiam ueteres Montem Ere*tum uocauerunt: hodie autem Italorum uulgus corrupto uocabulo* Montem *rotundum nominat*. Eius *meminit* Verg.*lib*.7. Aen.

Ereti *manus omnis, oliuiferæq;* Mutuſcæ.

Eribœa, (ἠερίβοια) *dicta eſt ab* Homero Iuno, *quaſi bucu-læ moleſtia, quod* Io *in bouem uerſam multis affecerit mo leſtijs*. Nam ἔρις *contentionem, litem, ſiue moleſtiam ſi-gnificat*, βȣ̃ς *bouem.* Eſt *etiam hoc nomine urbs* Macedo*niæ, teſte* Ptolemæo *lib*.3.*cap*.13.

Ericátes, (ἐρικάτης) *uiri cuiuſdã* Lycaonij *nomen, à* Meſ*ſapo* Aeneæ *comite interfecti: ut* Verg.*placet* 10. Aen.

Cædicus Alcathoum *obtruncat*, Sacrator Hydaſpem:
Meſſapus Cloniumq;, Lycaoniumq; Ericaten.

Erichthêus, (ἐριχθεὺς) Rex *fuit* Athenarum, *quem* Mi*nerua è rure, ubi natus erat, ſuſcepit, educauit, & Athe-nienſi populo pro rege tradidit*. Ab eo Athenæ Erich*theæ dictæ ſunt*. Vergil.*in* Ciri:

Qualis Erichtheis *olim portatur* Athenis, &c.

Erichthónius, (ἐριχθόνιος) *qui etiam* Erichtheus *di-ctus eſt*, Athenienſium *rex fuit, ex ſemine* Vulcani *in ter-ram proiecto editus*. Vnde & *nomen habet*, ἀπὸ τῆ ἔρι-δος, καὶ χθονός, *id eſt, ex certamine, atq; humo*. Nam *cùm* Vulcanus *dijs arma feciſſet, eiq;* Iupiter *optionem dediſſet præmij, quod uellet, poſtulandi, iuraſſetq; per infernam paludem ſe nihil negaturum; tum ille* Mineruæ *nuptias poſtulauit: quas cùm* Iupiter *iuramento aſtrictus, ei ne-gare non poſſet*, Mineruam *tamen monuit, ut repugna-ret, pudicitiamq; defenderet. Tum in illa colluctatione* Vulcanum *in terram profudiſſe aiunt ſemen, atque inde editum eſſe puerum draconum pedibus, nomine* Erich*thonium:*

thonium: qui cùm adoleuiſſet, ut pedum deformitatem te geret, primus currus uſum adinuenit. Hanc *fabulam re-fert* Seruius *in illud* Vergilij *lib. 3.* Georg.

Primus Erichthonius *currus, & quattuor auſus*
Iungere equos, rapidisq; rotis inſiſtere uictor.

Erichtho, (ἐριχθὼ) *mulieris* Theſſalæ *nomen eſt, apud* Lucanum *lib. 6. multitudine ueneficiorum famoſæ.* Quo *nomine etiam uſus eſt* Ouid. *in* Epiſt. Sapphûs, *pro* Furiæ *cuiuſdam infernalis nomine.* Sappho *inquit,*

Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine iacente, feror.

Eridanus, (ἠριδανὸς) Italiæ *fluuius, in* Veſulo *monte na ſcens, & per agrum* Gallicum *in mare* Adriaticum *influ-ens.* Hodie *notiore nomine* Padus *appellatur.* Eridanum *autem dictum uolunt ab* Eridano Apollinis *&* Clymenes *filio, qui à luce illius incēdij, quo bonam terrarum partem exuſsit,* Phaëthon *cognominatus eſt.* Hunc *poëtæ fabulan tur, cùm paternum currum regendum ſuſcepiſſet, auri-gandiq; imperitia orbem terrarum in diſcrimen adduce-ret, à* Ioue *fulmine ictum, in* Padum *fluuium decidiſſe, eiq;* Eridano *nomen feciſſe.* Vergilius, *quòd* Italicorum *omniū maximus ſit,* Regem *fluuiorum appellat.* Eſt *item* Erida-*nus, cœleſte ſignum* Arieti *proximum.* Cic. *ex* Arato:

Nanque *etiam* Eridanum *cernes in parte locatum*
Cœli.

Erigone, (ἠριγόνη) Icarij *filia fuit, teſte* Hygino, *quæ ex dolore paternæ necis, quem ruſtici temulenti occiderant, ſeipſam ſuſpendit,* Deorumq; *miſeratione in cœlum tranſ lata,* Virginis *nomen obtinuit.* Verg. 2. Georg.

Quà *locus* Erigonen *inter,* Chelasq; *ſequētes* Pāditur.

Inde Erigoneius (ἠριγονεῖος) *adiectiuum: ut,* Canis E-rigon

rigoneius, apud Ouidium lib. 5. Faſtorum,

Nocte ſequente diem Canis Erigoneius exit.

Erinnys, yos, (ἐριννὺς) una Furiarum infernalium, ita dicta ἀπὸ τ̃ ἐῤῥειν τὸν νȣ̃ν, hoc eſt, à corrumpenda mente. Verg. 2. Aeneid.

-Quò triſtis Erinnys,

Quò fremitus uocat.

Eriphyle, (ἐριφύλη) uxor fuit Amphiarai, & ſoror Adraſti, quæ accepto à Polynice aureo monili, maritum latentem, ne ad bellum Thebanum, ubi ſe moriturum ſciebat, proficiſci cogeretur, Adraſto prodidit. Quam uxoris perfidiam ægrè ferens Amphiaraus, filio Alcmæoni in mandatis reliquit, ut accepto primo mortis ſuæ nuntio, matrem interficeret: quod & ille in patris ultionem adimpleuit. Verg. 6. Aeneid.

His Phædram, Procrinq; locis, mœſtamq; Eriphylen.

Iuuenal. Sat. 6.

Occurrent multæ tibi Belides, atq; Eriphylæ.

Eriſichthon, (ἐρισίχθων) uir Theſſalus fuit, Cereris cõtemptor, cuius etiam lucum excindere auſus eſt. Verùm cùm annoſam quercum incidiſſet, unáq; cum illa Nympham Hamadryadem, cui arbor illa ſacra erat, interfeciſſet, tanta ſubitò fame correptus eſt, ut ſua ipſius membra abſumeret. Refertur latius hæc fabula ab Ouidio libro octauo Metamor.

Erò, (ἡρὼ) puella formoſiſſima fuit, ex Seſto Thraciæ urbe, ad Helleſpontum ſita, & Veneris ſacerdos, cuius mutuo amore correptus Leander Abydenus adoleſcens, noctu eius cauſa Helleſpontum ſolebat traijcere. Verùm cùm aliquando nimio amatæ deſiderio, mari tempeſtatibus agitato, ſe commiſiſſet, uiribus deſtitutus, ſubmerſus eſt.

Cuius

Cuius cadauer cùm fluctuum impulſu Seſtum eſſet delatum, Ero *doloris impatientia, ex editiſsima ſeſe ſpecula in mare præcipitauit.* Vide *Muſæum, qui horum amores elegantiſsimo carmine exequitur.*

Erycina,æ,(ἐρυκίνη) *Veneris cognomentum eſt, ab* Eryce *Siciliæ monte,in quo religioſiſsimè colebatur.* Ouid.2. *Amorum:*

Quid geminas Erycina *meos ſine fine dolores?*

Erymanthus,(ἐρύμανθος) *mons* Arcadiæ,*in quo aprū agrorum uaſtatorem* Hercules *domuit,uiuumq́; in humeris ad* Euryſtheum *detulit:quo conſpecto,* Euryſtheus *in æreo ſe uaſe abſcondit.* Verg.*lib.*8.Aeneid.

Fixerit æripedem ceruam licet aut Erymanthi
Placarit nemora,& Lernam tremefecerit arcu.

Hinc Erymanthëus,*a,um:ut,*Monſtrum *Erymantheum.* Val.1.Argon.

Quiq́; Erymanthei ſudantem pondere monſtri
Amphitryoniaden,&c.

Item Erymanthis,*idis,poſſeſsiuum fœmininū.* Ouidius 2. *Metamorph.*

-Cuſtos Erymanthidos *Vrſæ*
Arctophylax.

Erythræ,(ἐρυθραί) *ciuitas* Aſiæ, *non longè à* Chio, *ex qua Sibylla fuit,quam à patria* Erythræam *nominauerūt: antiqua ſanè mulier,& diuinatrix, tempore* Alexandri.

Erythræum mare,(ἐρυθρὰ θάλασσα) *pars* Oceani,Arabiam *à* Meridie *alluens,ad* Occidentem *Arabico, ad* Ortum *Perſico ſinu terminata.* Ratio *nominis uariè traditur à ſcriptoribus.* Proximè *tamen ad ueritatem uidentur acceßiſſe,qui ab* Erythra *rege,* Perſei *&* Andromedes *filio dictum putant:cui etiam opinioni ſubſcribit*

Arrianus Geſtorum Alexandri lib.8. Reliquas opiniones hîc breuitatis cauſa omiſimus, quas lector poterit uidere apud Strabonem lib.16. A' Latinis autem per errorem uidetur appellatum Mare rubrum. Nam cùm audirent à Græcis Erythræum uocari, exiſtimantes à rubedine aquarum ita dictum, ipſi quoq; Mare rubrum dixerũt.

Eryx, (ἔρυξ) Butæ & Veneris filius, qui cùm uiribus plurimum polleret, hoſpites ad cæſtuũ certamen ſolebat prouocare: qua ratione cùm non paucos trucidaſſet, ab Hercule ex Hiſpania redeunte ſuperatus occubuit: atq; in monte, in quo Veneri matri templum condiderat, ſepultus eſt: unde mons ipſe Eryx, & Venus Erycina appellatur. Ouid. 2. de Arte:

> Sed Dea non patitur ſic ad ſua munera cogi,
> Colle ſub umbroſo quam tenet altus Eryx.

Etearchus, chi, (ἐτέαρχος) Oaxi ciuitatis Creticæ rex fuit, qui amiſſa uxore, filiæ ſuæ Phronimæ nouercam ſuperinduxit, quæ domum ingreſſa, ut erat, ita re ipſa ſe nouercam præſtitit, cùm lædendo, atque omne iniuriarum genus excogitando, tum ad extremum impudicitiam impingendo. Etearchus criminationibus uxoris fidem habens, Themiſonem quendam Theræum iureiurãdo aſtrinxit, ut acceptam Phronimam in mari demergeret. Qui cũ neque Etearchi crudelitatis miniſtrum ſe præbere uellet, neque rurſum iuſiurandum uiolare, reuinctã funibus puellam dimiſit in pelagus, eáq; ſubitò retracta, Theram peruenit: ubi Polymneſtus uir inter Thereos ſpectatus, in cõcubinatum Phronimen accepit: qui ex ea Battum genuit, Cyrenarum in Africa conditorem. Autor Herodotus lib. quarto.

Etéocles, (ἐτεοκλῆς) Oedipi filius, ex nefando Iocaſtæ ma-

tris

tris cõcubitu editus, cui cum fratre Polynice *ita conuenerat, ut alternis annis regnarent.* Exacto *deinde primo anno, cùm* Eteocles, *qui, quòd maior natu eſſet, primo anno regnarat, renueret fratri regno cedere,* Polynices *adiutus à* Tydeo, *&* Adraſto *ſocero, fratri bellum intulit, in quo ambo mutuis uulneribus ceciderunt.* Impoſitis *deinde cadaueribus eidem rogo, flamma ſe diuiſiſſe traditur, tanquam odium illud, quod inter uiuos fuerat, ne morte quidem finiri potuerit.* Vide *hæc latius apud* Statium *in* Thebaïde.

Etéſiæ, (ἐτησίαι) *uenti ſunt quotannis ſtatis temporibus flantes, biduo incipientes poſt* Caniculæ *exortũ, flatumq; ad dies ferè quadraginta continuantes: ut eſt autor* Plinius *libro 2. ca. 15.* Hinc Eteſiæ *dicti ſunt, quaſi annui, quòd ex uentis omnibus hi maximè ſtati ſint, & quotannis eodem tempore recurrant.*

Euádne, (εὐάδνη) *Martis filia ex* Thebe *uxore* Aſopi, *& cõiunx* Capanei, *quæ illum incredibili amore dilexit.* Itaq; *cùm audiſſet illum apud* Thebas *fulmine perijſſe, ferè in mortis ſtuporem diriguit: deinde cùm celebraretur funus, ſe in rogum proiecit.* Eius *meminit* Vergil. 6. Aeneid.

Euadnenq;, & Paſiphaën, *&c.*

Euæmon, (εὐαίμων) *pater fuit* Eurypyli, *qui cum* Græcis *ad* Troiã *profectus cum quadraginta nauibus, præfuit* Ormenijs. Autor Homerus *in* Catal. *nauium.*

Euan, (εὔαν) *unum eſt ex* Bacchi *cognominibus, ab euantium mulierum clamore impoſitum.* Ouid. 4. Metam.

Nyctelius*q;*, Eleleus*q; parens, &* Iacchus, *&* Euan.

Euander, (εὔανδρος) Carmentis *filius, qui cùm patrem imprudens occidiſſet, relicta* Arcadia, *in* Latium *ſeſe contulit, atq; pulſis* Aboriginibus, *in* Palatino *monte cõ*

ſedit, ubi oppidum Pallanteum fundauit, à nomine Pallatis proaui ſui. Vergilius 8. Aeneidos:

Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui ſigna ſequuti,
Delegere locum, & poſuere in montibus urbem,
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

Legitur & nominatiuus Euandrus. Idem 8. Aeneidos:

Tum pater Euandrus dextram complexus euntis
Hæret, &c.

Hinc Euandrius, a, um. Idem 10. Aen.

At tibi Tymbre caput Euandrius abſtulit enſis.

Eubœa, (εὐβοία) inſula eſt maris Aegæi, inter Sunium Atticæ promontorium & Theſſaliam in longitudinem extenſa, & à Bœotia Euripo admodũ anguſto dirempta: ita dicta ab Eubœa heroïcæ indolis matrona, cum antea Abantis, & Macris diceretur. Hodie Nigropontum nominant. Hinc Euboïcus, ca, cum. Vergil. 9. Aen.

Qualis in Euboïco Baiarum littore quondam
Saxea pila cadit.

Vbi Euboicum littus uocat, quod Cumis adiacet Eubœorum coloniæ.

Eudôra, (εὐδώρα) Nympha marina, Oceani & Tethyos filia, ut placet Heſiodo in Theogonia. Item una ex Atlantidibus, quæ ſeptem numero eſſe perhibentur, Ambroſia, Eudora, Paſithoë, Coronis, Plexora, Pitho, Tyche.

Eudôrus, (εὔδωρος) Mercurij filius fuit ex Polymela Phylantis filia, qui Achillem ad bellum Troianum ſequutus eſt: ut eſt uidere apud Homerum 8. Iliad.

Euênus, (εὔηνος) fluuius eſt Aetoliæ, in Callidromo monte naſcens, & iuxta Calydonem in mare Ionium influens: ita dictus ab Eueno Martis filio, & Marpeſſæ patre, qui

ſe in hunc

ſe in hunc fluuium præcipitauit. Ouid.lib.9.Metam.

Nanq; noua repetens patrios cum coniuge muros,
Venerat Eueni rapidas Ioue natus ad undas.

Lucanus,

Et Meleagream maculatus ſanguine Neſsi
Euenus Calydona ſecat, &c.

Eugánei, (εὐγάνεοι) populi fuerunt ad intimum maris Adriatici ſinum, Alpes uerſus, qui deinde à Troianis & Henetis, qui Antenore duce in eam Italiæ partem uenerunt, ſedibus ſuis pulſi, Alpes Graias tenuerunt: ut eſt autor Liuius lib.1.ab Vrbe. Dicti autem ſunt Euganei, ἀπὸ τῆς εὐγενείας, hoc eſt, à generis nobilitate, teſte Plin.libro 3.cap.20. Hinc Euganeus,a,um. Iuuen.

Euganea quantumuis mollior agna. Lucanus:

Euganeo (ſi uera fides memorantibus) Augur
Colle ſedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atq; Antenori diſpergitur unda Timaui.

Eúhyus, ſiue Euius, (εὔιος) unum ex Bacchi cognominibus, à Ioue illi inditum eo in bello, quod Gigantes cum dijs geſſerunt. Fabulantur enim Poëtæ, cæteris dijs perterritis, Liberum patrem ſe in leonem conuertiſſe, unumq; ex Gigantibus interfeciſſe: & ob rem tam ſtrenuè geſtam. Euyon, hoc eſt, bonum filium à Ioue fuiſſe ſalutatum. Stat.libro 2.

Et tunc fortè dies noto ſignata Tonantis
Fulmine prærepti cùm te tener Euhye partus
Tranſmiſere patri.

Inde fit fœmininũ Euhyas, quod Bacchi ſacerdotem ſignificat. Horatius 3.libro Carminum:

Non ſecus in iugis
E' ſomnis ſtupet Euhyas,

Hebrum proſpiciens, & niue candidam
Thracen.

Eumæus, (ἔυμαιος) *ſubulcus fuit* Vlyßis, *qui dominum poſt longos errores domum redeuntem, quãuis incognitũ hoſpitio excepit, & in urbem deduxit, eidemq; in ulciſcẽdis uxoris procis fidelem operam nauauit: ut eſt uidere apud* Homerum *lib.* 22. Odyß.

Euménides, (εὐμενίδες) *furiæ infernales, κατ᾽ εὐφημισμὸν, cũ minimè εὐμενεῖς, hoc eſt, beneuolæ ſint.* Has *autem tres ferunt fuiſſe,* Acherontis & Noctis *filias, uno partu editas: et apud inferos* Canes Stygias *uocari: unde* Lucan.

–Iam uos ego nomine uero
Eliciam, Stygiasq; canes in luce ſuperna
Deſtituam.

Apud mortales autem Furias, *ab effectu.* Cice. 2. *de* Legib. *Agitant & inſectantur impios* Furiæ *nõ ardẽtibus tedis, ſicut eſt in fabulis, ſed angore cõſcientiæ, & fraudis cruciatu. Apud ſuperos uerò* Diras. Vergil. *libro* 12. Aen.

At procul ut Diræ *ſtridorem agnouit, & alas,*
Infelix crines ſcindit Iuturna *ſolutos.*

Eunêus, (εὔνηος) Iaſonis *filius ex* Hypſipyle, *filia* Thoantis *regis* Lemni: *teſte* Homero *libro* 7. Iliad.

Euphorbus, (εὔφορβος) *nobilis fuit* Troianus, Iliaco *in bello à* Menelao *occiſus.* Ouid. *lib.* 15. Metamor.

Ipſe ego (nam memini) Troiani *tempore belli*
Panthoides Euphorbus *eram, cui pectore quondam*
Hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ.

Sunt uerba Pythagoræ, *qui ſuo exemplo nititur probare, animas à corporibus ſeparatas, in alia atq; alia corpora commigrare, quòd tempore belli* Troiani *ipſe fuiſſet* Euphorbus *à* Menelao *interfectus, ſuumq; clypeũ*

agnouiſſet à Menelao in templo Dianæ ſuſpenſum.

Euphránor, (εὐφράνωρ) *nomen ſtatuarij laudatiſsimi Iſthmij, qui de ſymmetria & coloribus aliquot uolumina conſcripſit. Floruit centeſima quarta Olympiade: plurimaq́; ſigna nobiliſsima ex ære cõfecit, quæ enumerantur à Plinio lib. 34. cap. 8. Idem & pictor, & marmorarius fuit, in unoquoque genere excellens, ſibiq́; æqualis, teſte eodem Plinio libro 35. capite 11. Huius meminit Iuuenal. Satyr. 3.*

Hic aliquid præclarũ Euphranoris & Polycleti, &c.

Euphrátes, is, (εὐφράτης) *fluuius Meſopotamiæ, quem Strabo ſcribit ex Niphate monte Armeniæ, magnũ, profundũ, & celerẽ naſci: influere autẽ in mare rubrũ, prius tamẽ Babyloniã per mediũ diuidere, & Tigri cõiunctum Meſopotamiam facere. Dictus autem putatur Euphrates (quod & Ambroſius annotauit) ἀπὸ τοῦ εὐφραίνειν, hoc eſt, à lætificando: propterea quòd circumiacẽtẽ agrũ reſtagnationibus ſuis adeò lætũ fœcũdumq́; reddat, ut ſequẽte anno ſponte reſtibilis fiat ſeges. De hoc Vergil. libro octauo:*

—Euphrates ibat iam mollior undis.

Euphróſyne, (εὐφροσύνη) *una Gratiarum, ſoror Aglaiæ, & Thaliæ, ab animi hilaritate (id enim Græcis ſonat εὐφροσύνη) ita appellata.*

Eurípides, (εὐριπίδης) *inſignis Poëta Tragicus fuit natus eo die, quo numeroſus ille Xerxis exercitus ab Athenienſibus fuſus eſt. Floruit tempore Archelai Macedonũ regis, à quo etiam ſummo in honore eſt habitus. Scripſit fabulas LXXV. ex quibus quinq́; tantùm uictoriam meruerunt. Caſtitate autem uitæ tanta fuit, ut uulgò μισογύνης, hoc eſt, mulierum oſor fuerit cognominatus. Perijt noctu*

ab Archelai *canibus,ut fertur, diſcerptus.* Oſſa *eius regis iuſſu* Pellam *ſunt translata,repulſis* Athenienſium *preci= bus,qui ſæpe per legatos tentauerãt,ut ciuis ſui reliquias ſibi in patriam referre liceret.*

Eurîpus, (εὔριπ☉) *fretum eſt anguſtum inter* Aulidem Bœotiæ *portum,&* Eubœam *inſulam,quod unius diei & noctis ſpatio ſepties recurrit eo impetu, ut nauigia repu= gnantibus uentis ſecum rapiat.* Autor Pomponius Mela *libro ſecundo.*

Eurôpa, (εὐρῶπα) *filia fuit* Agenoris *regis* Phœnicum, *quam* Iupiter *in bouis ſpeciem transformatus rapuit, & per mare in* Cretam *tranſuexit : ut latius deſcribit* Ouid. *lib.2.* Metamorphoſ. *Ab hac tertia orbis terrarum pars nomen accepiſſe creditur,ab* Aſia Tanaide *fluuio,ab* Afri ca *mari mediterraneo diſcreta.* Vergil.1.Aen.

Ipſe ignotus,egens,Libyæ deſerta peragro,
Europa,atq; Aſia pulſus.

Eſt item Europa,Nymphæ *marinæ nomen,*Oceani & Te thyos *filiæ,apud* Heſiodum *in* Theogonia.

Eurótas, (εὐρώτας) *fluuius* Laconiæ,Spartam *præterla bens,teſte* Liuio Bel.Macedon.*libr.4. ripasq; habens fre= quentibus lauris conſitas.*De *hoc* Verg.*in Sileno:*

Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audijt Eurotas,iuſſitq; ediſcere lauros.

Eurus,(εὖρ☉) *uẽtus ſpirans ab* Ortu *brumali,quẽ* Latini Vulturnũ *appellant,teſte* Plin. *li.2.cap.47.*Ouid.1.Met.

Eurus ad Auroram,Nabathæaq; regna receſſit,
Perſidaq;,& radijs iuga ſubdita matutinis.

Euryale,(εὐρυάλη) *regis* Minois *filia, quæ* Neptuno Orionem *peperit.* Alia *fuit* Prœti Argiuorum *regis fi= lia.* Tertia *ex* Gorgonibus *una, quæ tres fuerunt in extre*

ma Africa, circa Atlantem montem: quæ omnes unum oculum habebant, quo inuicem utentes, quoſcunq; aſpiciebant, conuertebant in ſaxa. Harum nomina fuerunt Meduſa, Sthenyo, & Euryale. Seruius eximia pariq; pulchritudine uirgines fuiſſe tradit, quarũ ſolo aſpectu adoleſcẽtes obſtupeſcebãt: quã rẽ fabulæ occaſionẽ ſubminiſtraſſe exiſtimat, ut dicerentur, quoſcunq; aſpexiſſent, in ſaxa tranſmutare. Hæc ille, enarrans illud Verg. lib. Aeneid. 6.

Gorgones, Harpyiæq;, & forma tricorporis umbræ.

Euryalus, (εὐρύαλος) *nomẽ unius ex principibus Peloponneſiacis, qui Argos & propinquas urbes incolebant, & ad Troiam cum octoginta nauibus uenerunt: ut tradit Homerus in Catal. Fuit etiam hoc nomine Troianus quidam, arctiſſimo amicitiæ uinculo cum Niſo coniunctus: qui noctu Rutulorũ caſtra unà ingreſſi, magnã hoſtium ſtragem ediderunt. Verùm cùm inſtante iam die ſeſe recipere conarentur, in hoſtium equitatum inciderunt: à quo circunuentum Euryalum cùm Niſus eripere non poſſet, certiſſimæ ſeſe morti maluit obijcere, quàm amicum deſerere. Sed hæc copioſius deſcribit Vergil. lib. 9. Aen.*

Eurybates, (εὐρυβάτης) *præco fuit Ithacenſis, ex Vlyſſis comitatu, ab Agamemnone miſſus, ut ab Achille auferret Briſeidem. Ouid. Epiſt. 6.*

Nam ſimul Eurybates me Talthybiusq; uocarunt,
Eurybati data ſum Talthybioq; comes.

Eurycléa, (εὐρύκλεια) *Opos Piſenoridæ filia pulcherrima, quam Laërtes in prima exiſtens pubertate uiginti boũ pretio emit, nec minore, quàm uxorem, honore domi habuit, Vlyſſemq; nutriendum dedit: quem & prima in patriam redeuntem agnouit: ut latius eſt uidere apud Homerum Odyſſ. lib. 19.*

Eurydice, ces, (εὐρυδίκη) *uxor fuit Orphei uatis, cuius amore captus Ariſtæus, cùm uim illi inferre pararet, illa per auia fugiens, incidit in colubrum in herba deliteſcentem, cuius morſu interijt. Orpheus autem uxoris mortem ægerrimè ferens, accepta cithara inferos adijt, ubi Plutonem Proſerpinamq; tam ſuaui carmine demulſit, ut ei uxorem ab inferis reducendam permitterent, ea tamen conditione, ne prius eam, quàm ad ſuperos rediſſet, intueretur. Quam legem cùm ille amoris impatientia eſſet præuaricatus, Eurydice denuo ad inferos eſt retracta. Verg. 4. Georg.*

Reſtitit, Eurydicenq; ſuam iam luce ſub ipſa
Immemor heu, uictusq; animi reſpexit, &c.

Alia fuit Eurydice, Neſtoris uxor, ex qua ille ſeptē filios, & filiam unam ſuſcepit. Autor Homer. Odyſſ. lib. 3.

Eurylochus, (εὐρύλοχος) *unus fuit ſociorum Vlyſſis, qui ſolus Circes pocula non guſtauit, neq; in ſuis figuram eſt tranſmutatus. Ouid. 14. Metamorphoſ.*

—Suis ſolum caruiſſe figura
Vidimus Eurylochum: ſolus data pocula fugit.

Eurymedon, (εὐρυμέδων) *pater fuit Peribœæ, ex qua Neptunus Nauſithoum ſuſcepit, regem Phœacum, & Alcinoi patrem: ut eſt autor Homerus Odyſſ. lib. 7.*

Eurynome, (εὐρυνόμη) *Nympha, Oceani & Tethyos filia, mater Leucothoës, quam Apollo aſſumpta matris illius effigie compreſſit. Alia fuit Apollinis filia, quæ Adraſtum Argiuorum regem, & Eryphilen Amphiarai cōiugem peperit.*

Eurypylus, (εὐρύπυλος) *Herculis filius, qui regnauit in Coo inſula, & cūctorum Græcorum augur peritiſſimus eſt habitus. Verg. 2. Aen.*

Suſpenſi

Suſpenſi Eurypylum *ſcitatum oracula* Phœbi
Mittimus.

Euryſtheus,(εὐρυσθεὺς) *Stheneli filius fuit, & Mycenarum rex, qui* Iunonis *odio obſequẽs,* Herculem *ad difficilima quæq; pericula obeunda adegit, ſperans futurum, ut ponderis magnitudine opprimeretur. Qua in re miserum in modum opinione falſus eſt. Nam ille rebus ex ſententia confectis ſemper uictor rediјt, clariorq́; ex periculis & maior emerſit.* Verg. 1. Georg.

– *Quis aut* Euryſthea *durum,*
Aut illaudati neſcit Buſiridis *aras?*

Eurytion, (εὐρυτίων) *faber inſignis fuit, qui* Pallanti Euandri *filio arma fabricauit.* Verg. 10. Aen.

Quæ bonus Eurytion *multo cælauerat auro.*

Eurytus, (εὔρυτος) Oëchaliæ *rex, & pater* Ioles, *qui cùm ab* Hercule *uictus, pactam ei certaminis lege filiam tradere recuſaret, iratus* Hercules Eurytum *occîdit, urbeq́; direpta,* Iolen *abduxit.* Hinc Eurytis, *idis, patronymicum fœmininum: quo* Poëtæ *utuntur pro* Iole Euryti *filia.* Ouid. 9. Metamor.

Eurytidos *lacrymas admoto pollice ſiccat*
Alcmene.

Eutérpe, (εὐτέρπη) *una ex Muſis, tibiarum inuentrix: ita dicta, quòd cantus ſuauitate auditores egregiè delectet.* Verg. *de Muſarum inuentis:*

Dulciloquis *calamos* Euterpe *flatibus implet.*

Euxînus pontus, (εὔξεινος πόντος) *ſinus maris latiſsimus,* Thracio & Cimmerio *Boſphoris interceptus.* Axenus *dictus, hoc eſt, inhoſpitalis, propter immanitatẽ eorum, qui eius maris littora incolebant. Illi enim & hoſpites immolare ſolebant, ut autor eſt* Strabo *libro 7. & carni*

& carnibus pereſis, ex caluis eorũ ſibi pocula conficere. Poſtea uerò, cùm in locis maritimis Iones aliquot oppida condidiſſent, cohibito Scytharum aſſueto latrocinio, receptoq́; Græcorum hominum commercio, pro Axeno Euxinus, hoc eſt, hoſpitalis appellatus eſt. Ouid. de Ponto:

Frigida me cohibent Euxini littora Ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Exquíliæ, arum, mons Romæ, dictus ab excubijs regis Tulli Hoſtilij, qui hunc collem urbi adiecit (ut autor eſt Liuius lib. 1. ab Vrb.) & in eum, ut frequentius habitaretur, domicilium ſuum tranſtulit. Ouid. lib. 1. Faſtor.

Adde, quòd excubias ubi rex Romanus agebat,
Qui nunc Exquilias, nomina collis habet.

Sunt qui ab excolendo, Exquilias dictas uolunt, quòd ea pars urbis, cùm antea neglecta iacuiſſet, à Tullo rege fuerit exculta.

F

FAbaris, fluuius eſt Sabinorũ, alio nomine Farfarus appellatus. Verg. 7. Aeneid.

Qui Tiberim, Fabarimq́; bibunt.

Fabij, Romani fuerunt nobiliſsimi, ſimul ac potentiſsimi, qui bellum aduerſus Veientes ſoli cum ſuis clientibus & ſeruis in ſe receperunt: cumq́; ex leuibus aliquot prælijs ſæpius uictoriam reportaſſent, tandem ad Cremeram fluuium inſidijs circumuẽti, ad unum omnes cæſi ſunt. Ouid. lib. 2. Faſt.

Vna dies Fabios ad bellum miſerat omnes:
Ad bellum miſſos abſtulit una dies.

Ex tanta Fabiorum clade unus tantùm ſuperfuit, qui nõdum armis per ætatem idoneus, in urbe relictus erat: ex cũius ſanguine per longam nepotum ſeriem natus fuit

Fabius

Fabius ille Maximus, qui Dictator aduerſus Annibalem creatus, cunctabunda quadam prudentia rem Romanam aliorum Imperatorum temeritate labefactatam, primus reſtituit: adeò ut ueriſsimè de eo Ennius dixiſſe uideatur,

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Fabricius, cij, (φαβρίκιος) Romanorum omnium frugaliſsimus fuit, qui in tenuiſsimo cenſu Samnitum munera forti animo ſpreuit. Hic norma paupertatis & exemplar fuit apud Romanos. Patellam & ſalinum ex argēto tantùm colendorum Deorum cauſa domi habuit, ita tamen ut patella corneo pediculo ſuſtineretur. Huius filiæ ob paupertatem de publico dotatæ, ad maritos ierunt, portantes gloriam domeſticam, pecuniam publicam. Hic aduerſus Pyrrhum Epirotarum regem, & Samnites grauiſsima bella geſsit: aduerſus quos, ut bello inuictum, ita muneribus ſe præſtitit incorruptum. Quinetiam regis medicum, nomine Timocharem, domini ſui mortem per uenenum pollicentem, uinctum ad regem remiſit. De hoc Verg. lib. 6.

-Paruoq; potentem
Fabricium.

Falernum, uini præſtantiſsimi genus, inter Italica proximam Pucino nobilitatem obtinens. Naſcebatur in eo Campaniæ tractu, qui à ponte Cāpano ſe offerebat urbanam coloniam Syllanam petentibus: quem agrum Falernum nominabant. Hodie hoc uini genus aut ignotum eſt, aut minus celebre: nec mirum, cùm etiam Plinij ſeculo (ut ipſe teſtatur) exoleſceret culpa agricolarum copiæ magis ſtudentium, quàm bonitati. De hoc Martial. lib. 5.

Quid te Tucca iuuat miſero miſcere Falerno
In Vaticanis condita muſta cadis?

Faliſci,(Φαλίσκοι) *populi fuerunt* Hetruriæ, *uberrima incolentes paſcua:unde gramen* Faliſcum *à ſcriptoribus paßim celebratur.*Hi *cùm à* Camillo *obſiderentur, magiſter ludi cum nobilioribus diſcipulis deambulandi prætextu urbe egreſſus,ad hoſtem eos deduxit.Quam in præceptore perfidiam deteſtatus* Camillus, *hominem nudari iußit,& à pueris cæſum in urbem remitti. Qua ex re id conſequutus eſt* Camillus,*ut quos armis ſubigere non potuerat,iuſtitiæ exiſtimatione ad deditionem compulerit.* Verg.*lib.6.*Aeneid.

Hi Feſcenninas *acies,æquosq́;* Faliſcos,
Hi Soractis *habent acies.*

Apud Faliſcos *farciminis præſtantißimi genus fiebat,* Lucanicis *non dißimile,quod uentrem* Faliſcum *appellabãt.* Martial.*lib.1.*

Et Lucanica *uentre cum* Faliſco.

Fárfarus, *fluuius eſt* Sabinorum,*alio nomine* Fabaris *appellatus.*Ouid.*5.*Faſt.

-Et *amœnæ* Farfarus *undæ.*

Faſcêlis, Dianæ *cognomentum,quæ apud* Ariciam *colebatur, à faſce lignorum impoſitum, in quo* Oreſtes *&* Iphigenia *ſimulacrum eius abſconderunt,cùm ex* Taurica *regione in* Italiam *illud afferrent.*

Fauna, Deæ *cuiuſdam nomen erat,cui à* Romanis *matronis in operto ſacra fiebant nocturno tempore: uiri autem tanta cura ab eius ſacris arcebantur, ut uel in ædem eius inſpexiſſe, capitale haberetur.* Rationem *huius affert* Macrobius *lib.1.Saturnal.cap.12.*Faunam *dum inter homines ageret,* Fauni *uxorem fuiſſe, tanta pudicitia, ut perpetuò gynæcio, hoc eſt, mulierum conclaui incluſa, nullum unquàm uirum,præter maritum, aſpexerit.* Varro eam

ro eandem eſſe exiſtimat, quæ & Telluris & Terræ nomine à Romanis colebatur. Eadem & Fatua dicebatur: quod nomen à fando deductum uolunt, quòd infantes non prius uocem edunt, quàm terram attigerint: eadẽ & Bona Dea uocata eſt, quòd omnia, quæ ad uictum pertinent, bona ſuppeditet.

Faunus, (φαῦνος) antiquiſſimus Aboriginum rex, filius Pici, & pater Latini: à quo ruſtica ea numina genita putantur, quos Faunos, ſeu Syluanos Poëtæ appellant, cornutis capitibus, & caprinis pedibus inſignes. Ouidius 1. Metamorph.

Sunt mihi ſemidei, ſunt ruſtica numina Nymphæ,
Et Fauni, Satyriq́; , & monticolæ Syluani.

Fauónius, (ζέφυρος) uentus ab occaſu æquinoctiali ſpirans, contra Subſolanum, teſte Plinio libro 2. capite 47. à fouendo dictus, quòd cuncta foueat. Eſt enim genitalis ſpiritus mundi, quo plantæ hyberno frigore enectæ, reuiuiſcunt. Vnde etiam à Græcis Zephyrus dicitur, quaſi ζωὴν φέρων, hoc eſt, uitam afferens.

Faúſtulus, paſtoris eius nomen eſt, qui Romulum & Remum ad Tiberim expoſitos inuenit, Laurentiæq́; uxori ſuæ educandos tradidit. Vide Liuium libro primo, ab Vrbe.

Fébruus, (ᾅδης) inferorum deus, quem & Plutonem & Ditem appellamus: unde & Februarius menſis dictus eſt, quòd tunc potiſſimùm à Romanis Deo huic ſacra fierent. Vide Macrob. lib. 1. Satur.

Ferétrius, (φερέτριος) dictus eſt Iupiter, non à pace ferenda, (ut quibuſdam uiſum eſt) ſed à ferendis ſpolijs. Nam Romulus deuictis Ceninenſibus, hoſtium ſpolia ferculo ad id facto, in Capitolium detulit, ibiq́; ex quercu ſu

ſpenſa

ſpenſa, Ioui conſecrauit, eodemq; in loco Ioui Feretrio templum condidit, autorq; fuit poſteris, ut eò capta ex hoſtibus ſpolia deferrent. Liuius lib. 1. ab urbe: Inde exercitu uictore reducto, ipſe cùm factis uir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor, ſpolia ducis hoſtium cæſi ſuſpenſa, fabricato ad id aptè ferculo gerens, in Capitolium aſcendit: ibiq; ea cùm ad quercum paſtoribus ſacram depoſuiſſet, ſimul cum dono deſignauit Iouis templo fines, cognomēq; addidit Deo: Iupiter Feretri, inquit, hæc tibi uictor Romulus rex regia arma fero, templumq; ijs regionibus, quas modò animo metatus ſum, dedico, ſedem opimis ſpolijs, quæ regibus ducibusq; hoſtium cæſis, me autorem ſequentes poſteri ferent. Hæc templi eſt origo, quod primum omnium Romæ ſacratum eſt. Ita deinde dijs uiſum, nec irritam conditoris uocem eſſe, qua laturos eò ſpolia poſteros nuncupauit: nec multitudine compotum eius doni uulgarem laudem. Bina poſtea inter tot annos, tot bella, opima parta ſunt ſpolia: adeò rara eius fortuna decoris fuit. Propertius lib. 4.

Nunc Iouis incipiam cauſas aperire Feretri.

Ferália, orum, (νεκύσια, ἐναγίσματα) feriæ erant apud Romanos, Dijs Manibus ſacratæ, ita dictæ à ferendis ad tumulum epulis. Ouidius 2. Faſtor.

Hanc quia iuſta ferunt, dixere Feralia lucem,
Vltima placandis Manibus illa fuit.

Ferónia, (φερωνία) nemorum Dea, à ferendis arboribus dicta. Hæc lucum habuiſſe fertur ſub monte Soracte, qui cùm fortuito aliquando arſiſſet incendio, & ob id transferre inde ſimulacrum accolæ uellent, ſubitò aiunt nemus reuiruiſſe. Verg. 7. Aen.

-Et uiridi gaudens Feronia luco.

Feſcénnia, *oppidum fuit* Hetruriæ, *teſte* Plinio *libr.3. cap.5.* Verg.*7.* Aen.

Hi Feſcenninas *acies, æquosq́;* Faliſcos,
Hi Soractis *habent arces.*

In hoc oppido carminis quoddam genus omni obſcœnitate opprobrioq́; plenum, inuentum putatur, quod à loco dictum eſt Feſcenninum.

Fidêna, æ, (Φιδήνη, φίδηνα *Stephano*) *&* Fidenæ, *arum,* (φίδηναι *Straboni*) *urbs* Latinorum *mediterranea.* Verg. *libr.6.*

Hi tibi Nomentum, Gabios, *urbemq́;* Fidenam,
Hi collatinas *imponent montibus arces.*

Iuuenalis *Satyr.6.*

Viuat Fidenis, *& agello cede paterno.*

Hinc Fidenates (φιδηναῖοι, φιδηνᾶται *Stephano*) *dicti ſunt,* Fidenarum *incolæ: quorum meminit* Plin.*lib.3.cap.5.*

Flora, (χλωρίς) *dea quædam à* Romanis *in honore habita, quam floribus præeſſe uolebant.* Hanc *meretricem fuiſſe aiunt, quæ cum magnas opes corporis quæſtu quæſiuiſſet, populum* Romanum *ſcripſit hæredem, certamq́; pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant* Floralia, *ſiue ludos* Florales. Quod *quia ſenatui flagitioſum tractu temporis uidebatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur: deam finxerunt eſſe, quæ floribus præſit, eamq́; oportere placari, ut fruges cum arboribus & uitibus bene proſpereq́; floreſcerent.* Celebrabantur *illi ludi omni cum laſciuia, conuenientes memoriæ meretricis: præter uerborum licentiam nudabantur flagitante populo meretrices, quæ mimarum functæ officio, ſpectatores impudi-*

cis motibus detinebant. Hæc à Græcis χλωρὶς *dicitur.* O*uid.* 4. *Faſtor.*

Chloris eram, quæ Flora uocor.

Fólia, *mulier Ariminenſis, ueneficijs & maſcula libidine infamis, de qua Horat. in Epod.*

Non defuiſſe maſculæ libidinis

Ariminenſem Foliam.

Fórmiæ, arum, (φορμίαι) *urbs Campaniæ maritima, iuxta Caietam, Læſtrigonum quõdam ſedes, à Lamo quodã Lacone, ut creditur, condita. Horat. lib. 3. Carm.*

Aeli uetuſto nobilis à Lamo,

Autore ab illo ducis originem,

Qui Formiarum mœnia dicitur,

Princeps, & innantem Maricæ

Littoribus tenuiſſe Lyrim.

Hæ primum Hormiæ dictæ ſunt, ſiue à frequentia, bonitateq́; τῶν ὅρμων, hoc eſt, ſtationũ, ut Feſto placet: ſiue ἀπὸ τῆς ὁρμῆς, hoc eſt, ab impetu Læſtrygonum, qui anthropophagi fuiße dicuntur.

Fornacália, *feriæ farris torrẽdi gratia inſtitutæ, quibus ad fornacẽ in piſtrinis ſacrificiũ fieri ſolebat. Ouid. li. 2. Faſt.*

Facta dea eſt Fornax, læti fornace coloni. & paulò pòſt:

Curio legitimis tunc Fornacalia uerbis

Maximus indicit, nec ſtata ſacra facit.

Fóruli, orum, *oppidum Sabinorum, ſaxoſo in loco ſitum: unde Strabo libro 5. Petram uocat ad rebellandum, quàm ad habitandum aptiorem. Vergil. lib. 7.*

Qui Tetricæ horrentes rupes, monteḿq; Seuerum,

Caſperiamq́; colunt, Forulos, & flumen Hymellæ.

Fregellæ, arum, (φρέγελλαι Steph.) *ciuitas fuit olim clariſsima inter Formias & Sinueſſam ſita, nõ procul à Lyri*

amne,

amne, quem nunc Garilianum uocamus. Cuius etiam hodie non obſcura extant ueſtigia, ex quibus facilè poteſt æſtimari, quanta olim fuerit eius urbis amplitudo. Hæc cum à Romanis defeciſſet, diruta fuit, & ad uicum iam uſq; à Strabonis tempore redacta. Silius lib. 8.

-Obſeſſæ campo ſqualente Fregellæ.

Idem alio loco:

Et quæ fumantem texere Giganta Fregellæ.

Frúſino, nonis, *ciuitas Campaniæ, Falerno agro uicina, cuius incolæ Fruſinates dicũtur: quorum meminit Plinius libro 3. cap. 5. Iuue. Sat. 3.*

-Optima Soræ,

Aut Fabrateriæ domus, aut Fruſinone paratur.

Fúcinus, *lacus in quarta regione Italiæ, prope Albenſes Marſorum populos. Mart. libro 1.*

Fucinus & pigri taceantur ſtagna Neronis.

Verg. 7. Aen.

Te nemus Angitiæ, uitrea te Fucinus unda,

Te liquidi fleuere lacus.

Fúriæ, arum, (ἐριννῦς, ἀλάϛορες, εὐμενίδες) *deæ furoris, Noctis Acherontisq; filiæ, quæ tres eſſe putabantur, Alecto, Tiſiphone, & Megæra. Verg. 6. Aen.*

-Furiarum maxima iuxtà

Accubat, & prohibet manibus contingere menſas.

Eadem ab Atheniẽſibus κατ' εὐφημισμὸν Eumenides dicebantur, quaſi placabiles & benignæ: apud quos & fanum habebant ſolennibus ſacrificijs celebratum, quemadmodũ & lucũ in Latio, qui Furinæ dicebatur: ut eſt autor Cicero libro 3. de Nat. deor. Numen autem earum præcipuè circa ſcelerum ſpeculationem, ultionemq;, & in animorum malè ſibi conſciorum exagitatione uerſari putabatur: ut

eſt uidere apud Euripidem *in* Oreſte.

G

GAbij,orum, (*γάβιοι*) *Volſcorũ urbs fuit*, L X X.*mil libus paſſuũ ab urbe diſtãs, à* Galacto *&* Bio *fratribus Siculis cõdita,ſicut ſcribit Solinus, fraude autem Sexti* Tarquinij *Superbi filij,in* Romanorum *ditionem redacta,ut tradit* Liu.*libro primo ab* Vrbe. Vergilius *lib.6. urbis huius originem ad reges refert Albanorum : quibus enumeratis,ſic ſubdit:*

Hi *tibi* Nomentum, *&* Gabios,*urbemq́;* Fidenam,
Hi Collatinas *imponent montibus arces.*

Hinc Gabinus,*a, um:ut,* Iuno Gabina, *apud* Vergilium *ſexto* Aeneid. Item Cinctus Gabinus, *quod erat togæ genus (ſicuti docet* Seruius*) ſic in tergum reiectum, ut una eius lacinia reuocata hominem cingeret : quo ueſtimenti genere utebatur* Conſul Romanus *bellum hoſtibus indicturus.* Vergil.7.Aen.

Ipſe Quirinali *trabea,cinctuq́;* Gabino
Inſignis, *reſerat ſtridentia limina* Conſul.

Eodem *etiã ueſtimenti genere* Decios *indutos fuiſſe legimus,cùm ſe pro* Reipub.*ſalute* Dijs Manibus *deuouerẽt.*

Gades,diũ, (*γάδειρα,τὰ*) *duæ inſulæ ſunt, teſte* Plin.*lib.4.ca.22. ultra finẽ* Bæticæ *prouinciæ & in extremo noſtri orbis,uerſus* Occidentem,*extra freti anguſtias,quibus* Aphrica *ab* Europa *dirimitur.*Harũ *maior* Erythia Põponio *dicitur,à* Tyrijs *ab* Erythræo *mari oriũdis,qui in hac inſula urbẽ cõdiderũt.* Vnde Lucanus Gades Tyrias *appellat.*Diſtat *à* Calpe,*teſte* Strabone, *ſeptingentorũ quinquaginta ſtadiorũ interuallo, parua quidẽ inſula, ſed uirorũ dignitate excellens.* In *qua equeſtris ordinis* Gaditanos, (*γαδειρεῖς,γαδειρίτας,γαδειτανὸς*) *quingẽtos in uno cenſu*

numera

numeratos aliquando fuiſſe compertũ eſt. Inſula *hæc ubi continenti eſt proxima, interluitur freto* D C C. *non amplius pedum.* Huic *adiacet altera inſula minor,& ipſa* Gadis *appellata, unius tantùm ſtadij* Euripo *interlabente ab altera dirempta, in qua tanta eſt pabuli lætitia, ut pecudum ibi paſcentium lac ſerum non efficiat, neq; ex eo caſeus fieri poßit, niſi multa admiſta aqua.* Quin *illud etiam traditur, paſcentes in hac inſula pecudes, niſi ſubinde ſanguinem exhaurias, intra triginta dies pinguetudine ſuffocari. quæ res* Poëtis *occaſionem uidetur miniſtraſſe eorum, quæ de* Geryonis *armentis fabulati ſunt.* Autor eſt Strabo *lib.*3. Declinatur *autem hoc nomen in utroq; numero.*Dicimus *enim* Gadis *in numero ſingulari pro alterutra harum inſularum, uel in plurali numero* Gades.Plin.*lib.*4.*capite* 22.Gadis *longa eſt* XII. M. *lata* III. M. *paſſuum.* Inde Gaditanus,*a,um,* (γαδειρικὸς) *ut mare* Gaditanum, & Gaditanæ *puellæ, quæ agilitatis laſciuiæq; nomine olim in pretio fuerunt.*

Gadír, (ταρ]ησὸς) *urbs opulenta in* Gadibus,*quæ antea* Cotinuſa, & Tarteſſos *dicebatur.* Rufus Auienus *in* Deſcrip.*orb.*

Gadir prima fretum ſolida ſupereminet arce,
Attollitq; *caput geminis inſerta columnis.*
Hæc Cotinuſa *prius fuerat ſub nomine priſco,*
Tarteſſumq; *dehinc* Tyrij *dixere coloni.*

Gætúlia, (γαιτȣλία Steph.) *regio eſt* Libyæ *interioris,* Garamantibus *finitima: cuius incolæ* Gætûli *appellantur.* Verg. 4. Aen.

Quid *dubitas uinctam* Gætulo *tradere* Iarbæ?

Galatéa, (γαλάτεια) Nympha *marina,* Nerei & Doridos *filia, à* Polyphemo *adamata: quem cùm illa ſperneret,* A-

cimq́; ei præferret, indignatus Cyclops riualem ſaxo de rupe auulſo interfecit: cuius caſum miſerati Dij marini, in fluuium ſui nominis eum cõmutarunt. Verg.Eclog.7.

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior hyblæ.

Galátia, (γαλατία) *regio eſt minoris Aſiæ, Phrygiæ con termina, ita dicta à Gallis, qui relicta patria ibi ſedes fixerunt.* Huius *incolæ Galatæ appellantur.* Lucan.*libro* 7.

Iſtis parce, precor, uiuant Galatæq́; Syriq́;.

Hi & Gallogræci dicti ſunt, quòd ex Gallis ſimul & Græcis coaluerint, eodem ferè tempore à Bithyniæ rege agrorum præmio ad belli ſocietatem excitis.

Galêſus, (γάλησος) *fluuius eſt Calabriæ, non procul à Tarento, leni admodum labens curſu.* Vergil.3.Georg.

Nanq; ſub Oebaliæ memini me turribus altis,
Quà niger humectat flauentia culta Galeſus,
Corycium uidiſſe ſenem.

Fuit item Galeſus ditiſſimus in agro Latino agricola, qui eo in tumultu, qui inter Aſcanij comites, & Tyrrhei armentarij regij liberos exortus eſt, cùm pacis componẽdæ ſtudio medium ſeſe inter pugnantes inferret, in medio ardore pugnæ eſt interfectus. Verg.7.Aen.

Corpora multa uirûm circa, ſeniorq́; Galeſus,
Dum paci medium ſe offert, iuſtiſſimus unus
Qui fuit, Auſonijq́; olim ditiſſimus agri.

Gállia, (κελτικὴ *apud ueteres Græcos: Stephanus* γαλλίαν *uocat, incolas* γάλλους) *Europæ pars: à candore populi dicta. Gala enim lac Latinè dicitur. Nam montes & rigor cœli ab ea parte ſolis ardorem excludunt, ut eorum corpora non colorentur. Eſt autem triplex, Togata, Comata, & Braccata. Gallia togata ea eſt, quæ Alpium radicibus, & Rubicone fluuio intercipitur: alio nomine*

mine dicta Ciſalpina. Martialis lib.3.

Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

Comata autẽ cognominatur omnis Tranſalpina Gallia, inquit Plinius libro 4.cap.17. quam in tria populorum genera hiſtorici diuiſerunt, Belgicam, Celticam, & Aquitanicam, quæ Aremorica antè dicta eſt. Nam à Scalde ad Sequanam, Belgica: ab eo ad Garumnam, Celtica, eademq́; Lugdunenſis: inde ad Pyrenæi montis excurſum, Aquitania. Videtur igitur Comatæ nomen reliquæ Galliæ conuenire, ſecluſa Prouincia Narbonenſi, quæ à Braccarum uſu (id ueſtis genus erat uilloſum) Braccata eſt cognominata. Ptolemæus eam totam Celtogalliam uocat. Dicta eſt autem Comata, ab eo, quòd natio illa fuerit intonſa. Plin. lib.9. In capite cunctorum animalium homini plurimus pilus, iam quidem promiſcuè maribus, ac fœminis apud intonſas utiq; gentes: atq; etiam nomina ex eo capillatis Alpium incolis, Galliæ Comatæ.

Gallus, *(γάλλος Straboni) fluuius eſt Phrygiæ, in Modris montibus naſcens, & in Sangarium ſeſe exonerans: ut eſt autor Strabo libr.12. Huius fluminis tam admiranda eſt natura, ut parcè potus & cerebrum purget, & inſaniam tollat: contrà largius hauſtus lymphatos agat: ut eſt autor Plin. lib.31. cap.2. Ouid. lib.4. Faſtor.*

Inter, ait, uiridem Cybelon, altasq́; Celænas,
Amnis it inſana nomine Gallus aqua.

Hinc Galli Cybeles ſacerdotes nomen acceperunt, teſte eodem Plinio lib.5.cap.32. quòd amnis huius aquis furorem ſibi ſoleãt accerſere, menteq́; alienati uirilia Samia ſibi teſta execare, caputq́; inter ſaltandum furioſorum more rotare, & tanquam diuino æſtro incitati, uaticinia edere. Lucan. libro primo,

-Crinemq; rotantes
Sanguineum populis ulularunt triſtia Galli.

Gallus Cornelius, *Poëta fuit Elegiographus, patria Foroiulienſis, Vergilio amiciſsimus, qui Auguſti fauore ad præturæ dignitatem eſt euectus: in cuius odium cùm ſuſpicione coniurationis poſtea incidiſſet, ſibi ipſe mortem conſciuit, anno ætatis 43. Ouid. lib. 3. Eleg.*

Sanguinis atq; animæ prodige Galle tuæ.

Hic Euphorionem Latinitate donauit: Amorumq; ſuorũ libros 4. conſcripſit. Amauit Cytheridem Volumnij Senatoris libertam, quam falſo nomine Lycoridem appellat: quæ tamen illo ſpreto Antoniũ ſecuta eſt in Galliam. Vergil. 10. Eclog.

Galle, quid inſanis? inquit: tua cura Lycoris
Perq; niues alium, perq; horrida caſtra ſequuta eſt.

Gallogræcia, *(γαλατία, καὶ γαλλογραικία Straboni) regio eſt Aſiæ, Bithyniæ, Cappadociæ, & Pamphyliæ contermina: alio nomine Galatia dicta, quemadmodum & incolæ ipſi indifferenter Galatæ dicuntur, & Gallogræci. Nam cùm Galli multitudine domi abundantes ſedes ſuas reliquiſſent, Italiamq; ferro flammáque crudeliſsimè uexaſſent, inde Camilli uirtute depulſi, non parua manu in Græciam Macedoniamq; irruperunt: indeq; Leonorio duce, Græcis quibuſdam permiſti, in Aſiam traiecerunt: acceptisq; à Bithyniæ rege agris, ſedes ibi fixerunt. Quo factum eſt, ut conflati ex Gallis Græcisq; populi, uno nomine Gallogræci dicerentur. Vide Strabonem lib. 12.*

Gangáridæ, *(γαγγαρίδαι) ut inquit Curtius, populi inter Aſsyrios & Indos, iuxta Gangem. Verg. 3. Georg.*

In foribus pugnam ex auro ſolidoq; elephanto
Gangaridûm faciam, uictorisq; arma Quirini.

Ganges

Ganges,gis,& Gangetis,(γάγγης) *Indiæ fluuius maximus,qui uniuerſam ſecat* Indiam, *ſecum aureas arenas trahens,alio nomine* Phyſon *à* Græcis *dictus: quem ſacræ literæ inter eos annumerant, qui de* Paradiſo *profluunt.* Fontes *eius alij incertos eſſe tradunt,uicinaq; omnia rigare, quemadmodum &* Nilum. *Alij in* Scythicis *montibus naſci,ipſamq;* Indiam *ſecare dixerunt,fluereq; in eum triginta amnes. Minima* Gangis *latitudo per octo millia paſſuum,maxima per uiginti patet. Altitudo, ubi uadoſiſſimus eſt, menſuram centum pedum implet.* Dictus Ganges *à* Gange Aethiopum *rege,ut ait* Suidas. Ouidius *libro* 4. Metamorphoſ.

Decolor *extremo quà cingitur* India Gange.

Hinc Gangeticus,a,um.Lucan.lib.7.

Et *quas ſentit* Arabs,& *quas* Gangetica *tellus.*

Ganymédes, (γανυμήδης) Trois *filius fuit, puer formoſiſſimus,quem cùm* Iupiter *deperiret,in* Ida *monte uenantem ab aquila rapi iuſſit,& in cœlum afferri,eumq; caliculis præfecit,repudiato miniſterio* Hebes, *quæ ante illius raptum miſcendo nectari præerat.* Hanc *fabulam tangit* Vergilius *libr.*1.Aeneid.*cùm inter cauſas odij* Iunonis *in* Troianos,*recenſet rapti* Ganymedis *honores.* Hyginus *in* Aſtrom. Poët. *tradit* Ganymeden *inter ſidera translatum conficere ſignum illud,quod* Aquariũ *uocamus,quòd eius ſtellæ ſuo ſitu aquam fundentis imaginem uideantur referre.*

Garamantes, (γαραμάντες) *populi interioris* Lybiæ, Pſyllis *finitimi:à* Garamãte Apollinis *filio cognominati, qui ibi* Garamam *oppidum ex ſuo nomine condidit.* Vergil.8.Eclog.

Iſmarus,*aut* Rhodope,*aut extremi* Garamantes.

A Garamas fit Garamanticus adiectiuum: ut, Garamantica ſigna, apud Silium lib. 1.

Gáramas, (γαράμας) *Libyæ rex fuit, cuius filiam Iupiter Ammon ad Bagradam fluuium compreßit, & Iarbam ex ea genuit: ut annotauit Seruius in illud Vergilij 4. Aen.*

Hic Ammone ſatus, rapta Garamantide Nympha.

Gargânus, (γάργανον *Straboni) promontorium eſt Apuliæ, trecentis ſtadijs in mare Adriaticum procurrens, ſub quo Diomedes urbem condidit, quam Argyrohippium nominauit, poſteri uerò Argyrippam, & Arpos appellarũt. Verg. 11. Aen.*

Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis aruis.

Lucan. libr. 5.

Appulus Adriacas exit Garganus in undas.

Gárgarus, gari, *& in plurali numero* Gárgara (γάργαρα) *cacumẽ eſt mõtis Idæ, teſte Macrobio, in ea parte, ubi ad Myſos declinat, tanta frugum ubertate affluens, ut quoties infinitum rei alicuius numerum uelimus denotare, à Gargarorum frugibus ſumamus ſimilitudinem. Oui. lib. 1. de Arte amandi:*

Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos &c.

Huius autem tantæ ubertatis cauſa eſt fontium abundantia, quibus ſolum irrigatur: adeò ut æſtiuis caloribus fruges non facilè poßint aduri. Nam quum Ida mons totus ferè plurimis irrigetur fontibus, (unde & Homerus πολυπίδακα uocat) præcipuè tamen ea pars huius mõtis, quæ ad orientem Solem Myſiam contingit. Eſt etiam oppidum hoc nomine in radice huius montis ſitum: ut docet Macrobius lib. 5. cap. 19.

Garg

Gargittius, (*γαργίττιος Polluci*) *canis cuiuſdam generoſi nomen, qui Geryonis boues cuſtodiebat, & leonibus inſultabat: quem tunc Hercules interfecit, cùm illius armenta abduxit: fuitq; Cerberi Epirotici frater, ut ſcribit Iulius Pollux li. 5. de Vocabulis rerũ, ad Cõmodũ Cæſarẽ.*

Garumna, (*γαρύμνας Ptolemæo*) *fluuius eſt Galliæ, in Pyrenæis naſcens montibus, Celtasq; diuidens ab Aquitanis, & per Biturigum Santonumq; fines in occiduum influens Oceanum. Claudianus:*

Quosq; rigat retro pernicior unda Garumnæ,
Oceano pleno quoties impellitur, &c.

Gaurus, (*γαῦρος*) *mons Campaniæ, Maßicis & Surrentinis propinquus, in quo naſcitur uinum præcipuæ bonitatis. Statius libro 3. Sylua.*

Seu tibi Bacchei uineta madentia Gauri.

Hinc Gauranus, a, um, ut Gaurani montes, apud Plinium lib. 3. cap. 5. Gauranum uinum, quod in ſummis agris Falerni iugis naſcebatur. Nam quod in medijs gignebatur montibus Fauſtianum, quod in imis Falernum dicebatur, teſte Plin. lib. 14. cap. 6.

Gebenna, *mons Galliæ, Aruernos ab Heluijs diuidens, ab ea parte, quà Cadurci & Ruteni Aruernos ſpectant: oppidum habens eiuſdem nominis, quod Lucan. lib. 1. Gebennas effert plurali numero, inquiens:*

-Cana pendentes rupe Gebennas.

Gela, (*γέλα Stephano*) *fluuius eſt Siciliæ, urbem præterfluens eiuſdem nominis, à pruina, quã multam gignit, (Siculi enim γέλαρ pruinã uocant) deducto nomine. Hinc campi circuniacentes, Geloi appellati ſunt. Ver. 3. Aen.*

Apparet Camarina procul, campiq; Geloï,
Immaniſq; Gela, fluuij cognomine dicta.

Gelon

Gelôni,(γελωνοὶ) *populi interioris* Scythiæ, Agathyrſis *proximi:qui faciem depingunt, ut terribiliores in prælio uideantur.* Patientiſsimi *ſunt inediæ, fameq́; urgente, e- quo quo uehuntur, ſanguinis nõnihil detrahunt, eoq́; cum lacte commiſto, inediam leuant.* Hodie Tartari *appellan- tur.* Verg.2.Georg.

–Pictosq́; Gelonos.

Lucan.lib.4.

Maſſagetes quo fugit equo, fortesq́; Geloni.

Verg.3.Georg.

Biſaltæ quo more ſolent, acerq́; Gelonus,
Cùm fugit in Rhodopen, *atq; in deſerta* Getarum,
Et lac concretum cum ſanguine potat equino.

Germánia, (γόῤμανία) *regio* Europæ *latiſsima, quæ à* Gallis, Rhætis, *ac* Pannonijs, Rheno *&* Danubio *flumi- nibus, à* Sarmatis, Daciśq; *metu mutuo, ac montibus ſepa ratur: cætera ambit* Oceanus, *latos ſinus, & inſularum immenſa ſpatia complectens.* Huius *regionis incolæ* Ger- mani *dicuntur: cuius nominis rationem ad* Romanos *au- tores nonnulli referunt, qui cùm primùm* Rhenum *deui- ctis* Gallis *tranſgreſsi fuiſſent, uidentes eos & feritate a- nimorum, & proceritate corporum, & colore flauo, for- ma præterea & moribus, & uiuendi ritu* Gallis *ſimili- mos,* Germanos *eos, tanquam fratres* Gallorum, *appella- runt.* Alij *inde* Germanos *dictos putant, quòd peculiari eius regionis ritu, ſe mutuò ſua lingua* Germanos, *hoc eſt, fratres conſalutarent.* Eruditi *tamen inter* Germanos *uocabuli huius etymologiam ex ſua potius lingua peten- dam exiſtimant.* Illi *enim* Gar, *ſiue* Ger, *totum dicunt, &* Man *uirum: ut* Germanos *dictos intelligas, quaſi prorſus uiros.* Verg.1.Eclog.

Aut

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Géryon, onis, *ſiue* Geryones, næ, (γηρύων, ἢ γηρυόνης) *Chryſaoris filius, ſecundùm* Heſiodum, *trium* Hiſpanicarum *inſularum* Rex, Balearidum *uidelicet duarum, & Ebuſi: quæ res locum fecit* Poëtarum *fabulis, ut* Geryonem *tricorporem fuiſſe dicerent.* Hunc Hercules *interfecit, boueſq; eius in Græciam abegit.* Verg. 8. Aen.

-*Nam maximus ultor*
Tergemini nece Geryonæ, ſpolijsq; ſuperbus
Alcides aderat.

Sunt qui idcirco Geryonem tricorporem creditum uelint, quòd tres fuerint eodem nomine fratres, tanta inter ſe animi concordia uiuentes, ut anima una regi putarentur.

Getæ, (γέται) *populi in Scythia* Europæa. Appianus *Dacos appellat. Strabo uerò lib. 7. Getas à* Dacis *ita diſtinguit, ut Getæ ſint, qui ad* Pontum *in* Orientem *uergunt:* Daci, *qui in oppoſitum latus ſpectant uerſus* Germaniam, *& ad* Iſtri *fontes, quos olim* Dauos *uocatos nonnulli uolunt.* Ex *quo apud* Athenienſes Dauorum *& Getarum ſeruilia nomina in uſu maximè fuerunt.* Aelius Spartianus *ſcribit* Getas *dictos fuiſſe, qui poſtea* Gothi *appellati ſunt.* De *his* Ouidius *de* Ponto:

Nulla Getis toto gens eſt truculentior orbe.

Geticus, a, um, (γετικὸς) *ut,* Humus Getica. Ouid. 3. *de* Ponto:

Qui Getica longè non ita diſtat humo.

Littus Geticum. Idem 3. Triſt. Eleg. 12.

Nam procul à Getico littore uitis abeſt.

Plectrum Geticum. Statius 2. Syl.

Et Getici cedat tibi gloria plectri.

Gigantes

11.*tradit, glaucum æſtate non apparere.*

Gnidus, & Gnoſſus, *uide Cnidus, & Cnoſſus: apud Græcos enim ſcribuntur per κ.*

Golgi, orum, (γολγοὶ *Steph.) locus in Cypro inſula, Veneri & Cupidini ſacer. Catullus in Nupt. Pelei:*

Sancte pater, curis hominum qui gaudia miſces,
Quiq́; regis Golgos, quiq́; Idalium frondoſum.

Górgones, (γοργόνες) *Phorci filiæ, Meduſa, Sthenyo, & Euryale, quæ Dorcadas inſulas, in Oceano Aethiopico ſitas, habitaſſe dicuntur, contra Heſperidum hortos. Nomen habent à truculentia, quam Græci γοργότητα appellant. Scribit Diodorus, fœminas fuiſſe in Africa bellicoſas, aduerſus quas Perſeus bellum geſſerit, & earum reginam Meduſam debellauerit, ac interfecerit. Hinc Gorgoneus, a, um. Ouid. 4. Metam.*

Gorgoneas tetigiſſe domos.

Gorgythion, (γοργυθίων) *Priami filius ex Caſtianira Threiſſa ſuſceptus, qui poſtea in bello Troiano à Teucro Telamonis filio confoſſus occubuit. Autor Homerus Iliad. 8.*

Gortyn, *ſiue* Gortys, ynis, *ſiue* Gortyna, æ, (γόρτυν, ἢ γόρτυς *Stephano) oppidum mediterraneum Cretæ inſulæ, ad Lethæum fluuium, cuius meminit Plin. lib. 4. cap. 12. Hinc Gortynius, ia, um,* (γορτύνιος) *ut, Gortynia ſpicula, hoc eſt, ſagittæ, quibus Cretenſes plurimum ualebant. Verg. 11. Aen. Item Gortynis, idis,* (γορτυνίς) *patronymicum fœminin[um]. Lucanus lib. 6.*

Dictæa procul ecce manu Gortynis arundo
Tenditur in Scæuam.

Gothi, *populi ſunt in tractu Septentrionali Europæ, Danis, & Noruegis contermini, qui olim Italiam armis ſubeger*

egerunt, Romamq; ipſam, totius literaturæ fomitem ſolo æquarunt, ſuamq; in totum orbem inuexerunt barbariem. Auſonius,

Hinc poſſem uictos inde referre Gothos.

Gracchus *Sempronius, Caij & Tiberij pater fuit, qui in Hiſpaniam Proconſul miſſus, Celtiberos in deditionem accepit, Ilurcimq; eorum oppidum ſplendidius à ſe reſtitutum, ut geſtarum à ſe rerum memoria ſupereſſet, de ſuo nomĩne Gracchurim appellauit. Huic uxor fuit Cornelia ex Scipionum familia, inſigni pudicitia, & eruditione mulier, ex qua Tiberium & Caium Gracchos ſuſcepit, generoſiſſimæ quidem indolis iuuenes, eloquentiaq; in primis admirabiles, cæterùm popularis auræ plus ſatis auidos. Quæ res fecit, ut relictis optimatibus ad plebem ſe contulerint, legesq; agrarias perpetuos ſeditionum fomites in lucem reduxerint: neq; antea quieuerint, donec Senatum in ſuam necem armarent. Tiberius prior occiſus eſt in concione à Publio Naſica: Caius autem biennio pòſt cùm montem Capitolinum occupaſſet, iuſſu Opimij Conſulis eſt interfectus. Iuuenalis Sat. 10.*

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Gradîuus, *(ἄρης) Martis, bellorum præſidis, eſt cognomentum, à gradiendo (ut Feſto placet) impoſitum, eò quòd gradatim, & per ordines in bellum eatur: aut certè à uibratione haſtæ, quod Græci uocant κραδαίνειν. Huius ſedem apud Thracas, & Getas Poëtæ collocarunt, quòd eæ nationes ſint bellicoſiſſimæ, & à pacis otijs alieniſſimæ. Verg. 3. Aen.*

Gradiuumq; patrem, Geticis qui præſidet oris.

Grææ, *(γραῖαι) tres fuerunt ſorores, Phorci filiæ, unicum tantùm habentes oculum & dentem, quibus uiciſſim inter*

ſe tres utebantur. Harum ope Perſeus ad Gorgonas peruenit. Vide prouerb. apud Eraſmum; Orci galea, ubi hæc omnia copioſius.

Græcia, (ἑλλὰς) Europæ regio eſt, olim omni diſciplinarum genere excultiſsima, ſemper tamen leuitatis, uanitatisq; nomine malè audiens. Iuuenal. Sat. 10.

-Et quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.

Hæc à Ptolemæo Achaïa nominatur. Principium ſumit ad Meridiem ab Iſthmi Corinthiaci anguſtijs, indeq; ad Septentrionem in Theſſaliam uſque, & partem Aegæi maris extenditur. Ad occaſum Acheloo fluuio ab Epiro dirimitur. Ab ortu rurſus habet mare Aegæum, qua parte Sunium eo abluitur. Scinditur in multas regiones, quarum præcipuæ ſunt Attica, Bœotia, Phocis, & Locri. Dicta eſt Græcia, à Græco primo eius prouinciæ rege, teſte Plin. lib. 4. cap. 7. Eſt & Græcia altera cognomento Magna, in extrema Italiæ ora, à Locris Italiæ fronte initium ſumens, in tres recedens maris Auſonij ſinus, patens in longitudinem LXXXII. paſſ. M. ut ex ſententia Varronis tradit Plin. lib. 3. cap. 10. Hanc Græci ſubactam maximis potentiſsimisq; urbibus frequentarunt: in quibus numerantur Croton, Arpi, Thurium, Tarentum, aliæq; complures.

Grátiæ, (χάριτες) Iouis & Eurynomes (ut in Theogonia tradit Heſiodus) aut Veneris & Liberi filiæ, quarum una Aglaïa nominatur ab hilaritate, ſeu lætitia: propterea quòd hilariter præſtandum ſit beneficium. Secunda Thalia, à uiriditate: quòd beneficij memoria ſemper uirere debeat, & nunquàm marceſcere. Tertia Euphroſyne, ab oblectatione: eò quòd non minus in dando beneficio,

quàm

quàm in accipiendo nos delectari conueniat. Harum una *auerſa pingitur: duæ ad nos conuerſæ: quo illud ſignifica tur, duplicem pro accepto beneficio gratiam rependi oportere.* Nudæ ſunt : *beneficia enim ſine fuco eſſe oportet.* Connexæ, *quòd beneficium ſemper beneficium pariat: quodq́; perpetuum eſſe debeat beneuolentiæ fœdus.* Hilares: *tales enim eſſe debemus in dandis accipiendisq́; beneficijs.* Iuuenes: *beneficij enim accepti gratia ſeneſcere non debet, ſed perpetuò florere.* Virgines *ſunt, & in* Acidalio Orchomeni *fonte lauantur: uel quòd pura beneficia eſſe, nullamq́; retributionis ſpem habere, uel quòd nihil turpe rogare oporteat.*

Grauiſcæ, (γραυίσκαι Ptolemæo) *caſtellum eſt in* Tuſcia, *quod hodie* Montem altum *uocant: ita dictum ab aëris grauitate.* Verg. 10. Aeneid.

Et Pyrgi ueteres, intempeſtæq́; Grauiſcæ.

Grynêus, (γρυνεῖος) *cognomen eſt* Apollinis, *inditum à Gryneo nemore iuxta Clazomenen Aſiæ ciuitatem, in quo* Apollo *colebatur.* Verg. 4 Aeneid.

Sed nunc Italiam magnam Grynêus Apollo:
Italiam Lyciæ iuſſere capeſcere ſortes.

Idem 6. Eclog.

His tibi Grynei nemoris dicatur origo.

Vbi Seruius: Gryneum nemus eſt in finibus Aeolidis, *Apollini conſecratum.* Dictum *eſt autem hoc nemus à Grynio uicino oppidulo.* De *quo uide* Strabonem *libro decimotertio.*

Gyarus, ri, (γύαρος Stephano) *uel Gyara, ræ, inſula eſt, maris* Aegæi, *una ex Sporadibus, in quam* Romani *noxios ſuos deportabant.* Iuuen. Saty. 10. *Vt Gyaræ uinctus ſcopulis, paruaq́; Seripho.* Idem Satyr. 1. *uſus eſt numero*

y plurali,

plurali, inquiens:

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum,
Si uis eſſe aliquid.

Gygæus lacus, (γυγάια λίμνη) Lydiæ lacus eſt, ſtadijs quadraginta à Sardibus diſtans: qui poſtea Colous dictus eſt. Propertius libr. 3.

Lydia Gygæo tincta puella lacu.

Meminit huius lacus Homerus in fine Catalogi. Plin. libro 5. capit. 29. Gygæum ſtagnum appellat.

Gyges, (γύγης) gigas fuit centimanus, Cœli & Terræ filius, & frater Briarei. Ouid. 4. Triſt.

Centimanumq; Gygen, ſemibouemq; uirum.

Fuit & Gyges quidam Lydus, cui cùm Candaules Lydiæ rex uxorē ſuā nudā oſtendiſſet, illa id ægrè ferens Gygen ad necem eius impulit, ſeſeq; cū regno illi tradidit: ut eſt autor Herodotus lib. 1. De hoc Gyge ſic ſcribit Cic. libr. 3. Offi. Hinc ille Gyges (inquit) inducitur à Platone, qui cùm terra diſceßiſſet magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, æneumq; equum (ut ferunt fabulæ) animaduertit, cuius in lateribus fores eſſent: quibus apertis, hominis mortui corpus uidit magnitudine inuſitata, anulumq; aureum in digito, quem ut detraxit, atq; ipſe induit, (erat autem regius paſtor) tum in conſilium paſtorum ſe recepit. Ibi cùm palam eius anuli ad palmam cōuerterat, à nullo uidebatur, ipſe autem omnia uidebat: idem rurſus uidebatur, cùm in locum anulū inuerterat. Itaq; hac opportunitate anuli uſus, reginæ ſtuprum intulit, eaq; adiutrice regem dominum interemit, ſuſtulit quos obſtare arbitrabatur: nec in his facinoribus eum quiſquam uidere potuit. Sic repente anuli beneficio rex exortus eſt Lydiæ. Hæc Cicero.

H

HAemon,(ἅιμων)iuuenis fuit Thebanus, qui Antigonem Oedipi & Iocaſtæ filiam tanto proſecutus eſt amore,ut cùm eam Creontis iuſſu occiſam intelligeret propter ſepulturæ honorem,quē fratribus impertiuerat,doloris impatientia ad tumulum eius ſeſe iugularit. Propertius libro 2.

Quid?non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ipſe ſuo ſaucius enſe latus:
Et ſua cum miſeræ promiſcuit oſſa puellæ,
Qua ſine Thebanam noluit ire domum.

Hæmus, (αἶμος) mons eſt celſiſsimus, Myſiam dirimens à Thracia,in quo Martis domicilium collocarunt Poëtæ. Lucanus lib. 4.

-Tunc linquitur Hæmus Thracius.

Halæſus,(ἅλαισος) Agamēnonis fuit filius ex Briſeide, aut (ut alij malūt)ex Clytæmneſtra,quē aiunt cū illa ſenſiſſe contra patrem, & poſtea patria pulſum in Italiam ueniſſe,atq; apud Maſsicum Campaniæ montem conſediſſe,& tanquam Troiani nominis hoſtem Turno aduerſus Aeneam fauiſſe. Verg.lib.10.Aen.

Hinc Agamemnonius Troiani nominis hoſtis,
Iungit Halæſus equos,&c.

Ouidius libro 4.Faſt. autor eſt, ab hoc Halæſo Faliſcos originem accepiſſe.

Halcyone,uide Alcyone.

Halyattes,(ἀλυάττης) Lydiæ rex,pater Crœſi,qui ab eo Halyatticus cognominatur.Horat.libro tertio Carm.

Quàm ſi Mygdonijs regnum Halyattici
Campis continuem.

Regnum,inquit,Halyattici,hoc eſt,Crœſi, Halyattæ filij.

Halys,(ἅλυς) *fluuius in* Tauri *montis radicibus naſcens, Cappadociæq́; Syriæ,ac* Paphlagoniæ *agros irrigans,& tandem cõtra* Aquilonem *in* Euxinũ *mare ſeſe euoluens. Crœſo fatalis* Halys,*Lucan.lib.*3. *Crebro uortice tortus* Halys,Ouid.4.de Pont.

Hamadryades, (ἁμαδρυάδες) Nymphæ *ſyluarum,quas uetuſtas credidit ſimul cum arboribus naſci & interire.* Verg.10.Eclog.

Iam neq́; Hamadryades *rurſus,nec carmina nobis*
Ipſa placent.

Hammon,*uide* Ammon.

Harmónia, (ἁρμονίη) *Martis &* Veneris *filia,unà cum Cadmo uiro ſuo in ſerpentem mutata : ut latius docuimus ſuprà in dictione Cadmus.*

Harpálice, (ἁρπαλίκη) Lycurgi Thracum *regis filia, quæ cùm patrem ſuum iam ſenem ab hoſtibus captum audiſſet,confeſtim cõtracta non exigua* Thracum *manu, hoſtes, qui illum abducebant, inſecuta,magna cum illorum ſtrage illum recepit.* Autor Seruius *in illud* 1.Aen.

–Vel qualis equos Threïſſa *fatigat*
Harpalice,*uolucremq́; fuga præuertitur* Hebrum.

Harpe,es,(ἅρπη)*enſis falcatus, quo* Mercurius *uſus fertur in occidendo* Argo *illo centoculo, &* Perſeus *in amputando* Meduſæ *capite.*Ouid.5.Meta.

Vertit in hunc Harpen *madefactam cæde* Meduſæ.
Lucan.libro 9.

Et ſubitus præpes Cyllenida *ſuſtulit* Harpen.

Harpócrates, (ἁρποκράτης) *ſimulacrum in ſacris* Iſidis *&* Serapidis *erat, quod digito labijs impreſſo,admonere uidebatur,ut ſilentium fieret.* Hunc Aegyptij *ſilentij deũ eſſe uolebãt.* Reuera autem Græcus *philoſophus fuit* Harpocra

pocrates, cuius eruditio ac præcepta in id maximè tendebant, ut ſilentium præciperet, & omnibus rebus anteponeret. Catullus in Gellium:

Gellius audierat patruum obiurgare ſolere,
Si quis delicias diceret, aut faceret:
Hoc ne ipſi accideret, patrui perdeſpuit ipſam
Vxorem, & patruum reddidit Harpocratem.

Vbi reddere Harpocratem (ut monet Eraſmus in Adagijs) prouerbialiter dictum eſt, pro ſilentium imponere.

Harpyiæ, (ἅρπυιαι) uolucres finguntur fuiſſe monſtroſæ, ex Neptuno & Terra (ut Seruio placet,) aut (ut mauult Hyginus) ex Thaumãte & Electra procreatæ, facie uirgines, unguibus uultures referentes. Hæ Strophadas inſulas incolebant: ad quas à Calai & Zethe fratribus fuerunt cõpulſæ, cùm antea in Arcadia ſedem haberent, Phineiq; regis menſas aſsiduè fœdarent. De his Vergilius libr. 3. Aen.

-Strophades Graio ſtant nomine dictæ
Inſulæ Ionio in magno, quas dira Celæno,
Harpyiæq; colunt aliæ, Phineïa poſtquam
Clauſa domus, menſasq; metu liquere priores.
Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior ulla
Peſtis & ira Deûm Stygijs ſeſe extulit undis.
Virginei uolucrum uultus, fœdiſsima uentris
Ingluuies, uncæq; manus, & pallida ſemper
Ora fame.

Dictæ ab ἁρπάζειν, unde à Suida uocãtur ἁρπακτικοὶ δαίμονες, hoc eſt, rapaces dæmones. Has Vergilius tres eſſe dicit, Aëllo, Ocypeten, Celæno, quarum poſtremam Homerus Podargen uocat, & ex ea Zephyrum uentum, Achillis equos, Balium uidelicet & Xanthũ, genuiſſe dicit. Heſiodus tantùm duas nominat, Aëllo uidelicet & Ocypeten. De

ten. De Harpyijs quoque ſuprà nonnulla dicta ſunt in dictione Calaïs: nonnulla etiam infrà dicentur in dictionibus Phineus & Zethes.

Hebe, (ἥβη) filia fuit Iunonis, abſq; patre, & Dea iuuentutis: de cuius ortu huiuſmodi refertur fabula: Apollinem, cùm Iunoni nouercæ conuiuium in patris ſui domo paraſſet, inter alia lactucas agreſtes ei appoſuiſſe, quas cùm Iuno auidè comediſſet, cùm antea ſterilis eſſet, prægnans effecta eſt, peperitq; Heben, quam poſtea Iupiter ob formæ elegantiam poculis ſuis præfecit. Verùm cùm Ioue apud Aethiopas cœnãte, Hebe pocula illi adminiſtrans, perq; lubricum minus cautè incedens, cecidiſſet, reuolutisq; ueſtibus obſcœna ſuperis nudaſſet, ab officio eſt amota, eiusq; loco Ganymedes ſubrogatus. Hæc Seruius. Homerus autem ex Ioue eam conceptam eſſe tradit, neq; omnino ab officio remotam, ſed cæterorum Deorum pincernam fuiſſe, Ganymedem uerò ſolius Iouis. Hæc poſtremò Herculi nupſit in deorum numerum relato: cuius etiam precibus adducta, Iolaum Iphicli filium florenti ætati reſtituit. Ouid. libro 9. Metamorph.

Hoc illi dederat Iunonia muneris Hebe, &c.

Hebrus, (ἕβρος) fluuius eſt Thraciæ, aureas uoluens arenas, in Rhodope monte naſcens, ſuprà Philippupolin, & è regione Samothraciæ inſulæ in mare Aegeum ſeſe exonerans. Fabulantur Poëtæ Orphei caput in hunc fluuium proiectum fuiſſe, cùm à Ciconum mulieribus fuiſſet diſcerptus: unde & Oeagrius dicitur, ab Oeagro Orphei patre. Verg. 4. Georg.

Tum quoque marmorea caput à ceruice reuulſum
Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus
Volueret, &c.

Hécale,

Hécale, (ἑκάλη) *anus paupercula, quæ* Theſeum *adhuc adoleſcentẽ hoſpitio ſuſcepit.* Huius *paupertatẽ* Callimachus *iuſto uolumine celebrauit.* Hinc *natum eſt prouerbium,* Nunquam Hecale *fies: hoc eſt, nunquam te inopia opprimet.* Ouid. de Amor.

Cur nemo eſt, Hecalen, *nulla eſt quæ nouerit* Irum?
Nempe quòd alter egens, altera pauper erat.

Hecamêda, (ἑκαμήδη) Arſinoi *filia, quæ direpta* Tenedo Neſtori *in prædam ceßit, teſte* Homero *libro* 11. Iliad.

Hécate, (ἑκάτη) Iouis *&* Latonæ *filia, & ſoror* Apollinis, *quæ &* Diana *dicitur.* Huic *triplex numem attribuitur, unde etiã à* Vergilio Tergemina *uocatur. Nã in cœlo creditur eſſe* Luna, *in terris* Diana, *& apud inferos* Proſerpina. *Dicta* Hecate, *teſte* Seruio, *quòd centum uictimis placetur, aut quòd centum annos errare faciat inſepultos. Veriſimilius tamen uidetur* Hecates *nomen factum eſſe à maſcul.* ἑκατος, *quo nomine* Græci *uocãt* Apollinem: *ſicut à* Cynthio Cynthia, *à* Delio Delia, *à* Phœbo Phœbe. *Dictus autem* Sol *eſt* Hecatos, *ab* ἑκὰς, *longè, quòd eminus radios ſuos ad nos mittat, & quodam modo iaculetur.* Hæc *&* τρικέφαλος *cognominatur, quia (ut inquit* Orpheus *in* Argon.) *tria habuit capita, dextrum equinum, ſiniſtrum caninum, medium ſuis agreſtis.* Ouid. 9. Metamor.

Tuq́; *triceps* Hecate.

Alia fuit Hecate, *herbarum ueneficiorumq́; peritißima, quæ in* Taurica Cherroneſo *regnauit, teſte* Dionyſio Mileſio. *Filia fuit* Perſæ, *filij* Solis, *& fratris* Aeetæ *: à quo &* Perſeis, *ſiue* Perſeia *cognominatur.* Ouid. 7. Meta.

Ibat ad antiquas Hecates Perſeïdos *aras.*

Valerius Flaccus *libro* 6.

Hanc reſidens altis Hecate Perſeia lucis
Flebat.

Hecatōbe, (ἑκατόμβη) *ſacrificij genus, in quo ritus qui ſeruabatur, ut cētenæ ſui generis mactarētur uictimæ: ut centum ſues, centum hœdi.* Dicta Hecatombe *à numero uictimarum: uel à numero ſacrificantium, quia centum* Peloponneſi *urbes id faciebant.* Iuue. *Sat.* 12.

-Exiſtunt qui promittant hecatomben.

Hecatompolis, (ἑκατόμπολις) Cretæ *inſulæ epitheton eſt, à numero ciuitatum impoſitum, quæ centum in hac inſula fuiſſe perhibentur, uel* Verg. *teſte lib.* 3. Aen.

Creta Iouis *magni medio iacet inſula ponto,*
Mons Idæus *ubi, & gentis cunabula noſtræ:*
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

Hecatompylos, (ἑκατόμπυλος) Thebes Aegyptiacæ *epitheton eſt, à portarū numero, quæ centum in hac urbe fuiſſe dicuntur, uel* Iuuenale *teſte,*

Atque uetus Thebe *centum iacet obruta portis.*

Hector, (ἕκτωρ) Priami *regis filius,* Troianorū *omnium fortiſſimus, ab* Achille *interfectus: dictus (ut ſcribit* Plato) ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὴν πόλιν, *quòd urbem contra hoſtium impetum tenuerit, patriamq́; ſeruarit.* Eo *nanq; ſoſpite* Troia *nunquàm potuit expugnari.* Vxorem *habuit* Andromachen, *ex qua* Aſtyanacta *ſuſcepit, quē* Vlyſſes *capta* Troia *è faſtigio turris præcipitauit.* Solus Græcos, *quemadmodū* Achilles *ſolus* Troianos, *fugabat: ex quibus* Proteſilaum, *&* Patroclum, *aliosq; permultos interfecit.* Tandem *ab* Achille *interemptus eſt: à quo etiam bigis alligatus, circum* Patrocli *ſepulcrum,* Troiæq; *muros tractus eſt.* Verg. *libro.* 1. Aen.

Ter circum Iliacos *raptauerat* Hectora *muros.*

Tand

Tandem eius corpus per duodecim dies inſepultum ab Achille *ſeruatum,* Priamus *auro redemit,idq́; ueteri more honorificentiſsimè cremauit.* Vide Home.*li.*23.Iliad.Hinc Hectoreus,*a,um.*Ouid.*in* Epiſt.

Nomine in Hectoreo *pallida ſemper eram.*

Hécuba,(ἑκάβη)*Priami* Troianorum *regis uxor fuit, filia* Dymantis,*teſte* Homero,*aut (ut* Ver. Euripidem *ſecutus ſentit)* Ciſsei *filia, capta* Troia*(ut* Poëtæ *fabulantur) in canem uerſa:ut fabulatur* Ouidius *libro decimotertio* Metam. *Quam fabulam inde ortam putat* Seruius, *quòd cùm à Græcis captiua abduceretur,& filij ſui* Polydori *corpus in mare abiectum agnouiſſet, quoniam aliter iniuriam ulciſci non poſſet, Græcos inanibus laceſsiuerit conuitijs.*

Hedui,*Galliæ populi ſunt,* Sequanis *finitimi,olim* Romanorũ *fratres dicti, quorum hodie loca* Burgundiones *tenent. Caput eorum eſt* Auguſtodunum:*de quo* Tacitus *libro* 3.

Hélena,æ,*ſiue* Helene,es , (ἑλένη) *filia fuit* Iouis *ex* Leda,Tyndari Laconiæ *regis uxore, quæ à* Ioue *in cygni formam tranſmutato compreſſa,duo peperit oua:ex quorum altero* Helena *&* Pollux,*ex altero* Caſtor *et* Clytæmneſtra *excluſi fuerunt.* Ex his Helena *cùm cæteris ſuæ ætatis fœminis formæ elegãtia præſtaret,à* Theſeo *rapta eſt adhuc uirguncula, non multò tamen pòſt* Caſtori *&* Polluci *fratribus eam repetẽtibus citra iniuriam reſtituta eſt, &* Menelao *uxor tradita:cui &* Hermionen *filiã peperit.* Poſt hæc *fama pulchritudinis eius illectus* Paris, *contractis aliquot nauibus in Græciam ſeſe contulit : ubi à* Menelao *hoſpitio ſuſceptus,clàm ſe in amorem* Helenæ *inſinuauit : tandemq́; abſente hoſpite* Helenam *rapuit,& in pa*

in patriam abduxit. Qua tam inſigni iniuria commoti Græcorum principes, de bello Troianis inferendo in Aulide Bœoti*æ coniurarunt.* Nec *multò pòſt mille contractis nauibus in* A*ſiam nauigarunt, multisq́; expugnatis oppidis, tandem* Ilium *obſederunt. Quo in bello cùm* Paris *oppetiÿſſet,* Helena *fratri eius nupſit. Verùm cùm eò iã res rediÿſſet, ut* Græci *armis diffidentes ad dolum ſeſe conuerterent,* Helena *quoq; proditionis particeps fuiſſe putatur, & facem (quod ſignum aggrediundi negotÿ inter ipſam &* Græcos *conuenerat) ex arce ſuſtulit: captaq́; iã urbe* Menelaum *in* Deiphobi *cubiculum introduxit: eoq́; interfecto cum priore uiro in gratiam rediÿt.*

Hélene, (ἑλένη) *alio nomine Cranaë, inſula eſt una ex Sporadibus, adiacens Sunio promontorio terræ Atticæ: inde dicta, quòd* Paris *raptæ* Helenæ *primum in ea ſtuprũ intulerit.*

Hélenus, (ἕλενος) *uir* Troianus *fuit, filius* Priami *ex* He*cuba, uaticinio clarus, quem quidã ob id à Græcis ſeruatum dicunt, quòd loca opportuna ad capiendam patriam ipſis indicaſſet. Quinetiam euerſo* Ilio *Pyrrhum à nauigatione prohibuit, cæteris abeuntibus naufragium prædixit. Quamobrem non ſolùm à* Pyrrho *ſeruatus, uerùm etiam liberaliter ab eo habitus eſt: cumq́; ille* Oreſti *Hermionen eripuiſſet,* Andromachen, *quam antea iuſtæ uxoris loco habuerat,* Heleno *conceſſit: adiecta etiam regni parte, quam* Helenus *de fratris ſui nomine Chaoniam appellauit: in qua & urbem ad ſimilitudinem Troiæ condidit, in qua & profugum* Aeneam *hoſpitio ſuſcepit. Vergil. lib. 3. Aen.*

–Cùm ſeſe à mœnibus heros
Priamides multis Helenus *comitantibus offert.*

Heliad

Heliades, (ἡλιάδες) *fuerunt filiæ Solis & Clymenes, ſorores Phaëthontis, quarum nomina ſunt Phaëthuſa, Lampetuſa, & Lampetia. Hæ cùm iuxta Padum mortem Phaëthontis fulmine deiecti inſolabiliter deflerent, in alnos, ſiue (ut alij uolunt) in populos uerſæ ſunt, electrum lacrymantes. Vocantur autem Heliades à patre Sole, qui Græcis* ἥλιος *dicitur. Ouidius libro 2. Metam.*

Nec minus Heliades lugent, &c.

Eædem & Phaëthontiades appellantur à fratre Phaëthonte. Vergilius Eclog. 6.

Tum Phaëthontiades muſco circundat amaræ
Corticis, atq; ſolo proceras erigit alnos.

Hélicon, (ἑλικών) *mons eſt Phocidis, ſinui Criſſæo incumbens, non procul à Parnaſſo, eiq; æmulus & altitudine & circuitu: qui & ipſe Apollini ſacer eſt & Muſis. Horat. lib. 2. Epiſt.*

Vt ſtudio maiore petant Helicona uirentem.

Hinc Heliconides, (ἑλικωνίδες) *& per epentheſin Heliconiades, Muſæ ſunt appellatæ. Perſius in prologo:*

Heliconiadas, pallidamq; Pyrenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces.

Dictus Helicon ab Helicone, qui ibi cum Cithærone fratre ſingulari certamine pugnaſſe fertur.

Hélice, es, (ἑλίκη) *Græco nomine dicitur, quæ à nobis Vrſa maior:* ἀπὸ τοῦ ἑλικος, *hoc eſt, à circũuolutione, quòd diei noctiſq; ſpatio circum polum Arcticum uoluatur. Ouidius 1. Triſtium:*

Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura notetur
Sidonijs, Helicen Graia carina notet.

Fuit item Helice, oppidum Achaïæ propriè dictæ, ad ſinum

num

num Criſſæum, maris impetu hauſtum. Plin.*libr.* 2. *cap.* 92. *Pyrrham & Antiſſam circa Mæotim Pontus abſtulit: Helicen & Buram in ſinu Corinthio: quarum in alto ueſtigia apparent.* Ouid. 15. *Metam.*

Si quæras Helicen & Buran Achæidos urbes,
Inuenies ſub aquis: & adhuc oſtendere nautæ
Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis.

Hellas, adis, (ἑλλὰς) *latiſsima Europæ regio, olim diſciplinarum omnium nutrix, quæ alio nomine Græcia dicitur. Initium ſumit ad Meridiem ab Iſthmi Corinthiaci anguſtijs: ad Septentrionem in Theſſaliam uſque protenſa: ad occaſum Acheloo fluuio ab Epiro dirimitur: ad Ortum Aegæo mari abluitur. Ptolemæus Achaiam appellat. Dicta Hellas ab Hellene Deucalionis filio, ut ſcribit Thucydides lib.* 1.

Helle, es, (ἕλλη) *Athamantis regis Thebarum, & Nephelès filia, quæ unà cum Phryxo fratre, nouercales inſidias metuens, cùm accepto à patre ariete aureo pontum uellet traijcere, magnitudine periculi conterrita, in mare decidit, eiq́; nomen fecit: quod etiam hodie ab eius nomine Helleſpontum uocant eruditi.* Ouid. 11. *Metam.*

Anguſtum circa pontum Nepheleïdos Helles
Laomedonteis Latonius adſtitit aruis.

Helleſpontus, (ἑλλήσποντος) *fretũ eſt anguſtum inter Propontidem, & mare Aegæum, Aſiam ab Europa ſeptẽ non amplius ſtadiorum interuallo diſterminans: ita dictũ ab Helle Athamantis filia in eo ſubmerſa.* Oui. 13. *Metam.*

Longus in anguſtum quà clauditur Helleſpontus.

Héneti, (ἐνετοὶ) *Paphlagoniæ populi fuerunt, qui Antenore duce cùm in intimum maris Adriatici ſinum ueniſſent, permiſti Troianis, omnes uno nomine Veneti appellati ſunt.*

ti ſunt. Liuius libr. 1. ab urb. Caſibus deinde uarijs Antenorem cum multitudine Henetûm, qui ſeditione è Paphlagonia pulſi, & ſedes, & ducem, rege Pylemene ad Troiã amiſſo, quærebant, ueniſſe in intimum maris Adriatici ſinum: Euganeisq́;, qui inter mare, Alpesq́; incolebant, pulſis, Henetos, Troianosq́; eas tenuiſſe terras: & in quem primum egreßi ſunt locum, Troia uocatur: pagoq́; inde Troiano nomen eſt: gens uniuerſa Veneti appellati.

Heníochi, (ἡνίοχοι) populi Pontici, Achæis finitimi, latrocinijs ac piratica uictitantes. Originem ac nomen traxiſſe putantur ab Amphito, & Telchio Caſtoris & Pollucis aurigis, teſte Plinio libro 6. capite 5. Nam ἡνιόχους Græci aurigas uocant: quaſi τὰ ἡνία ἔχοντας. Vide plura de his apud Strabonem libro 11.

Heptápylos, (ἑπτάπυλος) Thebarum Bœoticarum epitheton, à ſeptem portarum numero ductum: idq́; ad diſcrimen Thebarum Aegyptiarum, quæ à numero centum portarum ἑκατόμπυλοι dicebantur.

Hera, (ἥρα) Iunonis nomẽ apud Græcos: unde Heræa, (ἡραῖα) ipſius feſta, & Heræũ, (ἡραῖον) tẽplũ eius appellãt. Sed in hac ſignificatione producit penultimam, cùm apud Græcos ſcribatur per η uocalẽ lõgam. Vnde λευκώλενος ἥρη, apud Homerum aliquoties legitur in fine uerſus.

Heraclîtus, (ἡράκλειτος) Philoſophus fuit Epheſius, σκοτεινὸς cognominatus, hoc eſt, tenebricoſus, propterea quòd de induſtria adeò obſcuraret ſtylum, ut eius ſcripta Philoſophi ſudantes uix intelligerent. De hoc memoriæ proditum, quoties domo egrederetur, flere ſolitum, cùm Democritus contrà ſoleat ridere, propterea quòd alteri omnia, quæ agimus, miſeriæ, alteri ineptiæ uiderentur. Vergente in ſenium ætate in hydropem incidiſſe ferunt,

cumq́;

cumq; ſpretis medicis, fimo bubulo ſe obleuiſſet, & ad Solem ſeſe ſiccaret, dormiẽtem à canibus eſſe dilaceratum. Huius dictionis penultima ſyllaba contra uulgi abuſum producitur, cùm apud Græcos ει diphthongo ſcribatur. Lucret. lib. 1.

Heraclitus init quorum dux agmina primus.

Hercêus, *(ἑρκεῖος) Iouis cognomentum, inde impoſitum, quòd intra ſeptum domus uniuſcuiuſq; coleretur. Græcè enim ἕρκος ſeptum clauſtrumq; nominatur. Oui. in Ibin,*

Cui nihil Hercei profuit ara Iouis.

Hércules, *(Ἡρακλῆς) Iouis & Alcmenæ filius, ob fortitudinem & gloriam inter Deos relatus. Cic. lib. 3. de Nat. deor. ſex hoc nomine fuiſſe appellatos cõmemorat: quorum primus fuit, qui certauit cum Apolline de tripode. Alter, Nilo natus, Aegyptius, quem aiũt Phrygias literas inueniſſe. Tertius, ex Idæis Dactylis, cui inferias afferunt. Quartus, Iouis filius, ex Asteria Latonæ ſorore, qui Tyri colitur, filiamq; habuit Carthaginem. Quintus, in India, qui & Belus dicitur. Sextus, Thebanus, ex Alcmena & Ioue tertio genitus, cui aliorũ geſta aſsignant. Herodotus ſcribit, Herculẽ unũ eſſe ex duodecim dijs Aegyptiorũ Græcosq; ab Aegyptijs hoc nomẽ mutuatos indidiſſe filio Amphitryonis. Varro XLIII. Hercules nominat: omnes tamen qui robore præſtiterunt, hoc nomine ab Hercule Alcmenæ filio appellatos fuiſſe affirmat. Macro. li. 1. Sat. ca. 20. aſſerit Herculẽ eũdem eſſe cum Sole. Et reuera, inquit, Herculẽ Solẽ eſſe uel ex nomine claret. Ἡρακλῆς enim quid aliud eſt, niſi ἥρας, id eſt, aëris κλέος? Quæ porrò alia aëris gloria, niſi Solis illuminatio eſt, cuius receſſu, profunditate ſpiritus occulitur tenebrarum? Duodecim autem illi labores, quos Hercules creditur cõfeciſſe,*

ſe, nihil aliud ſignificant, quàm XII. ſigna zodiaci, quæ Sol ſingulis annis conficit. Sed de hoc uide plura apud Macrobium. Herculem autem Alcmenes filium maximè nobilitauit implacabile Iunonis odium, quæ quòd ex pellice natus eſſet, perdere illum cupiens, nouis ſemper monſtris obiecit: quæ res expectationem eius maximè fefellit. Ille enim ſemper uictoriam referens, immortale ſibi decus peperit, adeò ut illa prius iubendo, quàm hic laborando defatigaretur. Quo factum eſt, ut licet multi fuerint Hercules, qui uarijs temporibus floruerunt, omnes heroica uirtute rerumq; geſtarum magnitudine inſignes, tamen huic uni reliquorum omnium labores tribuantur: quorum quando nuſquam non mentio occurrit, uiſum eſt celeberrimos aliquot ſubijcere. Primò itaq; cùm adhuc in cunabulis iaceret, geminos angues à Iunone immiſſos eliſit. II. Theſpij filias numero quinquaginta adhuc puer, ſed corporis robore præſtans, una nocte compreßit, ſuſcepitq; quinquaginta filios, quos Theſpiadas uocauerunt. III. Iam adultus Hydram colubris & capitibus pullulantem, face & ferro in Lerna palude oppreßit. IIII. Ceruam aëripedem, aureaq; habentem cornua, in Mænalo monte curſu compræhendit, atq; interfecit. V. In Nemea ſylua iuxta Cleonas inuſitatæ magnitudinis leonem iugulauit, & detractam pellem pro inſigni geſtauit. VI. Diomedem Thraciæ regem, qui equos ſuos hoſpitum carnibus & ſanguine paſcebat, deuicit, uictumq; ipſius equis in pabulum dedit. VII. In Erymantho Arcadiæ monte terribilem aprum, & omnia circa illum locum deuaſtantem, cepit, eumq; uiuum ad Euryſtheum attulit. VIII. Stymphalides aues ſagittis, ut quidam uolunt, interfecit: ut alijs ſonitu aheneì crepitaculi uſq; ad inſu-

lam Aretiada fugauit. IX. *Taurum inſulam Cretam ferè totam deuaſtātem domuit, eumq́; uinctum ad Euryſtheum attulit: qui poſteà eum Atticæ regioni immiſit, cui plurimum damni intulit: ſed à Theſeo interfectus fuit apud Marathonem, ut canit Ouid. lib. 7. Metam.* X. *Acheloum ſuperauit, ut ſuprà dictum eſt.* XI. *Buſiridem Aegypti regem hoſpites ſuos mactantem occidit.* XII. *Antæum gigantem in Libya lucta uictum ſuffocauit.* XIII. *Calpen & Abylam montes antea cōiunctos, diuiſit.* XIIII. *Aurea mala in Heſperidum hortis, interempto prius dracone peruigili, qui ea cuſtodiebat, ſuſtulit.* XV. *Cœlum, iam feſſo & ſuccumbente ponderi Atlante, humeris tulit.* XVI. *Geryonem Hiſpaniæ regem tricorporem bello ſuperauit, eiusq́; armenta abduxit.* XVII. *Cacum latronem, Vulcani filiū, ſemihominem, & flammiuomum, oppreſſit.* XVIII. *Lacinum latronem, extremam Italiæ oram infeſtantem, ſuſtulit, ibiq́; Iunoni templum cōſtituit, quod Iunonis Laciniæ appellauit.* XIX. *Albionem & Bergionem iter ipſius impedientes, haud longè ab oſtio Rhodani, à Ioue patre lapidum imbre adiutus, deuicit.* XX. *Pyrechmum Eubœæ regem, Bœotijs bellum inferentem profligauit, eumq́; pullis equinis alligatum in diuerſas partes diſcerpſit.* XXI. *Centauros domuit.* XXII. *Augiæ ſtabulum repurgauit.* XXIII. *Heſionen Laomedontis filiam monſtro marino expoſitam liberauit, occiſo prius ceto: ſed cùm Laomedon equos præſtantiſſimos in præmium illi pollicitos, denegaret, Hercules indignatus, Troiam euertit, & occiſo rege Heſionen Telamoni, qui primus murum conſcenderat, in prædæ partem conceſſit.* XXIIII. *Diripuit inſulam Côn, regemq́; Eurypylum cum uxore & liberis trucidauit. Vide ſuprà in dictione Côs.*

Cōs. XXV. Amazonas debellauit, earumq́; reginam Hippolyten cepit, cui baltheum abſtulit, Euryſtheoq́; regi tradidit: captam uerò Amazonem Theſeo bellorum ſocio dedit. XXVI. Ad inferos deſcendit, & Cerberum iter prohibentem, triplici catena uinctum ad ſuperos traxit. Sunt qui dicant Herculem etiam adiuuiſſe Theſeum in rapienda Proſerpina: alij ſolum Theſeum eam eduxiſſe ad ſuperos, Ditemq́; uulneraſſe. XXVII. Alceſtim Admeti regis coniugem ab inferis ad uirum reduxit. XXVIII. Ab inferis reuerſus Lycum Thebarum regem, eò quòd Megaræ cōiugi uim uoluiſſet inferre, interemit. XXIX. Aquilam, quæ Promethei in Caucaſo religati perpetuò renaſcens iecur exedebat, ſagittis traiecit. XXX. Cygnum Martis filium equeſtri certamine uicit. XXXI. Occîdit Theodamantem, quòd ei cibum denegaſſet, illiusq́; filium Hylam ſibi chariſſimum, ſecum abduxit. XXXII. Cercopas uicit, dum Omphalæ Lydorum reginæ ſeruiret. XXXIII. Pylum diripuit, eiusq́; regem & Neleum, cum tota domo, præter Neſtorem trucidauit: inſuper Iunonem Neleo opem ferentem telo triſulco uulnerauit. XXXIIII. Eurytum Oechaliæ regem occîdit, ipſamq́; Oechaliam urbem deleuit, & Iolen Eurytiſiliam ſibi denegatam (quam tamen parens antea ei deſponderat) ui obtinuit, eamq́; ſecum in Eubœam abduxit. Quod cùm Deianira coniunx reſciuiſſet, maritum ſuum Ioles amore detineri, per Lycham ſeruum ueſtem illi miſit Neſſi Centauri ſanguine infectam, futurum rata, ut ea ratione languentem uiri amorem excitaret, eumq́; ab alijs auulſum, ad ſe unum reuocaret, quemadmodum Centaurus ipſi perſuaſerat. Cùm itaq; Hercules ueſtem ſacrificaturus induiſſet, in tantam rabiem uerſus eſt, ut conſtructa

pyra ſeipſum combuſſerit. Poſt *mortem uerò in* Deorum *numerum relatus eſt,* Hebenq; *iuuentutis deam uxorem accepit.*

Hermaphrodîtus,(ἑρμαφρόδιτος) Mercurij & Veneris *filius, ut ex ipſa ſtatim uocis compoſitione apparet.* Nam Mercurius, ἑρμῆς, Venus ἀφροδίτη *à* Græcis *dicitur.*Hic *cùm uagabundus in* Cariam *ad limpidiſſimum fontem, quem* Salmacis Nympha *incolebat, perueniſſet, illa ſubitò eius amore correpta (erat enim adoleſcens formoſiſſimus) cùm neque blanditijs, neq; precibus ad concubitum flectere eum poſſet, ſimulato receſſu poſt uepres latuit.*Is *autem* Nympham *abijſſe ratus, fontem nudus intrauit: quod uidens* Salmacis, *ſubitò accurrit, & abiectis ueſtibus arctiſſimè eum complexa eſt. Sed cùm ne ſic quidem obſtinatum iuuenis animum exorare poſſet, à dijs petijt: ut ex duobus corporibus in unum redigerentur. Quibus precibus à ſuperis exauditis, ambo in unum corpus coaluerunt, ita tamẽ ut ſexus uterq; integer remaneret. Quod cùm uidiſſet* Hermaphroditus, *à ſuperis petijſſe dicitur, ut ea fonti natura maneret, ut qui uir eum intraret,* ἀνδρόγυνος, *id eſt, utrunq; ſexum habens, exiret.*Hinc *factum eſt, ut omnes* Androgyni *ab huius unius nomine uocentur* Hermaphroditi.Latius *deſcribitur hæc fabula ab* Ouidio *lib.4.*Metam.

Hermíone,(ἑρμιόνη) *oppidum eſt maritimum in* Orientali *latere* Peloponneſi, *ad ſignum* Argolicum, Phliunti *proximum.* Verg.*in* Ciri:

Hinc ſinus, hinc regio contrà patet Hermionæ.

Quo in loco Vergilij(*modò emendata ſit lectio*) *penultima uocis huius ſyllaba producitur, cùm apud* Ptolemæũ, Strabonem, *cæteroſq;* Græcos *per o paruum ſcribatur.*

Quò

Quò ſit,ut cum iis ſentiam,qui in citato Vergilij carmi=ne Statio Hermionæa,malunt legere.

Hermíone,(ἑρμιόνη) *filia fuit* Menelai *ex* Helena,*quã* Tyndarus *auus maternus* Oreſti *deſpondit ignaro patre, qui id temporis pro* Helena *uxore bellum ad* Troiam *gerebat. Quo in bello cùm* Achilles Paridis *fraude occiſus eſſet,* Pyrrhusq́; *filius eius in patris locum ſucceßiſſet,* Menelaus *ignarus eorum,quæ à ſocero geſta erant,*Hermionen Pyrrho *deſpondit,& in patriam reuerſus uxorem ei tradidit. Quam rem ægrè ferens* Oreſtes,Pyrrhum *in* Apollinis *templo trucidauit, ſponſamq́; ſuam recepit.* Extat *apud* Ouidium Epiſt.Hermiones *ad* Oreſtem.

Hermus, (ἕρμος) *fluuius minoris* Aſiæ, *aureas arenas trahens.* Oritur *iuxta* Dorylaum Phrygiæ *ciuitatem, auctusq́;* Pactolo,Smyrnæ *campos irrigat,tandemq́; in* Phocaicum *ſinum illabitur. Vide* Plinium *lib. 5. cap. 29. &* Strabonem *libro 13.* Verg.2.Georg.

Nec pulcher *Ganges,atque auro turbidus* Hermus.

Hérnici, (ἕρνικες) *populi* Campaniæ *loca ſaxoſa incolentes:unde & nomen acceperunt. Nam* Hernias Sabini *ſaxa uocant.* Hos *tamen* Hernicos *appellatos uoluit* Macrobius *ab* Herno *quodam* Pelaſgo *ipſorum duce.*Horum *metropolis eſt* Anagnia.Verg.*lib.7.*Aen.

–Et roſcida riuis

Hernica *ſaxa colunt,quos diues* Anagnia *paſcit.*

Hero,*uide* Ero.

Heroſtratus, (ἡρόστρατος) Epheſius *homo ignauus fuit,& ſceleſtus, qui celeberrimum illud* Dianæ Epheſiæ *templum ſuis manibus incendit,ut ea re nominis immortalitatem ſibi compararet.*Epheſij *autem ne ſperatum ex ſcelere fructum conſequeretur, ſeueriſsimis edictis caue=*

runt, ne quis eum unquam nominaret: non tamen efficere potuerunt, ut nomen illius ad nos non perueniret: ut ſcribit Strabo lib. 14.

Heſíone, (ἡσιόνη) *Laomedontis Troiæ regis filia, quam Hercules ceto expoſitã liberauit. Verùm cùm Laomedon accepti beneficij immemor, pactam ei mercedem denegaret, Hercules hominis perfidiam ægrè ferens, Troiam diripuit, Heſioneq́; Telamoni, qui primus murum cõſcenderat, uxorem dedit. Vide latius hanc fabulam apud Oui. lib. 11. Met.*

Heſpéria, (ἑσπερία) *nomen eſt tam Italiæ, quàm Hiſpaniæ commune: Italiæ quidem ab Heſpero Atlantis fratre impoſitũ, qui à fratre pulſus regionẽ eã tenuit: Hiſpaniæ uerò ab Heſpero ſtella, quæ ueſperi ad Occidentẽ apparet, propterea quòd hæc regio omniũ extrema ſit ad Occidentem: unde & Heſperiam ultimam à Poëtis ferè uidemus appellari, ut eo ueluti peculiari epitheto, ab Italia diſtinguatur. Horat. lib. 1. Car.*

Qui nunc Hoſperia uictor ab ultima, &c.

Quoties uerò Heſperiam ſine adiectione dicimus, Italiam ferè intelligimus. Verg. 1. Aen.

Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt,
Oenotrij coluere uiri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, &c.

Heſpérides, (ἑσπερίδες) *appellatæ ſunt Heſperi fratris Atlãtis filiæ, Aegle, Arethuſa, & Heſperethuſa, quas Poëtæ fabulãtur habuiſſe hortos, nemore aurifero pretioſos, à dracone peruigili ſeruatos, quem Hercules dicitur interfeciſſe, pomaq́; aurea ad uitricũ Euryſtheum retuliſſe. Plinius & Solinus interpretantur fuiſſe æſtuariũ maris, meatu flexuoſo inſtar draconis, quod hortos Heſperidum*

amplectebatur, ubi præter oleaſtrũ, aliud nihil ex narrato illo aurifero nemore extare prodiderunt. Varro per mala aurea oues ſignificari dicit, quas Hercules ex Africa in Græciam exportauerit. Nam μῆλον apud Græcos ſignificat ouem & pomum. Verg. Eclo. 6.

Tum canit Heſperidum miratam mala puellam.

Héſperus, (ἕσπερος) *filius Iapeti, & frater Atlantis, qui à germano regno pulſus, in Italiã ſeſe contulit, regionẽq; eam Heſperiã de nomine ſuo appellauit. Autor eſt Diodorus Siculus fabuloſæ hiſtoriæ lib. 2. Heſperum hunc Atlantis montis cacumen aſcendiſſe, ut ex loco eminentiore aſtrorum curſus commodius obſeruaret: nunquam autem deinde comparuiſſe. Quo factum eſt, ut uulgus in aſtrum illud lucidiſſimũ uerſum putarit, quod manè Solem præcedens, Luciferum, ueſperi ſubſequens de nomine eius Heſperum appellamus. Verg. Eclog. 7.*

Ite domum ſaturæ, uenit Heſperus, ite capellæ.

Hetrúria, (τυῤῥηνία Steph.) *regio eſt Italiæ, Tyrrheno mari incumbens, ad primam uſq; Tyberis ripam protẽſa, Macra fluuio à Liguria diſcreta: auguriorũ olim & haruſpicinæ peritiſſima. Claudianus in Rufinum:*

Fulmineos ſolers Hetruria conſulat ignes.

Dicta eſt autẽ Hetruria, quaſi ἑτερορία, ἀπὸ τοῦ ἑτέρου καὶ ὄρου: eò quòd extẽdebatur ad alterã ripam Tyberis: qui eſt terminus inter Latiũ & Hetruriam. Hinc Hetruſci, (τυῤῥηνοὶ) ſunt dicti regionis eius incolæ. Martial. lib. 3.

Quantum ſollicito fortuna parentis Hetruſco, &c.

Híarbas, *uide Iarbas.*

Híera, (ἱερὰ) *inſula inter Siciliam, & Liparã, una ex Aeolijs, in qua uetuſtas Vulcani officinã collocauit, propterea quòd noctu cerneretur ignis quamplurimum, interdiu ue-*

rò fumum copiſißimum emittere : ut eſt autor Thucydi-des lib.3. Hiera *item dicta fuit uxor* Telephi *regis Myſorum, cui tanta fuit formæ præſtantia, ut ipſam etiam* Helenen *diceretur ſuperare.* Hæc *à* Nereo *interfecta dicitur, cùm uiro ab* Achille *uulnerato opem ferre conaretur.* Hyginus *tamen* Fab.poët.cap.101. *Telephi uxorem non* Hieram *facit, ſed* Laodicen, *Priami filiam.*

Himera, (Ἵμερα) *fluuius eſt Siciliæ, in duo ſectus cornua, quorum alterum dulcibus, alterum ſalſis fluit aquis.* Silius *libro quarto,*

Armauere ſuos, quà mergitur Himera *ponto.*

Hippe, (Ἵππη) *Chironis Centauri filia fuit, quæ cùm in mõte* Pelio *ſeſe uenando exerceret, grauida facta eſt, & ob id patris indignationem timens, deorum miſeratione in equam conuerſa eſt, & in cœlum translata. Sunt qui* Hippen *mulierem fatidicam fuiſſe aſſerant, ideoq; in equam eſſe mutatam, quòd deorũ arcana mortalibus enuntiaſſet.*

Hippocentauri, (Ἱπποκένταυροι) *monſtroſum hominũ genus in* Theſſalia *iuxta* Pelion *montem, anteriore parte (ut* Poëtæ *fabulantur) hominum, poſteriore equorum effigiem referentium. Cui fabulæ occaſionem miniſtraſſe uidetur, quòd primi equos domare cœperint, ijsq; ita aptè inſidere, ut homines cùm equis unum in corpus coaluiſſe uiderentur.* Iidem *antea* Centauri *dicebantur,* παρὰ τὸ κεντεῖν τοὺς ταύρους, *hoc eſt, ab eo quòd tauros ſtimulis agitarent.* Verùm *cùm idẽ poſtea ex equis præſtarẽt, ijsq; inſidentes ſtimulis tauros præ ſe agerent,* Hippocentauri *dici cœperunt : qui cùm ad* Peneum *amnem aquatum uenißent, conſpecti ab ulterioris ripæ accolis pro monſtris habiti ſunt, præſertim cùm inclinata potandi gratia equorum capita non conſpicerẽtur.* Hinc *factus eſt locus fabu-*

læ, Hippocentauros monſtroſam Centaurorum ſobolem fuiſſe, quæ dimidia ſui parte hominem, reliqua equum referret, quam tamen certum eſt nunquàm extitiſſe. Quod & Cicero affirmat 2. de Nat. deo. Quis (inquit) Centaurum fuiſſe, aut Chimæram putat? quæ'ue anus tam excors inueniri poteſt, quæ illa, quæ quondam credebantur, apud inferos portenta extimeſcat? Hæc Cicero.

Hippocrêne, (ἱπποκρήνη) *fons in Bœotia, non procul ab Helicone monte, quem Poëtæ fabulantur factum eſſe ungula Pegaſi equi alati: cui fabulæ occaſionem uidetur miniſtraſſe Cadmus, qui cùm in Bœotia locum urbi condendæ quæreret, huc illuc obequitans, hūc fontem primus creditur inueniſſe. Et quoniam Cadmus literarum inuentor creditur, factū eſt, ut hic fons Muſis ſacer habeatur. Perſius ad uerbum reddens uocem Græcam, Fontē Caballinū appellat. Nam ἵππος nobis equum ſonat, & κρήνη fontem. Ouid. 5. Faſt.*

Dicite quæ fontes Aganippidos Hippocrenes,
Grata Meduſæi ſigna tenetis equi.

Hippódame, es, (ἱπποδάμη) & Hippodamîa, æ, ἱπποδάμεια) *filia Oenomai regis Elidis & Piſarum, qui cùm ex oraculo, ſe à genero interemptum iri didiciſſet, & illa tamen à multis procis ob formæ præſtantiam expeteretur, curule certamen procis propoſuit (habebat enim equos uelociſſimos, qui ex uentorum flatu creati erant) ea lege, ut qui uinceret, filiā haberet, uictus ſubiret mortē. Tredecim igitur uictis & occiſis, Pelops Tantali filius uiſa puella eius amore protinus exarſit: cuius nuptias ut aſſequeretur, Myrtilum eius aurigam pollicitis corrupit, ſic ut ille axes infirmos & fragiles ſubiunxerit, uel ut alij uolunt, obicem axi nō obiecerit: & ſic fracto, uel diſ-*

ſoluto curru, Oenomaus excidit, moriensq; Myrtili caput deuouit: obteſtans Pelopem, ut uicem ſuam ulciſceretur: quod & factum eſt. Cùm enim pactum ſibi perfidiæ præmium à Pelope poſceret, ab eodē in mare deiectus eſt, atq; hoc modo Pelops puella et regno potitus eſt. De hac Oui.

Venit ut in Phrygios Hippodamia ſinus.

Vergil. 3. Georg.

Hippodameq;, humeroq; Pelops inſignis eburno.

Alia item fuit Hippodamia Briſæ filia, quam Achilles expugnato Lyrneſſo oppido ſecum abduxit. Hanc poëtæ à patris nomine Briſeida appellant. Alia quoq; Hippodamia fuit Anchiſæ filia, quæ Alcathoo Troiano uxor data eſt, quem poſtea Idomeneus Cretēſis in pugna occîdit. Fuit & alia Hippodamia Pirithoi uxor, quam cùm ipſo nuptiarum die Centauri ei præripere conarentur, ab Hercule & Theſeo ingenti clade ſunt profligati. Vide Ouid. 12. Metam.

Hippólochus, (ἱππόλοχος) filius Bellerophontis, & pater Glauci, teſte Homero libro 6. Iliad. Fuit & alter Hippolochus, Antimachi Troiani filius, unà cum Piſandro fratre in bello Troiano interfectus: teſte eodem Homero lib. 11. Iliad.

Hippólyte, (ἱππολύτη) Amazonum regina fuit, quam Hercules prælio ſuperatam Theſeo uxorem dedit, cui & Hippolytum peperit. Propertius lib. 2.

Felix Hippolyte nuda tulit arma papilla.

Hippólytus, (ἱππόλυτος) Theſei & Hippolytæ Amazonis filius fuit, qui cùm cœlibem ducens uitam uenatu ſeſe exerceret, & conſtanti animo ſperneret mulieres, à Phædra nouerca abſente patre amatus eſt: cuius turpi deſiderio cùm Hippolytus obtemperare noluiſſet, illa filium

lium apud patrem detulit, tanquam de ſtupro eam appellaſſet. Quamobrem cùm uideret Hippolytus *patrem nouercæ dolo perſuaſum de nece ſua cogitare, conſcenſo curru fugam arripuit. Sed dum phocæ, quæ tum fortè in littus exierant, equorum & rotarum ſtrepitu perterritæ, magno impetu ſe in mare præcipitarent, exterriti equi, fruſtrà obluctante* Hippolyto, *currum per ſcopulos & ſaxa traxerunt, iuuenemq; infelicem loris implicitum uarias in partes diſcerpſerunt.* Hunc *poſtea* Aeſculapius *à* Diana *exoratus, reuocauit ab inferis, & priſtinæ incolumitati reſtituit.* Hippolytus *uerò relicta* Attica *in* Italiam *ſeſe contulit, &* Virbium *ſe appellari iuſſit, quòd bis uir fuiſſet: ubi & uxorem* Ariciam *nomine duxit, urbemq; condidit non procul à* Roma, *quam de nomine illius* Ariciam *appellauit.* Vide *hæc latius apud* Ouid. *libro* 15. *Metamorph.*

Hippómenes, (ἱππομένης) Megarei, & Meropes *filius fuit, qui cùm* Atalantam Schœnei *filiã adamaret,* Veneris *beneficio uoti ſui factus eſt cõpos. Nam cùm illa uirginitatem illibatam cuperet ſeruare, procis ſuis curſus certamen ea lege propoſuit, ut illi inermes currerent, ipſa cum telo inſequeretur, & quem curſu aſſequi poſſet, uenabulo confoderet. Cùm itaq; non paucos ſpe nuptiarum eius illectos, neci tradidiſſet,* Hippomenes, *qui & ipſe amore eius tenebatur, neq; tamen pedibus ſatis fidebat,* Veneris *opem implorauit: quæ tria illi aurea mala tradidit, & quis uſus eſſet in illis, edocuit. Hiſce itaque fretus* Hippomenes *curſu cum* Atalanta *certare non dubitauit: cumq; parum abeſſe uideret, quin illa præcurrentem aſſequeretur, mala aurea à* Venere *accepta quàm lõgiſsimè extra uiam diuerſa in latera abiecit: quorum pul-*

chrit

chritudine capta Atalanta,*dum ea colligit,aurumq; admiratur,*Hippomeni *uictoriam tradidit.* Hac itaq; *ratione uoti ſui compos effectus,cùm* Veneri,*cui uictoriam debebat,gratias agere neglexiſſet,illa indignata tam effrænatam illi cupiditatem iniecit,ut in ipſo* Matris *deûm delubro, nulla habita numinis reuerentia,cum uxore concubuerit.* Quod *flagitium ægrè ferens* Cybele, Hippomenen *in leonem,* Atalantam *uerò in leænam commutauit.* Vide Ouid.*lib.*10.*Metam.*& Hyginum Fab. Poëticarum *cap.*185.

Hippôna,(ἱππώνη) *dea erat,quam ſtabularij maximè cõlebant,cuiuſq; effigies in ſtabulis locabatur.* Apuleius *libro ſecundo Metamorphoſeos,* Reſpicio *pilæ medio,quæ ſtabuli trabes ſuſtinebat.* In *ipſo uerò meditullio* Hipponæ *deæ ſimulacrum reſidens ædiculæ,quod accuratè corollis roſeis quidem recentibus fuerat ornatum.* Iuuen. *Satyr.*8. -*Iurat*

Hipponam & *facies olida ad præſepia pictas.*

Hippótades,(ἱπποτάδης) *patronymicum maſculinum, ab* Hippote *deductum:quo* Poëtæ *ferè utuntur pro* Aeolo *uentorum rege,* Hippotæ Troiani *ex* Segeſta *filia nepote.*Ouid.11.*Metamor.*

Quòd *pater* Hippotades *tibi ſit,qui carcere fortes*
Contineat *uentos,&c.*

Hiſpánia,(ἱσπανία, ἰβηρία) *regio latiſſima* Europæ, *quæ à montibus* Pyrenæis *incipiens, per columnas* Herculis *circumiens,uſq; in* Borealem Oceanum *protẽditur.* Diuiditur *autem omnis* Hiſpania,*teſte* Plin.*lib.*3. *cap.* 1. 2.& 3.*in* Citeriorem,& Vlteriorem. Vlterior *rurſus ſecatur in duas partes,in* Bæticam,*quæ hodie* Granata *dicitur:*& Luſitaniam,*quàm uocant* Portugalliam,*quæ* Ania

na fluuio à Bætica diſtinguitur. Vlterioris Hiſpaniæ conuentus erant quatuor: Gaditanus, Cordubenſis, Aſtigitanus, & Hiſpalenſis. Citerior autem, quæ & Tarraconenſis dicebatur, in ſeptem diuidebatur conuentus: Carthaginienſem, Tarraconẽſem, Cæſarauguſtanũ, Cluníenſem, Aſturum, Lucenſem, & Bracarum, ut eſt uidere apud eundem Plinium lib.3.cap.3. Omnis autem Hiſpania ab Ibero fluuio primùm dicta fuit Iberia: poſtea ab Heſpero Atlantis fratre, ſiue (ut alij malunt) ab Heſpero ſtella lucidiſsima, quæ ueſpertino tempore in Occidente apparet, ſolem ſubſequens, uocata eſt Heſperia: ultimò uerò ab Hiſpali urbe ad fretum Atlanticum ſita, quam hodie Sibiliam uocant, dicta fuit Hiſpalia: unaq; deinde litera immutata, Hiſpania. Tibullus lib.4.

–Nec latis audax Hiſpania terris.

Homêrus, ri, (Ὅμηρος) *nomen poëtæ Græci excellentiſsimi, qui floruit ante Romam conditam annis circiter centum ſexaginta: ut Cornelius Nepos in libris Cronicorum tradit. Hic fuit cæcus, & ob id Homeri nomen ſortitus eſt, quum prius Meleſigenes diceretur, quòd ad Meletem fluuium natus eſſet. Cumæi nanque & Iones captos oculis ὁμήρους appellant, quòd ὁμήροις, id eſt, itineris ducibus, egeant. Hinc Cæcutiens Mæonius nuncupatur à Martiano lib.1. de Nupt. Philologiæ. De patria eius nihil certi traditur. Fecit enim nominis eius claritas, ut quem uiuum, rebuſq; omnibus egentem, nemo agnouerit, nunc multæ Græciæ urbes certatim ſibi uendicẽt, adeò ut quib⁹ potiſsimũ credere debeamus, nõ facilè fuerit diſcernere. Quod etiam teſtatur Cic. pro Archia: Homerum (inquit) Colophonij ciuem eſſe dicunt ſuum, Chij ſuum uendicant, Salaminij repetunt: Smyrnæi uerò ſuum eſſe confirmant:*

itaque

itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt: multi alij præterea pugnant inter ſe, atq; contendunt. Extat ea de re diſtichon Græcum apud Gellium lib.3.cap.11.

Ἑπτὰ πόλεις διεβρίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,

Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν, χίος, ἄργος, ἀθῆναι.

Reliquam eius uitam breuitatis cauſa hîc prætermittimus: quam qui latius noſſe cupit, Herodotum adeat, & Plutarchum.

Hómole, es, (ὁμόλη Stephano) mons eſt Theſſaliæ, Centaurorum olim ſedes, quemadmodum & Othrys. Vergil. 7. Aeneid.

Ceu duo nubigenæ cùm uertice montis ab alto
Deſcendunt Centauri, Homolen, Othrynq; niualem
Linquentes.

Hora, (ὥρα) Deæ cuiuſdam nomen erat apud Romanos, ita dicta ἀπὸ τῆς ὥρας, hoc eſt, à uenuſtate & pulchritudine, cui præeſſe putabatur. Hanc Romani putabant eſſe Herſiliã Romuli uxorẽ, quæ poſt Romuli apotheoſin in cœlũ translata, pro Herſilia uocata eſt Hora. Ennius:

Téque Quirine pater ueneror, Horamq; Quirini.

Apud Ouid. tamen in fine lib. 14. Metam. legitur Ora, ſine aſpiratione, & priore correpta.

-Priſcum (inquit) pariter cum corpore nomen
Mutat, Orãq; uocat: quæ nũc Dea iuncta Quirino eſt.

Horátius Cocles, nobilis fuit Romanus, qui eo in bello, quod Porſena Hetruriæ rex pro reſtitutione Tarquiniorum cum Romanis geßit, cùm Ianiculum iam captum uideret, hoſteſq; inde in urbem irruere, reliquis omnibus attonitis, & in fugam conuerſis, duobus tantùm comitatus, hoſtium impetum tantiſper remoratus eſt, donec pons à tergo ſolueretur. Quem cùm iam interciſum uideret,

ut

ut erat armatus, in Tiberim inſilijt, & incolumis ad ſuos tranauit. Verg. 8. Aeneid.

Illum indignanti ſimilem, ſimilemq; minanti
Aſpiceres, pontem auderet quòd uellere Cocles.

Horátius Flaccus, (ὀράτιος) poëta Venuſinus, Lyricorum & Satyrarum ſcriptor, qui anno Imperij Augusti Cæſaris XXXIII. ætatis uerò ſuæ LXIII. moriens, Augustum reliquit hæredem, maxima pompa apud Mecœnatem in Exquilijs ſepultus. Scripſit Carminum lib. 4. Epodon lib. 1. Satyrarum lib. 2. De Arte poëtica lib. 1. & Epiſt. lib. 2. quæ etiam hodie omnium teruntur manibus.

Hunni, (ὗννοι) populi ſunt, qui quondam in Scythia Europæa ſuper Mæotim paludem incoluere: deinde mutatis ſedibus, ingenti multitudine in Pannoniam irrupere. Hæc gens temporibus Valentiniani principis duce Atila totam penè Europam peruagata, Galliam, Italiamq; fœdiſsimis cladibus affecit: donec Leonis Pontificis precibus uicta, rurſus ſe recepit in Pannoniam. Quare credibile eſt, Hunnos eos eſſe, qui etiam hodie Pannoniam incolunt, paucis immutatis literis Hungari appellati.

Hyacínthia, orum, (ὑακίνθια) ſacra erant nocturna, à Lacedæmonijs inſtituta in honorem Hyacinthi pueri, ab Apolline diſci iactu interfecti. Quod & teſtatur Ouid. lib. 10. Metam.

Nec genuiſſe pudet Sparten Hyacinthon: honorq;
Durat in hoc æui: celebrandaq; more priorum,
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.

Hyacinthus, (ὑάκινθος) puer fuit Amyclæus, eodem tempore à Zephyro & Apolline adamatus. Verùm cùm in Apollinis amorem propenſior eſſet, ægrè id ferens Zephyrus, amorem in odium conuertit. Cùm itaq;

Apollo

Apollo cum Hyacintho *ſuis delicijs diſci iactu ſeſe exerceret,*Zephyrus *nocendi occaſionem nactus,diſcum ab* A*polline emiſſum flatu ſuo in caput* Hyacinthi *conuertit, puerumq; interemit.*Cuius *mortem cùm ægerrimè ferret* Apollo, Tellus *in amatoris dei ſolatium, cruorem eius commutauit in florem ſui nominis.* Refertur *hæc fabula à* Palæphato *in tractatu de* Fabuloſis *narrationibus, & paulò aliter ab* Ouidio *lib.*10.Metamor.

Hyades,(ὑάδες Suidæ)*ſtellæ ſeptem in capite* Tauri,*quæ quoties naſcũtur,uel occidũt,pluuias creant:unde & nomẽ acceperũt,*ἀπὸ τοῦ ὕειν,*quod eſt,pluere,*Oui.*li.*5.Faſtor.

At *ſimul inducent obſcura crepuſcula noctem,*
Pars Hyadum *toto de grege nulla latet.*
Ora *micant* Tauri *ſeptem radiantia flammis,*
Nauita *quas* Hyadas Graius *ab imbre uocat.*

Fabulantur Poëtæ Hyades Bacchi *nutrices fuiſſe,quæ &* Dodonides Nymphæ *uocatæ ſunt,à* Dodona *ciuitate* Epiri:*quæ cùm* Iunonis *iram uererentur,fugerentq;* Lycurgi *regis ſæuitiam,à* Ioue *in cœlum eſſe translatas.* Alij *tradunt* Atlantem *ex* Aethra *uxore* Hyan *filium ſuſcepiſſe, ſeptemq; puellas, quarum hæc ſunt nomina:* Ambroſia, Eudora,Paſithoë, Coronis,Plexauris, Pytho,& Tyche, *quæ cùm fratrem à leone deuoratum implacabili luctu proſequerentur, dolorisq; magnitudine extabeſcerent,* Iouis *miſeratione in ſeptem ſtellas ſunt conuerſæ, & ut perpetuum maneret tantæ pietatis teſtimonium, à fratris nomine* Hyades *ſunt appellatæ.* A Latinis Suculæ *dicuntur,quòd propter maximas,quas exortu ſuo afferunt, pluuias,luto gaudere uideantur,quemadmodum & ſues.*

Hyantes,(ὕαντες)*ab antiquis appellabantur* Græciæ *populi,poſtea* Bœoti *appellati,teſte* Plin.*libro* 4.*capite* 7.

quod

quod nomen ab Hyante *rege traxiſſe putantur, ut non obſcurè innuit* Strabo *libro 7.*Hinc *deducitur adiectiuũ* Hyantius,*a,um, idem ſignificans quod* Bœotius*: unde* A*ctæonẽ Cadmi nepotem* Hyantiũ *cognominat* Oui.3.Met.

Cùm iuuenis placido per deuia luſtra uagantes
Participes operum compellat Hyantius *ore.*

Hyas,(ὕας) *Atlantis filius ex* Aethra *Oceani filia, qui cũ adhuc puer uenationibus ſeſe exerceret, à leone deuorat⁹ eſt.* Huic *fuerunt ſorores ſeptem à patris nomine* Atlanti*des dictæ: quæ cùm fratris deſiderio extabeſcerent, deorum miſeratione in ſeptem ſtellas conuerſæ ſunt: quarum pietas ne ullo temporis interuallo obliuione obliteraretur, à fratris nomine* Hyades *appellatæ ſunt.* Ouid.5.Faſt.

Nondum *ſtabat* Atlas *humeros oneratus* Olympo,
Cùm ſatus eſt forma conſpiciendus Hyas.
Hunc ſtirps Oceani *maturis nixibus* Aethra
Edidit, *&* Nymphas, *ſed prior ortus* Hyas.

Hybla,æ,(ὕϐλα) *mons eſt* Siciliæ, *thymi copia & apibus abundans, unà cum oppido eiuſdem nominis.* Ouidius 1.de Arte,

Quot *lepores in* Atho, *quot apes paſcuntur in* Hybla.

Hyda,dæ,Hyde,es,(ὕδη) *oppidum* Lydiæ, *ſub* Tmolo *monte ſitum, cuius meminit* Homerus *in* Catalogo. *Sunt qui idem eſſe putent cum* Sardibus. Vide Strabonem li.13.

Hydaſpes,(ὑδάσπης) *fluuius* Indiæ, *qui per* Parthos *&* Medos *fluens, in* Indiam *uſq; extenditur,* Nyſamq; *urbem alluens,* Indo *flumini miſcetur. Alij non in* Indum, *ſed in mare labi tradunt.* Lucanus *libro 6.*

Quà *rapidus* Ganges, *& quà* Nyſæus Hydaſpes
Accedunt *pelago.*

Dictus *ab* Hydaſpe *antiquiſſimo* Medorum *rege.*

Hydra, (ὕδρα) *ſerpens fuit multorum capitum in Lerna agri Argiui palude, cui uno reciſo capite, ſtatim duo ſuppullulabant.* Hæc *cùm circuniectum agrum latißimè uaſtaret,* Hercules *ad famam rei excitus, comminus cum ea claua congreſſus eſt. Verùm cùm peſtiferum eius odorem ferre non poſſet, eminus ſagittis uulnerauit, eoq́; compulit, ut intrò ſe in antrũ reciperet: protinusq́; inſecutus, ingentem lignorum ſtruẽ ad cauernæ oſtium cõgeßit, igneq́; ſubiecto, flamma fumoq́; eam confecit.* Verg. *de ærumnis* Herculis:

Proxima Lernæam ferro, & face contudit Hydram.

Hydróchous, (ὑδροχόος) *ſignum cœleſte, quod Latinè Aquarium dicimus:* παρὰ τὸ χεῖν τὸ ὕδωρ, *hoc eſt, ab aqua fundenda dictus. Qui Aſtrologiam Poëticam ſcripſerunt, putãt hũc fuiſſe Ganymedem Troianum puerum, Iouis iuſſu ab aquila raptum, & in menſa Deorum miſcendæ nectari aquæ præpoſitum.*

Hylactor, (ὑλάκτωρ) *nomen unius ex canibus Actæonis,* ἀπὸ τ̃ ὑλακτεῖν, *hoc eſt, à latrando impoſitum.* Ouidius 3. *Metamor.*

-Et acutæ uocis Hilactor.

Hylæus, (ὑλαῖος) *Centauri nomẽ, à ſyluis deductum.* Vergilius 8. Aen.

-Tu nubigenas inuicte bimembres,
Hylæumq́; Pholumq́; manu, tu Creßia mactas
Prodigia.

Hylas, (ὕλας) *filius fuit* Theodomantis, *quẽ* Hercules *rapuit. Cùm enim ex Calydonia occiſo Oenei pincerna fugeret, ueniſſetq́; cũ* Deianira *&* Hyllo *filio ad* Dryopes, *& eſuriẽti puero cùm* Lychas *Pædagogus abeſſet, à* Theodamãte *aliquid ſibi poſtulaſſet, ille autẽ denegaſſet: arreptũ*

unũ ex bobus Theodamantis mactauit, atq; coxit. Quãobrẽ Theodamas conuocatis popularibus arma aduerſus Herculẽ mouit: & quãuis in ea pugna ferè oppreſſus fuerit Hercules, tamen uictoriam obtinuit, & occiſo Theodamante, Hylam filium eius ſecum abduxit: quem poſtea unicè dilexit, ſecumq; cum reliquis Argonautis Colchos nauigans, duxit. Verùm cùm inter remigandum Hercules remum ſuum fregiſſet, unà cum Hyla naui egreſſus eſt, ut alium in Myſiæ ſyluis quæreret. Inualeſcente autem æſtu, cùm ſiti premeretur, Hylam cum urna mittit ad Aſcanium fluuium, ut inde ſibi aquam afferret. Verùm cùm ripa altior eſſet, quàm ut ſtans haurire poſſet, procumbens in pectus Hylas, urnam è manibus amittit: quam cũ ſubitò recipere conaretur, põdere eius demerſus eſt. Quæ res Poëtis occaſionem præbuit fabulandi, Hylam à Nymphis fuiſſe raptum. Hercules autem cùm Hylas nuſquam compareret, caſum eius tam ægrè tulit, ut relictis Argonautis, Myſiam totam oberrans, Hylam quæreret. Iuuenalis Sat. 1.

Et multum quæſitus Hylas, urnamq; ſecutus.

Hyllus, (ὕλλος Suidæ) filius Herculis ex Deianira, qui Iolẽ, patre mortuo, uxorẽ duxit, ut ait Ouid. libro 9. Met. Hic poſtea cum cæteris fratribus, qui ex Hercule ſuperſtites fuerunt, ab Euryſtheo pulſus, Athenas confugit, ibiq; Miſericordiæ, uel Clementiæ templum condidit, quod & accepti ab Athenienſibus beneficij teſtimoniũ, & miſeris in poſterũ aſylũ eſſet, et perfugiũ. Seneca in Herc. Oetæo:

Si uera pietas Hylle quærenda eſt tibi,
Iam perime matrem.

Hylónome, (ὑλονόμη) mulier ex genere Cẽtaurorũ, Cyllari Cẽtauri uxor, q̃ mortuo marito gladio ſuo incubuit.

Autor Ouid.12.Metam.

Hymenæus, (ὑμέναιος) *deus nuptiarum præſes, qui & Hymen dicitur, & coniunctis dictionibus* Hymen Hymenæus. *Hic* Liberi *patris, &* Veneris, *aut(ut alij malũt)* Vraniæ *filius fuiſſe putatur, & primus certas nuptias inſtituiſſe.* Nomen *autẽ accepiſſe creditur* ἀπὸ τοῦ ὑμένος, *hoc eſt, à membrana, quæ clauſtrum uirginitatis eſſe, & primo coitu rumpi putabatur: quanquam inter anatomicæ rei peritos ſatis conſtet, in uirginum diſſectionibus pelliculam eiuſmodi nullam inueniri.* Alij *uolunt* Hymenæum *uirum* Atticum *fuiſſe, qui raptas à latronibus uirgines, parentibus intactas reſtituit: ideoq; in nuptijs eius nomẽ inuocari, tanquam defenſoris uirginitatis: uocemq; hanc nuptialẽ factã apud* Græcos, *quẽadmodũ* Romani *in nuptijs uirginalibus* Thalaßij *nomen innuocãt.* Alij *dicunt* Hymenæum *fuiſſe quendam iuuenem, qui die nuptiarum ruina oppreſſus interijt.* Vnde *poſtea inſtitutũ eſt: ut expiationis gratia nominaretur in nuptijs.* Non *rarò quoque* Hymenæum Poëtæ *pro ipſis ponunt nuptijs.* Vergilius *1.* Aeneid.

Pergama cùm peteret, inconceſſosq; Hymenæos.

Hymettus, (ὑμηττὸς) *Stephano, & Suidæ mons* Atticæ, *apibus, & optimi mellis copia abũdans, quod ab eo* Hymettium *uocatur.* Martialis *libro 14.*

Hoc tibi Theſei populatrix miſit Hymetti
Pallados à ſyluis nobile nectar apis.

Hypæpæ, arũ, (ὕπαιπαι Stephano, & Straboni) Lydiæ *oppidũ,* Veneri *ſacrum, quod occurrit à* Tmolo *mõte ad* Cayſtri *campeſtria iter facienti. nomen ei eſt (ut inquit* Steph.) *ab eo quòd ſub* Aepo *monte ſitum ſit.* Ouid. *de* Arachne:

Orta domo parua, paruis habitabat Hypæpis.

Hypan

Hypanis, (ὕπανις) *fluuius Scythiæ, ex magna palude profluens, ſapore dulciſsimo, donec ad quadrageſimum miliare miſcetur ei exiguus fonticulus* (Exampæum *nominat* Herodotus *libro* 4.) *qui ſua amaritudine totum corrumpit* Hypanim. Ouid. 15. Metamor.

Quid, non & Scythicis Hypanis *de montibus ortus*
Qui fuerat dulcis, ſalibus uitiatur amaris?

Eſt & alter eiuſdem nominis fluuius in India, *cuius meminit* Strabo *libro* 15. Ad *quem referri poteſt illud* Propertij,

Quantum Hypanis Veneto *diſtat ab* Eridano.

Hyperbórei, (ὑπερβόρεοι) *populi ſeptentrionales, ita dicti quòd ſuprà* Boreæ *flatum ſiti eſſe crederentur.* Feſtus *docet* Hyperboreos *eſſe ſupra* Aquilonis *flatũ habitãtes: ita dictos, quoniam humanæ uitæ modum excedant, uiuendo ultra centeſimum annum, quaſi* ὑπερβαίνοντες ὅρον *humani ſeculi.* Ferunt *magnam his de cœlo clementiam cõceſſam eſſe, auras ſpirare ſalubres, nihil noxij flatus habere, domos eſſe nemora, uictum arbores miniſtrare, diſcordiam neſcire, ægritudine non inquietari, ad innocẽtiã omnibus æquale uotũ eſſe, mortẽ accerſere, & uolũtario interitu obeundi tarditatẽ caſtigare.* Diodôrus *oppoſitã* Celtis *Oceani accolis eſſe inſulã ſcribit, haud multò* Sicilia *minorẽ, ualde fertilem, & biferam, hoc eſt, bis quotannis fructus ferentem: habitariq́; ab ijs, qui* Hyperborei *appellãtur, eò quòd uento* Boreæ *ſint expoſiti.* Hyperborei *inquit* Pom. Mela, *ſuper* Aquilonem Rhiphæosq́; *montes ſub ipſo ſyderum cardine iacent, ubi* Sol *non quotidie ut nobis, ſed primùm uerno æquinoctio exortus autumnali demum occidit: & ideo ſex menſibus dies, & totidem alijs nox uſque cõtinua eſt.* Terra *anguſta, aprica, per ſe fertilis; cul*

lis:cultores iuſtiſsimi, & diutius quàm ulli mortalium, & beatius uiuũt, &c. Hactenus Mela. *Plura de his uide apud* Plin.lib.4.cap.12.

Hypermneſtra, (ὑπερμνήστρα) *unà fuit ex quinquaginta* Danai *filiabus, quæ cùm totidẽ* Aegyſthi *filijs nupſiſſent, iuſſæq́; eſſent à patre prima nocte maritos interficere, ſola ex omnibus maritũ ſuũ* Lynceũ *nomine ab inſidijs liberauit, qui poſtea* Danaũ *occidit.* Extat *inter* Epiſtolas Ouidij *una* Hypermneſtræ *ad* Lynceũ *uirum ſuum.*

Hypérion, (ὑπερίων) *Cœli & Terræ filius, pater* Solis: *quanquam à* Poëtis *non rarò pro ipſo quoque accipiatur* Sole. Ouid.1.Faſtor.

Placat equo Perſis *radijs* Hyperiona *cinctum.*

Hypsénor, (ὑψήνωρ) Dolopionis *filius, ſacerdotis* Scamandri, *in bello* Troiano *ab* Eurypylo *occiſus: ut eſt autor* Homerus *libro* 5. Iliad.

Hypſipyle, (ὑψιπύλη) Lemni *regina fuit,* Thoantis *filia, quæ cùm reliquæ mulieres eius inſulæ uiros cognatosq́; omnes, ex communi ſententia occidiſſent, ſola patrem ſeruauit.* Ob *quam pietatem è* Lemno *eiecta, capta fuit à piratis, &* Lycurgo Nemeæ *regi uendita: à quo liberaliter habita fuit, & nutriendo filio eius præpoſita.* Nam *paulò ante fugam gemellos pepererat, quos conceperat ex* Iaſone, *quem in* Colchos *nauigantem hoſpitio ſimul & lecto exceperat.* Poſtea *cùm* Argiuis *ad* Thebanam *expeditionem proficiſcentibus,* Langiam *fontem oſtenſura,* Archemorum *alumnum humi depoſuiſſet, ea abſente adrepens ſerpens puerum interemit: quo nomine cùm à* Lycurgo *ad ſupplicium quæreretur, ab* Adraſto, *cæterisq́;* Argiuis *ſeruata eſt: ut latius eſt uidere apud* Papinium *lib.4. & 5.* Thebaïdos. *Hinc fit denominatiuum*

Hypſi

Hypſipylæus,a,um:ut, Tellus *Hypſipylæa, hoc eſt,*Lem*nos inſula,*Hyſipyles *patria.*Ouid.3.Faſtor.

Vulcanum tellus Hypſipylæa *colit.*

Hyrcánia, (ὑρκανία) *regio Aſiatica, magna ex parte plana, & præclariſſimis urbibus adornata, quarum celeberrimæ ſunt* Talebrota, *Samaria,*Carta, *&* Tape:*adeò autem fertilis & opulenta, ut uitis uini metretam ferat, & ficus ſexaginta modios ficorum: frumentum ex ſemine naſcatur, quod cadit ex culmo, in arboribus mellificetur, profluat mel ex oleis.* Dicta Hyrcania, *ab* Hyrcana *ſylua, quæ Scythiæ ſubiacet.*Habet *ab* Oriente *mare* Caſpium, *à* Meridie *Armeniam, à* Septentrione *Albaniam, ab* Occaſu *Iberiam.* In *ea regione pantheræ, pardi, & tigres abundant, cùm ſyluis aſpera ſit.* Hinc *Hyrcanus, a, um,* (ὑρκανός.) Verg.4.Aeneid.

-Hyrcanæq; *admorunt ubera tigres.*

Hyrcus,(ὑρεὺς) *ruſticus quidam* Bœotius *fuit, qui cùm* Ioue, *Mercurium, &* Neptunū *hoſpitio ſuſcepiſſet, iuſſus petere quicquid uellet, mox uoti compos futurus, reſpondit ſe quidem nihil æquè cupere, ac filium, uxorem tamen ducere nolle.* Quo *intellecto, tres dij in bubulum tergus, quod ille iuuenco detraxerat, quem* Ioui *recens immolauerat, lotium reddidere: ex quo decimo menſe natus eſt puer, quem illi ἀπὸ τοῦ οὔρου, hoc eſt, ab urina* Vrionē *uocauere: qui deinde prima litera immutata dictus eſt* Orion.

I

IA,(ἴα) *filia fuit* Atlantis, *ſoror* Maiæ, *matris* Mercurij: *de qua* Homerus *lib.*14.Odyß.

Iacchus,(ἴακχος) *unum eſt ex* Bacchi *nominibus,* ἀπὸ τοῦ ἰακχεῖν, *hoc eſt, à uociferando impoſitum. Solent enim* Bacchæ Liberi *patris* Orgia *celebrantes omnia incondi-*

tis clamoribus implere. Vergil. Eclog. 7.

Populus Alcidæ gratiſſima, uitis Iaccho.

Et quoniam Bacchus *uini præſes eſſe creditur, non rarò* Iacchum Poëtæ *pro ipſo uſurpant uino.* Idem Eclog. 6.

Inflatum heſterno uenas, ut ſemper Iaccho.

Iader, (ἰάδερ) *fluuius eſt* Illyrici, *in mare Adriaticum defluens, iuxta oppidum eiuſdem nominis.* Lucanus *lib.* 4.

Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader.

Ianículum, *oppidulũ fuit in* Ianiculo *monte trans Tyberim: ita dictum à* Iano *conditore, ut quidam putauerunt: uel quòd tanquam* Ianua *eſſet* Romanis *in* Hetruriam *proficiſcentibus.* Verg. 8. Aeneid.

Hæc duo præterea diſiectis oppida muris,
Relliquias, ueterumq; uides monumenta uirorum.
Hanc Ianus *pater, hanc Saturnus condidit urbem,*
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Ianîra, (ἰάνειρα) Nymphæ *nomen,* Oceani *&* Tethyos *filiæ,* παρὰ τὸ ἰαίνειν τοὺς ἄνδρας, *hoc eſt, à uiris demulcendis.* Heſiodus *in* Theogonia.

Ianthe, (ἰάνθι) *puella fuit* Cretenſis, ex Phæſto *oppido,* Teleſtæ *filia, uxor* Iphidis, *qui ipſo nuptiarum die ex fœmina mutatus eſt in marem.* Ouid. 9. Metam.

Tertius interea decimo ſucceſſerat annus,
Cùm pater Iphi *tibi flauam deſpondet* Ianthen,
Inter Phæſtiadas *quæ laudatiſſima formæ*
Dote fuit uirgo, Dictæo *nata* Teleſte.

Ianus, (ἰάνος) *antiquiſſimus* Italiæ *rex, qui Saturnum à* Ioue *filio è* Creta *fugatum nauiq; in* Latium *appulſum hoſpitio ſuſcepit, agriq; colendi rationem ab eo edoctus, in regni portionẽ eum recepit: amboq; unanimi conſilio imperantes, duo condiderunt oppida, quorum alterum à*

Iani nomine Ianiculum, alterum à Saturno Saturniam appellarunt. Monetam quoque argenteam primi cuderũt, in cuius altero latere roſtrum nauis, in altero Iani imago erat impreſſa. Ianũ autẽ regum omniũ ſuæ ætatis prudentiſsimũ fuiſſe uolunt, & præterita ſcientẽ, & futura præuidẽtẽ: unde & bifrons fuiſse fingitur. Mortuus inter Deos relatus eſt, tẽplumq́; habuit Romæ ad infimũ Argiletũ à Numa Pompilio poſitũ, quod tẽpore belli patebat, tempore pacis claudebatur: unde Patuleius, et Cluſius cognominabatur, ut autor eſt Seruius. Conſtat autem templum hoc ter fuiſſe clauſum. Primùm regnante Numa: iterum poſt bellum Punicum ſecundum: tertiò poſt bellum Actiacum, quo tempore pax quidem fuit, quantum ad exteras pertinet gentes: ſed bella flagrauere ciuilia. Huius autem claudendi, uel aperiendi templi ratio uaria eſt. Alij dicunt Romulo contra Sabinos pugnante, quum iam propè uinceretur, calidam aquam ex hoc loco erupiſſe, quæ fugauit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, ut pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat conſtitutum, quaſi ad ſpem priſtini auxilij. Alij dicunt Tatium & Romulum facto fœdere hoc templum ædificaſſe. Vnde & Ianus ipſe duas facies habet, ut oſtendat duorum regum coitionem: uel quòd ad bellum ituri debeant de pace cogitare: uel quòd ad prælium exituri locum ſibi apertum debeant relinquere, quò tutò poſsint reuerti. Hunc nonnulli eundẽ eſſe putauerũt cum Sole: ideoq́; & quadrifrontem fecerunt, ob quatuor, quos ambit orbis cardines, & Ianum quadrigeminum uocitarunt, & Iunonium, quaſi Calendarum principem. Calendæ enim ſunt Iunoni dicatæ. Ianus etiam erat locus Romæ, ubi fœneratores conſiſtebant, è regione Baſilicæ: quoniam in eo Iani ſimu-

lacra collocata uiſebantur. Ouidius:

Qui puteal Ianumq́; timet, celereſq́; Calendas.

Horatius *in epiſtolis,*

-Hæc Ianus ſummus ab imo

Prædicat.

Iápetus, (ἰαπετὸς) *Cœli & Terræ filius (ut inquit Heſiodus) uir quidem potens apud Theſſalos, ſed proterui ingenij, magiſq́; filiorum, quàm ſua uirtute clarus. Ferũt hunc Aſiam Nympham uxorem duxiſſe, & ex ea Heſperum, Atlantem, Epimetheum, & Prometheum ſuſcepiſſe.* Valerius Flaccus *libro primo,*

Iapeti poſt bella trucis, Phlægræq́; labores.

Ouid. 1. Metam.

Siue recens tellus, seductaq́; nuper ab alto

Aethere, cognati retinebat ſemina cœli,

Quam ſatus Iapeto miſtam fluuialibus undis,

Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Iapis, idis, (ἰαπὶς) *nobilis fuit Aetolus, qui patria pulſus cùm ad intimũ maris Adriatici ſinum ueniſſet, oppidũ de ſuo nomine cõdidit: à quo ea pars Italiæ, quæ Timauo fluuio irrigatur, Iapidia dicta eſt. Quinetiã Timauũ ipſum ab huius nomine Iapidem cognominat* Verg. 2. Georg.

Caſtella in tumulis, & Iapidis arua Timaui.

Iapygia, æ, (ἰαπυγία) *regio eſt in finibus Italiæ, in Cherroneſi formam coacta, cuius Iſthmus à Tarento Brunduſium uſq; extenditur. Alio nomine Meſſapia dicitur. Autor Strabo lib. 6. Seruius in illud Vergilij,*

Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis

Victor Gargani condebat Iapygis aruis.

Iapygia (inquit) pars eſt Apuliæ, in qua mons eſt Garganus, qui uſq; ad mare Adriaticum extenditur. Quod ſi uerum

rum eſt, longè maiores ſunt Iapygiæ *fines, quàm quos modò ex ſentētia* Strabonis *deſcripſimus.* Nā *Garganus mōs multis paßuum millibus extra iam dictam peninſulam ſitus eſt.* Dicta *eſt autem* Iapygia, *ab* Iapyge Dædali *filio, ut tradit* Solinus *in* Polyhiſtore.

Iapyx, ygis, *(ἰάπυξ) uentus eſt ab occaſu ſolſtitiali ſpirans, qui alio nomine* Caurus *dicitur, teſte* Gellio *libro* 2. Noct. Att. Dictus Iapyx *à* Græcis, *quòd ab* Iapygia *ſpirare uideatur: quare & commodißimus eſt ex* Italia *in* Græciam *nauigantibus.* Horat. libr. 1. Carm. Ode 3.

Sic te Diua *potens* Cypri,
Sic fratres Helenæ, *lucida ſidera,*
Ventorumq; *regat pater,*
Obſtrictis *alijs præter* Iapyga.

Iarbas, *(ἰάρβας)* Iouis *&* Garamātidis Nymphæ *filius, &* Gætulorum *rex, qui cùm* Didûs *ambiret nuptias, ab ea repulſus, naſcenti adhuc* Carthagini *bellum intulit: quod cùm* Pœni *propulſare non poſſent, reginam ſuam eò adegerunt, ut nuptijs ſuis pacem redimeret.* Quod *cùm illa alia ratione effugere non poſſet, ſimulat ſe antè* Sichæi *(id defuncti mariti nomē erat) manes placare uelle.* Eam *itaq; ad rem impetrato ſpatio, pyram ingentem extruxit, cui ſuperincumbens, ſuis ſibi manibus necē conſciuit.* Ita *enim habet ueritas hiſtoriæ: etiamſi* Vergil. *libro* 4. Aen. *de* Iarba *rege, & exitu* Didûs *alia quædam cōminiſcatur.*

Iáſius, *(ἰάσιος) filius fuit* Abantis Argiuorū *regis, frater* Dardani. Nā Dardanus, *inquit* Seruius, *&* Iaſius *fratres fuerūt,* Electræ *filij: ſed* Dardanus *è* Ioue, Iaſius *è* Corito *procreatus eſt.* Hæc Seruius *apud* Verg. lib. Aen. 3. Hinc Græci Iaſidæ, *&* Iaſis *uocatur* Atlāta *eiuſdem filia.* Propert. li. 3. Atq; *animū duræ contudit* Iaſidos. Fuerunt *&*

alij

alij eiuſdem nominis: unde Iaſides Palinurus, *apud* Verg. 5. Aen. *&* Iapis Iaſides, *apud eundem libro* 12.

Iáſion, onis, (Ἰασιὼν) *quem* Diodorus *libro* 6. *etiam* Iaſium *appellat,* Iouis *&* Electræ *filius fuit, adeò à* Cerere *adamatus, ut in eius gratiam ad nuptias* Hermiones *ſororis ipſius, maximam & frumenti & panis copiam attulerit. Quin &* Plutum *ex eo fertur genuiſſe, qui cultum uitæ inſtituere, pecuniáſque coaceruare, ac in uſus cuſtodire omnium primus docuit, cùm antea parua congregandæ ſeruandæq; pecuniæ fuiſset cura. Alij addunt fabulæ, eum poſtea à* Ioue *ex inuidia fulminatum: quamuis non deſint, qui aliam mortis cauſam afferant, nempe quòd ſimulacrum eius contumelia affeciſſet.* Ouid. *libro* 9.

–Queritur caneſcere mitem
Iaſiona Ceres, &c.

Iaſon, (Ἰάσων) *filius fuit* Aeſonis *ex* Alcimede, *quem pater moriens* Peliæ *fratri in tutelam commendauit, tradito etiam regno, ea tamen lege, ut illud adulto* Iaſoni *reſtitueret. Porrò* Alcimede *ſuſpectum habens* Peliam, Iaſonem Chironi *alendum dedit. Itaq;* Iaſon *adultus cùm ad repetendum paternum regnum ueniſſet,* Pelias *iuuenem laudis auidum ad* Colchicam *expeditionem incitauit, ſperans futurum ut periculi magnitudine ſuccumberet. Fabricata itaq; naui, quæ ab architecti nomine dicta eſt* Argo, Iaſon *cum* Græcæ *iuuentutis flore, mari ſe commiſit, primumq; ad* Lemnum *inſulam appulit, ubi ab* Hypſipyle *& hoſpitio, & thalamo ſuſceptus eſt. Deinde ad* Phineum *regem, à quo muneris loco edoctus eſt, quomodo per* Cyaneas *petras inter ſe concurrentes ad* Colchos *uſq; tutò nauigare poſſet. Quò cùm perueniſſet,* Medea Colchorum

chorum regis filia forma eius capta, à certiſsimo eum eripuit exitio, oſtenſa ratione, qua & æripedes tauros perdomare, & draconem peruigilem ſopire poſſet. Eius itaque *conſilia ſecutus* Iaſon, *aureum uellus ſuſtulit, & inde clàm cùm ſocijs &* Medea *fugam arripiens, ad* Iſtri *oſtiũ peruenit, aduerſoq́; flumine ſubiens, cùm eum tandem in locum perueniſſet, ubi* Danubius Liburniæ *montibus proximus eſt, nauim, qua uectus erat, ſuis ſociorumq́; humeris ſuperatis montibus, in mare* Adriaticum *deportauit: tandemq́; ſoſpes in patriam reuectus, duos ex* Medea *filios ſuſcepit.* Sed *cùm poſtea* Creuſæ Corinthiorum *regis filiæ amore flagrans, eam uxorem duxiſſet,* Medea *ægrè ferens diuortium,* Creuſam *cum regia exuſsit. Sunt qui tradant,* Medeæ *poſtea reconciliatum* Iaſonem, Aeeten *ſocerum à* Perſa *fratre pulſum, in regnum reſtituiſſe, multaq́; alia præclara geſsiſſe, adeò ut diuinos in* Aſia *honores fuerit promeritus.* Deſcribitur *latius tota hæc fabula ab* Apollonio Rhodio, & Valerio Flacco.

Ibêrus, (ἴϐηρ) *fluuius* Hiſpaniæ, *apud* Cantabros *oriens, & in mare* Balearicum *ſe exonerans: ita dictus à rege eiuſdem nominis, ut eſt autor* Euſtathius *in* Dionyſium. Lucan. *lib.* 4.

Qui terris præſtat, aufert tibi nomen Iberus.

Ibéria, (ἰϐηρία) *primùm appellata fuit* Hiſpaniæ *regio,* Ibero *fluuio proxima, quam poſtea* Celtæ Gallorum *populi, relictis ſedibus ſuis habitauere: unde compoſito ex nomine gentis utriuſq́; uocabulo,* Celtiberi *dicti ſunt.* Poſtea *tamen uniuerſa* Hiſpania *dicta eſt* Iberia, & Hiſpani *ipſi* Iberi. Verg. 3. Georg.

Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

Eſt & regio eiuſdem nominis iuxta Pontum, *inter* Col-

chos

chos & Armeniam, Alazone fluuio ab Albanis diuiſa: cuius incolæ Iberes dicuntur: de quibus uide Plinium lib. 6. cap. 10.

Icárius, (ἰκάριος) *Oebali filius fuit, & pater Erigones, qui cùm à Libero patre utrem uini accepiſſet, ut eius uſum mortalibus communicaret, in Atticum agrum ſeſe cõtulit, ibiq; paſtoribus, qui æſtu Solis ſitim contraxerant, uinum propinauit: qui cùm nouo potus genere delectati, largius hauſiſſent, altiſsimoq; primùm ſomno, deinde & crapula correpti eſſent, toxicum ſibi datum rati, Icariũ interfecerunt, occiſumq; in puteum proiecerunt. Aderat fortè Icario canicula nomine Mæra, quæ ad Erigonen reuerſa, ueſtem eius mordicus arripuit, illamq; ſequentem ad patris cadauer perduxit: quæ tantum ex patris nece dolorem concepit, ut mala multa eius percuſſoribus imprecata, laqueo uitam finierit. Mæram quoque tam heri, quàm filiæ herilis deſiderio ferunt contabuiſſe, Iouisq; miſeratione in cœlũ translatam in Caniculæ ſtellam conuerſam eſſe, Icarium autem in Booten, Erigonen uerò in zodiaci ſignum, quam Virginem appellamus. Vide hæc latius apud Hyginum Aſtronomici poët. lib. 2. Alius fuit Icarius, patria Lacedæmonius, & pater Penelopes: de quo Ouidius Epiſt. 1.*

Me pater Icarius uiduo diſcedere lecto
Cogit, & immenſas increpat uſq; moras.

Hinc Penelope ipſa patronymico nomine Icaris appellatur. Ouid. in Ibin:

Et uelut Icaridis famulæ periere, prociq;.

Icarus, (ἴκαρος) *Dædali filius fuit, qui unà cum patre è Creta euolans, dum iuuenili audacia paterna ſpernens monita iuſto altius fertur, liquefacta Solis calore cera,*

qua

qua conglutinatæ erant pennæ, aliſq; diſſolutis in mare decidit, quod à nomine eius Icarium *deinde eſt appellatum.* Ouid. 3. Triſt.

> *Quid fuit, ut tutas agitaret* Dædalus *alas,*
> Icarus *immenſas nomine ſignet aquas?*

Ichnûſa, (ἰχνοῦσα) *inſula eſt in mari* Liguſtico, *notiore nomine* Sardinia *dicta, eò quòd ſimilitudinem referat humani ueſtigij, quod Græcè* ἴχνος *dicitur.* Silius *lib.* 12.

> *Inde* Ichnuſa *pijs* Graijs *memorata colonis.*

Ida, (ἴδη) *mons* Troadis *altiſsimus, amœniſsimis fontibus, nobiliũq; aliquot fluuiorũ origine inſignis.* Ouid. 4. Faſt.

> Dindymon, *&* Cybelon, *& amœnam fontibus* Idam.

Montis huius Septentrionale, ex anguſtijs Abydi *uſq; ad* Aeſepum *amnẽ, &* Cyzicenũ *agrũ, & ad* Propontidem *pertinet. Occidentale ad* Helleſpontum *reſpicit. Auſtrale promontorium facit, quod* Lectum *appellatur. Orientalia ad* Myſos *declinant. Hinc* Idæus, æa, um, (ἰδαῖος.) Propert. lib. 2.

> *Cedite iam diuæ, quas paſtor uiderat olim*
> Idæis *tunicam ponere uerticibus.*

Eſt & Ida Cretæ *mons, ita dictus à* Corybantibus, *ſiue* Dactylis Idæis, *qui cùm in* Cretam *ueniſſent, montem, in quo conſederunt, patrij montis nomine appellarunt.* Verg. 12. Aeneid.

> *Dictamnum genitrix* Cretæa *carpit ab* Ida.

Idæi Dactyli, (δάκτυλοι ἰδαῖοι) *ijdem qui* Corybantes, *quos* Iouem *aluiſſe ferunt, & ne uagitu puer proderetur, nouo luſus genere excogitato, clypeolis æneis inter ſe concurſantes, æris tinnitu & numeroſi pedis compoſitione, qui* Dactylus *inde dictus eſt,* Saturnum *feſelliſſe. Dicti* Idæi, *ab* Ida Phrygiæ *monte, quem primùm incoluerunt.*

luerunt.

Idálion, (ἰδάλιον) *Cypri oppidum, quod ab euentu nomen accepit.* Nam *cùm oraculum Chalcenori datum eſſet, ut illic urbem conderet, ubi primùm orientem Solem conſpicaretur, unus è comitibus qui fortè aſtabat, ad eum conuerſus* εἶδον ἅλιον, *inquit, id eſt, uide ſolem. Quo audito, Chalcenor arripuit omen, ciuitatéq; ibi ſtatuit, & ab ea uoce* Idalium *nominauit.* Autor Steph. Hinc Idalius, *a, um,* ἰδάλιος. Verg. *lib.* 10.

Eſt Amathus, *eſt celſa mihi* Paphos, *atque* Cythera,
Idaliæq; *domus, &c.*

Idas, dæ, (ἴδας) *Apharei filius fuit nomine, re autem ipſa* Neptuni; *qui acceptis à patre uelociſsimis equis,* Marpeſſam *filiam formoſiſsimam* Eueni *regis* Aetoliæ, Martis *filij, in* Dianæ *luco ſaltantem rapuit. Ob quam rem eiuſdem pater (qui nulli procorum filiam ſuam nuptum dare uoluerat, niſi certamine curſus fuiſſet uictus: à ſe autem uictos decollare, eorumq; capita in aliorum terrorem de muris ædium ſuarum ſuſpendere ſolebat) dolore commotus, interemptis, quos habebat, equis, ſe in fluuium* Lycormam, *qui poſtea ab ipſo* Euenus *dictus eſt, præcipitauit. Cæterùm fugienti cum puella* Idæ Apollo *in itinere obuius factus eſt, qui cùm* Marpeſſam *& ipſe præripere* Idæ *uellet, uentum utrinq; ad certamen eſt. Sed à* Ioue *miſſus* Mercurius *arbitriũ* Marpeſſæ *cõmiſit, ut ipſa utrum uellet eligeret: illa autem* Idam *elegit, uerita ne ſeſe ætate prouectã* Apollo *relinqueret.* Autor Hom. *libr.* 9. *Iliad.*

Idómeneus, (ἰδομενεὺς) Deucalionis *filius,* Certenſium *rex, qui contra* Troianos *ſtrenuè dimicauit.* Troia *autem euerſa, cùm in patriam renauigaret, ſubitò oborta*

temp

tempeſtate ſolenne uotum concepit, ſi ſe Neptunus *inco=lumem in patriam reduceret, ſe illi immolaturum quod primum ſibi occurreret.* Contigit *autem, ut filius eius ei primus occurreret: quem cùm immolare uellet, à ſuis pulſus, fugit in* Calabriã *: ubi iuxta* Salentinum *promõtoriũ oppidũ condidit.* Hæc *refert* Seruius *in illud* Verg. 3. Aen.

Et Salentinos obſedit milite cãpos
Lyctius Idomeneus.

Idóthea, (εἰδοθέα) *filia* Prœti Argiuorum *regis, quam unà cum ſororibus furijs agitatam* Melampus *ſanitati reſtituit.* Autor Homerus 11. Odyß.

Idumæi, (ἰδουμαῖοι) *populi inter* Iudæam *&* Arabiam *ſiti, ad* Occaſum Caſio *monti proximi: à* Nabatheis *orti, teſte* Strab. lib. 6. *qui orta domi ſeditione, relictis ſedibus ſuis, extrema* Iudææ *occuparunt.* Horum *regio* Idumæa *dicitur, ab* Idume *oppido: cuius meminit* Lucan. lib. 3.

Gazaq́; & arbuſto palmarum diues Idume.

Hinc *fit* Idumæus, mæa, um, ἰδουμαῖος. Verg. 3. Georg.

Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

Ilerda, dæ, (ἰλέρδα) *oppidum* Citerioris Hiſpaniæ, *in conuentu* Tarraconenſi, *non procul à* Sycori *fluuio: cuius meminit* Lucan. lib. 5.

–Altæq́; ad mœnia fuſus Ilerdæ.

Ilia, æ, (ἰλία) *quæ &* Rhea, Numitoris Albanorum *regis filia, quam* Amulius *pulſo iam* Numitore *fratre, & interfecto eiuſdem filio* Lauſo, *uirginem* Veſtalem *legit, ut ſub ſpecie honoris ſpem partus ei adimeret.* Verum *cùm illa aquam è* Tiberi *ad obeunda ſacra peteret, in ripa fluminis obdormiuit, & in ſomnis ſibi uiſa eſt à* Marte *comprimi, & ſic geminos concepit: quos cùm peperiſſet, exponi iußit, matremq́;* Iliam *uiuam apud* Tiberim *fluuiũ*

infodi: unde poëtæ eam Tiberi nupſiſſe fingunt, qui ob id quoq; Vxorius amnis ab Horat. libr. 1. Carmin. dicitur. Quid uerò pueris acciderit, uide ſuprà in dictione Amulius. Vergilius libro primo Aeneidos:

–Donec regina ſacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

Ilías, adis, (ἰλιὰς) *Homeri opus clariſſimum omnium, quotquot unquam extiterunt Poëtarumq; ſcriptis citra controuerſiam prælatum. Dicta Ilias ab eo quòd bellum contineat apud Ilium inter Græcos & Troianos ob raptum Helenæ geſtum. Ouid. libro 2. Triſtium:*

Ilias ipſa quid eſt, niſi turpis adultera, de qua
Inter amatorem pugna, uirumq; fuit?

Quoniam uerò hoc in opere nullum mali genus non recenſetur, factum eſt, ut Ilias malorum (ἰλιὰς κακῶν) pro ingenti calamitate accipiatur.

Ilíone, (ἰλιόνη) *inter filias Priami natu maxima fuit Polymneſtoris Thraciæ regis uxor. Vergil. libro 1. Aeneid.*

Præterea ſceptrum, Ilione quod geſſerat olim,
Maxima natarum Priami.

Ilioneùs, (ἰλιονεὺς) *nobilis fuit Troianus, Phorbantis filius, qui deleto Ilio Aeneam in Italiam ſequutus eſt: & quoniam eloquentia plurimum pollebat, legationibus aliquot ab eodem eſt præfectus. Vergil. libro 1. Aen.*

Poſtquam introgreſſi, & coràm data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido ſic pectore cœpit.

Vbi Seruius: Non mirum, inquit, ſi eloquens à Vergilio introducatur Ilioneus, cū pater eius Phorbas, Homero teſte, ſemper Mercurio Deo eloquentiæ fauente pugnarit.

Iliſſus, (ἰλιςὸς) *amnis in Attica regione, Muſis dicatus, quas ab eo Iliſſidas uocant. Papinius lib. 4. Theb. uidetur*

hunc

hunc fluuium Furijs conſecrare, cùm ait,

– Anfractu riparum incuruus Iliſſos

Sæuus honos fluuio: Stygias luſtrare ſeueris

Eumenidas perhibetur aquis.

Ilithyia, (εἰλείθυια) *dea parturientibus propitia, quæ & Iuno Lucina à Latinis appellatur. Ouid. 9. Metam.*

Præpoſitam timidis parientibus Ilithyiam.

Ilium, (ἴλιον) *urbs fuit Phrygiæ minoris, ſiue Troadis, M. D. paſſ. à mari diſtans, à Dardano Iouis filio condita, ab Ilo uerò rege ampliata, & Ilium nominata. Hæc Aſiæ totius ciuitas fuit florentiſſima, ſub Laomedonte ab Hercule euerſa: denuoq; ſub Priamo ob Helenã à Paride raptã decennali bello obſeſſa, ac demũ expugnata. Verg. lib. 2.*

– Ceciditq; ſuperbum

Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia.

Effertur & Ilios fœminino genere. Ouidius libr. 14. Met.

– Poſtquàm alta cremata eſt

Ilios, & Danaas pauerunt Pergama flammas.

Hinc Iliacus, ca, cum, (ἰλιακός) id eſt, Troianus. Vergil. 1. Aen.

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

Legitur & Ilius, a, um, in eadem ſignificatione. Vergilius 9. Aeneid.

– Quam miſeram tenuit non Ilia tellus.

Illyris, idis, (ἰλλυρίς) *ſiue Illyrium, rij, ſiue Illyricũ, ci, regio Europæ ſatis ampla, ſecundũ dextrũ maris Adriatici latus extẽſa, à cæteris partibus Iſtria, Myſia ſuperiori, & Macedoniæ parte, quæ Adriatico mari incumbit, terminata. Dicta ab Illyrio Polyphemi (ut Appianus ſcribit) ſiue, (ut Euſtathio placet) Cadmi filio. Hodie Sclauoniam uocant. Hinc Illyricus, ca, cum, (ἰλλυρικός.) Ver. 1 Aen.*

Antenor potuit, medijs elapſus Achiuis,
Illyricos penetrare ſinus.

Ilua, (ἰλὕα Ptolemæo) *inſula eſt Tuſciæ adiacens, decem paſſuum millibus diſtans à Populonia, renaſcentis ferri metallis uberrima.* Vergil. 10. Aen.

– Aſt Ilua trecentos
Inſula inexhauſtis Chalybum generoſa metallis.

Ilus, (ἶλος) *filius fuit* Trois *regis* Troianorum, *& pater* Laomedontis, *quē matura ætate moriens, regni hæredē reliquit. Ab huius nomine celeberrimum illud* Myſiæ *minoris, ſiue* Troadis *caput,* Ilij *nomen accepit: ſiue quòd ab* Ilo *primùm fuerit conditum, cùm* Dardanus *antea in mōtibus* Dardaniam *condidiſſet: ut placet* Homero *libro* 23. Iliad. *ſiue quòd à* Dardano *extructū inſtaurarit* Ilus, *& auctius reddiderit: quemadmodum non obſcurè innuit* Vergilius *libro* 8.

Dardanus *Iliacæ primus pater urbis, & autor.*

Autor *eſt* Strabo *libro decimotertio, primum omniū* Ilum *auſum fuiſſe in campis habitare, proindeq́; in medijs campis fuiſſe ſepultum: cuius ſepulcri meminit &* Homerus 11. Iliad. *Fuit & alter* Ilus, Aeneæ *filius, alio nomine* Aſcanius *appellatus.* Verg. 1. Aen.

At puer Aſcanius, *cui nunc cognomen* Iulo
Additur, Ilus *erat, dum res ſtetit* Ilia *regno.*

Inachus, (ἴναχος) *fluuius eſt in latere exortiuo* Peloponneſi, *per agrum* Argiuum *in ſinum* Argolicum *illabens.* Hunc Poëtæ *fabulantur* Iûs *patrem fuiſſe, quam* Iupiter *cùm uitiaſſet, aduētum* Iunonis *præſentiēs, in uaccam mutauit.* Ouid. *libro* 1. Metam.

Inachus unus abeſt, imoq́; reconditus antro
Fletibus auget aquas, natamq́; miſerrimus Io

Luget,

Luget, &c.

Fuit & Inachus primus Argiuorum rex, qui Inacho fluuio nomen dedit: à quo Argiui ipſi Inachidæ appellati ſunt. Huius filiam nomine Io cùm Iupiter uitiaſſet, & in Cretam aduexiſſet, Iuno pellicis impatiens, grauiſſimis odijs eam exagitauit. Quæ res poëtis occaſionem fabulandi dedit, Io Inachi fluuij filiam fuiſſe, Iunonis metu à Ioue in uaccam mutatam: quam cùm illa à coniuge dono accepiſſet, œſtro immiſſo tantopere fuiſſe exagitatam, ut furore correpta nuſquã cõſiſtere poſſet, donec in Aegyptũ tranſuecta, in Iſidem deã mutata eſt. Hinc deducitur Inachis, (ἰναχὶς) patronymicũ fœmininũ: quo nomine Poëtæ intelligunt Iò Inachi filiam. Ouid. lib. 1. Metam.

Coniugis aduentum præſenſerat, inq; nitentem
Inachidos uultus mutauerat ille iuuencam.

Inárime, (ἄριμοι Homero, πιθηκοῦσαι Stephano) inſula eſt in ſinu Puteolano, non procul à Neapoli, ut ait Plin. lib. 3. capite 6. in qua mons fuit, qui terræmotum paſſus alteram fudit inſulam, quæ Prochyta ab effuſione dicta eſt. Sub hãc inſulam Typhoëa gigantem à Ioue detruſum eſſe, autor eſt Vergilius libro 9. Aen.

Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumq; cubile
Inarime, Iouis imperijs impoſta Typhoëo.

Eadem & Aenaria à ſtatione nauium Aeneæ, & à coxendicis forma Iſchia dicitur: quod nomen etiam hodie ſeruat. Ab Homero in Catalogo inſula hæc ἄριμοι appellatur. Primus Vergil. cùm illud Homeri, εἰν ἀρίμοις, transferret, ex εἰν, Ionum præpoſitione, & ἀρίμοις, unam dictionem conflauit, numero & declinatione mutatis. Inarime uerò dicta eſt ab Arimis, ſiue populis, ſiue belluis, ita priſca Hetruſcorum lingua ſimias dictante, quas Græci

πιθήκους uocāt, unde nomen inſulis Pithecuſſis, ut Strab. placet, ex hiſtoria fabuloſa, quam Harpocration, Xenagoras, & Suidas ita referunt: Fratres (aiunt) duo fuerūt, Candulus & Atlas, omnium ſcelerum, quibus humana uita obnoxia eſt, autores & inuentores: adeò ut morum peruerſitas, Cercopum nomen eis fecerit. Impoſtores enim ac planos, quales hi præcipui fuere, ita Græci uocāt ab animalibus, quæ κέρκῳ, id eſt, caudæ motu blandiuntur: ijs ſummum ſtudium fuit, appulſos & aduenas dolis quibuſcunq; circumuenire. Quod cùm in ipſum etiam Iouem tentaſſent, ab eo ex hominibus in ſimias mutati ſunt, quas Græci pithecos uocant. Vnde inſulis, quas tenebant, Pithecuſis uocabulum datum. Hinc Ouid. Xenagorem ſecutus 14. Metamor. cecinit,

Inarimen, Prochytenq; legit, ſteriliq; locatas
Colle Pithecuſas, habitantum nomine dictas.

Plinius tamen libr. 3. autor eſt, Inarimen à Græcis dictam Pithecuſam, non à ſimiarū multitudine, ut aliqui exiſtimauere, ſed à figlinis doliariorum.

India, (ἰνδία) regio Orientalis, Aſiæ terminus, quæ tam uaſta eſſe perhibetur, ut eam tradant eſſe tertiam partem omnium terrarum. Pomponius ſcribit, tantum ſpatium litoris eam occupare, quantum per ſexaginta dies noctesq; uelificantibus curſus eſt. Autor eſt Strabo libro 15. in India fuiſſe quinq; millia oppidorū, quorū nullum Cô Meropide minus fuerit. Nomē habet ab Indo flumine, in quē ab Occidentali plaga deſinit, qui ſolus præter Nilum crocodilos creat. À Septentrione Tauri iugis, ab ortu Eoo pelago, à Meridie ſuo, hoc eſt, Indico clauditur. Gemmis abūdat, elephātos procreat Africanis multò maiores. Arbores habet ſemper frondentes: tellus bis fruges in anno

ad

ad maturitatem perducit. Piper*, calamum aromaticum, & cinnama ad nos mittit.* Illic *binæ æſtates, lenes auræ, temperies cœli, ubertas ſoli, aquarũ abundantia: quæ omnia faciũt, ut maiora in* India, *quàm in cæteris regionibus naſcantur animalia.*

Indus, (ἰνδὸς) *fluuius* Oriẽtis, *ſecũdùm* Gangẽ *longè maximus,* Indiã *ab* Occaſu *alluẽs: à quo tota ea regio nomẽ accepit.* Hunc *in iugo* Caucaſi *montis, quod uocatur* Paropamiſus, *aduerſus* Solis *ortũ effuſum aiunt, in ſeq;* x i x. *amnes recipere: de quo* Arrianus *de* Geſtis Alexãdri *li.* 5.

Ingeniculus, *ſignum cœleſte, quod* Græco *uocabulo* ἐγγόνασιν *nominant.* Firmicus *lib.* 6. Ingeniculus, *qui &* Engonaſis, *in extremis partibus oritur.* Hoc *ſidere nati, erũt mendaces, fugaces, callidi.* Hic *eſt* Hercules *(ut* Hyginus *docet) qui dextro genu nixus, ſiniſtro pede capitis* Draconis *dexteram partem opprimere conatur.*

Inò, (ἰνὼ) Cadmi *&* Harmoniæ *filia, &* Liberi *patris nutrix, cum qua* Athamas Thebanorum *rex ſecundas contraxit nuptias, poſtquam* Nephele *(ex qua ille iam* Phryxum *&* Hellen *ſuſceperat)* Liberi *patris furore agitata in ſyluas ſe contulerat.* Hæc, *ut erat, ita reuera ſe nouercam geßit, priuignosq; identidem apud patrem accuſans, eò compulit, ut conſcenſo aureo ariete fuga ſibi conſulerent.* Quam *rem ægrè ferens* Iuno, Athamanti *Furias immiſit, quæ in tantam eum adegerunt rabiem, ut cùm* Inò *ad ſe accedentem aſpiceret, hanc quidem leænam, filios autem ſuos eiuſdem catulos eſſe arbitraretur, atq; raptum* Learchum *alterum ex filijs ſaxo illiſerit, idem in uxore exemplum editurus, niſi illa arrepto* Melicerta *altero filio, unà cum illo in mare ſe abieciſſet: ubi deorum miſeratione in deam marinam eſt transformata, quam* Græci *qui*

dem λευκόθεαν, Latini autem Matutam appellant. Melicertes autem in Palæmonem, quem nos Portunum nominamus. Vide Ouid. lib. 4. Meta. & Hyginum Fab. poët. capi. 1. 2. 3. 4.

Iò, (ἰὼ) filia Inachi fluuij, à Ioue adamata, quam ob interuẽtum Iunonis, ne agnoſceretur, Iupiter in iuuencam transformauit. Iuno tamen, ſuſpicata id quod res erat, uaccam eam à Ioue ſibi dono dari poſtulauit: quã cùm accepiſſet, appoſuit ei cuſtodem Argum centoculum, à quo cùm moleſtiſsima cuſtodia premeretur, ægrè id ferens Iupiter, per Mercurium eum interficiendum curauit. Quam ob rem indignata Iuno, œſtrum pellici immiſit, cuius aculeis exagitata, in Aegyptum uſq; perfugit: ubi implorato Iouis auxilio, priſtinam formã recuperauit, regiq; Oſiridi nupſit: Aegyptijsq; omnibus adeò chara fuit, ut poſt mortẽ dea habita ſit, quam illi Iſidem appellarunt, ſacraq; eius Iſiaca, quibus anſer immolari conſueuit. Vide hanc fabulam latius apud Ouid. lib. 1. Metamor.

Iocaſta, (ἰόκαςα) Oedipi mater fuit, filia Creontis Thebanorum regis, & uxor Laij, quæ poſt mariti necem, Oedipo filio imprudens nupſit, ex quo Eteoclem & Polynicẽ genuit: qui cùm ſe mutuis uulneribus confeciſſent, ipſa quoq; ſibi manus intulit. Vide Statium 8. Thebaïd.

Iolcos, (ἰωλκὸς Steph.) oppidũ eſt Magneſiæ, (quæ eſt regiuncula Theſſaliæ ab Ortu annexa) inter Pelion & Oſſam montes ad ſinum Pelaſgicum, quem & Iolciacum ab huius oppidi nomine appellat Ouid. 7. Metam.

Iolâus, (ἰόλα@) Iphicli filius fuit, qui Herculi hydram interficienti adfuit, ferroq; candenti cruorem reſtinxit atq; cohibuit, ne alia ex eo capita ſuppullularent. Hic cùm ad decrepitam ætatem perueniſſet, Herculis precibus iuuentuti

tuti reſtitutus eſt: ut fabulatur Ouid.9.Metam.

–Dubiaq́; legens lanugine malas
Ora reformatus primos Iolaus *in annos.*

Iole,es,(ἰόλη) *Euryti* Oechaliæ *regis filia fuit, ab* Hercu*le adamata, quam cùm* Eurytus *iam uictus ei tradere recuſaſſet, licet certaminis lege debitam, ira accenſus* Hercu*les* Eurytum *interfecit, urbeq́; direpta* Iolen *abduxit, poſteaq́;* Hyllo *filio ſuo uxorem tradidit.* Ouid.lib.9. Meta.

–At longis anxia curis
Argolis Alcmene *queſtus ubi ponat aniles,*
Cui referat nati teſtatos orbe labores,
Cuiue ſuos caſus, Iolen *habet.* Herculis *illam*
Imperio thalamoq́; animoq́; receperat Hyllus.

Iónia,(ἰωνία) *Aſiæ minoris regio, media inter* Cariam *&* Aeolidem, *tum cœli bonitate, tnm ſitus commoditate nulli regionum poſthabenda.* Huius *incolæ dicti ſunt* Iones, (ἴωνες) *ab* Ionibus Græciæ *populis oriundi: quorum olim duodecim præcipuæ fuerunt ciuitates, decem in continenti ſitæ,* Miletus *ſcilicet,* Myûs, Priene, Epheſus, Colophon, Lebedus, Teos, Clazomenæ, Phocæa, Erythræa, *& duæ in inſulis* Chios, *&* Samos. Ouid.6.Faſt.

Nec Latium *norat, quam præbet* Ionia *diues,*
Nec quæ Pygmæo *ſanguine gaudet auis.*

Hinc Ionicus,a,um, Horat.lib.3.Carm.Ode 5.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura uirgo, & fingitur artubus
Iam nunc, & inceſtos amores
De tenero meditatur ungui.

Iónium mare, (ἰόνιον πέλαγος) *dicitur ea pars maris* Mediterranei, *quæ ſupra fauces* Adriatici *inter* Siciliam *&* Cretam *expanditur: ut non obſcurè innuit* Plinius

libro 4.capite 11.cùm ait Ionium *mare à Græcis in Siculum & Creticum diuidi. Sunt qui* Iſthmum Peloponneſiacum Ionij & Aegæi *maris terminum faciunt: in qua ſententia uidetur fuiſſe &* Lucanus, *ſic ſcribens libro 1.* Pharſaliæ,

-Qualiter undas
Qui ſecat, & geminũ gracilis mare ſeparat Iſthmos,
Nec patitur conferre fretum: ſi terra recedat,
Ionium Aegæo *franget mare.*

Quod ſi concedamus, dicendum erit, Creticum mare, Aegæi, non Ionij *partem eſſe.* Ptolemæus *uerò in deſcriptione* Macedoniæ *eam quoq; partem ſinus* Adriatici, *quæ* Macedoniæ *oram ab* Occaſu *alluit,* Ionio *mari attribuit: eiusq́; terminos,* Dyrrhachio *ſiue* Epidamno *urbe, &* Pylichno *fluuio circunſcribit. Rectius tamen* Plinius, *cæteriq́;* Acroceraunio *promontorio* Ionium *mare ab* Adriatico *dirimunt. Quod autem ad nominis rationem attinet, non ſatis conuenit inter ſcriptores.* Dydimus *enim dictum exiſtimat ab* Ionio *quodam* Dyrrhachij *filio, quẽ* Hercules *cùm imprudenter occidiſſet, in mare proiecit, ut memoriam eius propagaret.* Solinus *ab* Ionia *extrema* Italiæ *regiuncula dictum mauult.* Lycophron, *ab errore* Iûs, Inachi *filiæ: alij ab* Ionum *naufragio: nonnulli ab* Ione *quodam* Adriæ *patre, qui deinde mari* Adriatico *nomen fecit.*

Ioppe, (ἰόππη) *urbs maritima* Palæſtinæ, Cephei *regia, circa quam* Andromedam *ferunt marinæ belluæ fuiſſe expoſitam, poſteaq́; à* Perſeo *liberatam, eidem nupſiſſe.* Hanc *antiquiſſimam orbis totius urbem fuiſſe uolunt, ante terrarum inundationem, quæ* Deucalionis *contigit temporibus, conditam: in qua etiam hodie ſcopulum incolæ*

incolæ oſtendunt, uinculorum Andromedes ueſtigia retinentem. Nonnulli tamen non Ioppen Palæſtinæ, ſed aliam Indiæ urbem fuiſſe dicunt, ubi Andromeda marinæ beluæ fuit expoſita, cùm dicat Ouidius libro 1. de Arte Amandi,

Perſeus Andromeden nigris portauit ab Indis.

Et Sappho ad Phaonem:

Candida ſi non ſum, placuit Cepheïa Perſeo,
Andromede patriæ fuſca colore ſuæ.

Iordánis, (ἰορδάνης) fluuius eſt Iudææ, aquas habens ſuauiſsimas, Peræam à reliqua Iudæa diſterminans, teſte Plinio lib. 5. cap. 14. Oritur ad radices Libani duobus fontibus: alteri nomen eſt Ior, alteri Dan, qui ſimul iuncti Iordanem efficiunt.

Ios, (ἴος) inſula eſt in mari Myrtoo, teſte Plinio lib. 4. cap. 12. unà Sporadum, diſtans à Naxo XIIII. M. paſs. In hac Homerum ſepultum ferunt, ita iubente oraculo, ut in materna patria ſepeliretur, propterea quòd mátre certa, patre uerò incerto natus eſſet.

Iphianaſſa, (ἰφιάνασσα) & Lyſippe, filiæ fuerunt Prœti Argiuorum regis, quæ cùm ad Iunonis templum ueniſſent, deam contumelijs affecerunt, patris ſui domum diuitijs templi Iunonis, uel, ut alij ferunt, formam ſuam Deæ pulchritudini præferentes, à Iunone in furorem uerſæ ſunt, adeò ut putarent ſe eſſe uaccas, agroſq́; falſis mugitibus implerent. Ad quas curandas accerſitus eſt Melampus, cui pater regni partem, & alteram filiam, quam uellet, nuptui promiſit. Placata igitur per ſupplicationem, & hoſtias Iunone, Melampus Prœtidas à morbo curauit, & Iphianaſſam uxorem duxit. Hoc etiam nomine appellatur à Lucretio libro primo

Iphigenia, Agamẽnonis filia ex Clytæmneſtra, cũ inquit:

Aulide quo pacto Triuiai uirginis aram
Iphianaſſæo turparit ſanguine fœdè.

Iphiclus, ſiue, ut apud Solinum legitur, Iphicles, (ἰφικλῆς Suidæ) filius fuit Amphitryonis & Alcmenæ, eodem cum Hercule partu editus, quamuis diuerſo ex patre. Hic cùm Iuno nouercali concitata odio Herculi angues duos immiſiſſet, tanto perculſus eſt timore, ut de cunis decidens, uagitu ſuo parentes excitarit: qui cùm repentè ſurrexiſſent, uiderunt Herculem duos miræ magnitudinis angues manibus elidentem.

Iphídamas, (ἰφιδάμας) teſte Homero lib. 11. Iliados, Antenoris filius fuit, corpore lato atq; procero, ab Agamẽnone in bello Troiano interemptus.

Iphigénía, (ἰφιγένεια) Agamemnonis & Clytemneſtræ filia, de qua fabulam huiuſmodi comminiſcuntur Poëtæ. Cùm Agamemnon in Aulide ceruum Dianæ imprudens occidiſſet, Dea indignata contrarijs flatibus Græcorum nauigationẽ eſt remorata. Qua de re cùm uates conſulerent, reſponſum eſt, Agamemnonio ſanguine Deam eſſe placandam. Miſſus igitur Vlyſſes Iphigeniam aſtu à matre abduxit, Achilli eam nupturam ſimulans: cumq; iam immolanda eſſet, dea eius miſerta ceruam pro ea ſuppoſuit, uirginem autem in Tauricam regionem tranſtulit, ubi à Thoante rege eiuſdem Deæ ſacris præfecta eſt, quæ humano ſanguine fieri ſolebant. Quò cùm poſtea Oreſtes Furijs agitatus & ab incolis captus ueniſſet, iamq; eſſet immolãdus, à ſorore agnitus & liberatus eſt: cum quo non multò pòſt occiſo Thoante rege aufugit, ablato ſecum Dianæ ſimulacro, in lignorum faſce abſcondito (propter quod illam Faſcelidem uocarunt) quod cùm in

Italiam

Italiã ueniſſent, in Aricino nemore collocarũt. Ouid. lib. 3. de Ponto,

Sceptra tenente illo, liquidas feciſſe per auras
Neſcio quam dicunt Iphigenian iter.

Iphimédia, (ἰφιμέδεια) *uxor fuit Aloëi, quæ compreſſa à Neptuno, filios geminos peperit, Otum & Ephialten, qui ſingulis menſibus nouem digitorum longitudinem ſtaturæ ſuæ adijciebant, cumq́; paucis annis in ſummam corporis molem excreuiſſent, unà cum cæteris gigantibus aduerſus ſuperos bellum mouentes, Apollinis & Dianæ telis confixi ſunt.*

Iphínous, (ἰφίνοος) *unus ex Centauris, apud Ouidium 12. Metamorphoſeos.*

Iphis, (ἶφις) *puer fuit formæ uenuſtate conſpicuus, qui cùm Anaxareten puellam impotenter adamaret, neq; illa eius amori reſponderet, impatientia repulſæ uitam laqueo finiuit. Cumq́; iam ad ſepulturam efferretur, Anaxarete è feneſtra proſpiciens, immotisq́; oculis funus aſpiciens, in ſaxum mutata eſt. Vide latius hanc fabulam apud Ouid. 14. Metamor. Fuit item Iphis, puella quædam Cretenſis, ex Phæſto oppido, Lygdi & Telethuſæ filia, ipſo nuptiarum die in marem mutata. Nam cùm Lygdus uxorem grauidam eſſe animaduerteret, peregrè proficiſcens in mandatis ei reliquit, ut ſi filiam pareret, exponi eam curaret. Idq́; cùm ita eueniſſet, anxia Telethuſa, quòd neq; naturæ legem, quæ liberis nobis nihil charius eſſe uoluit, neq; mariti iuſſa auderet præuaricari, mediam uiã delegit, qua & pietatis fines non prætergrederetur, & uiri indignationem euitaret. Simulat itaq; marem ſeſe peperiſſe, habituq; uirilem mentitur ſexum, nomenq́; Iphidi imponit, mari fœminæq; commune. Verùm cum iam ado-*

leuiſſ

leuiſſet, paterq́; puellam Ianthen *nomine ei deſpondiſſet,* Telethuſa *animaduertens rem diutius celari non poſſe,* Iſidis *opem implorauit: quæ precibus eius exauditis,* Iphi*dem in marem commutauit.* Vide *latius hanc fabulam apud* Ouid. *lib.* 9. Metamorph.

Iphitus, (ἴφιτος) *Euryti* Oechaliæ *regis filius, quem* Hercules, *occiſo patre, è turri præcipitauit. Alius fuit* Iphitus *Troianus, cuius meminit* Vergilius 2. Aen.

–Diuellimur inde
Iphitus & Pelias mecum.

Iris, (ἶρις) Thaumantis *filia, quam* Poëtæ Iunonis *nuntiam faciunt.* Verg. 5. Aeneid.

Irim de cœlo miſit Saturnia Iuno.

Reuera *autem* Iris *arcus eſt cœleſtis :* Iunonis *autem nomine aërem intelligimus.* Vnde *cùm* Poëtæ Irim Iunonis *faciunt nuntiam, hoc intelligi uolunt, pluuiæ eam prænuntiam eſſe.*

Irus, (ἶρος) *mendicus fuit* Ithacenſis, *aſſecla procorum* Penelopes, *uero nomine* Arnæus *dictus:* Irus *autem cognominatus, quòd quemadmodum* Iris Deorum, *& præcipuè* Iunonis, *ita hic procorum nuntius eſſet.* Hunc Vlyſſes *domum reuerſus pugno interfecit: ut eſt uidere apud* Homerum 18. Odyſſ. Huius *paupertas abijt in prouerbium, ut hominem extremæ inopiæ* Iro *pauperiorem dicamus.* Ouidius:

Irus erit ſubitò, qui modò Crœſus erat.

Iſander, (ἴσανδρος) *filius* Bellerophontis & Achimenes *eo in bello, quod* Lycij Solymis *intulerunt, ab hoſtibus interfectus: ut eſt autor* Homerus 6. Iliad.

Iſara, (ἰσάρ Ptolemæo) *eſt fluuius* Allobrogum, *non procul à* Cemeno *monte in* Rhodanum *influens.* Lucanus *libr.* 1.

Hi

Hi uada liquerunt Iſaræ, qui gurgite ductus
Per tam multa ſuo, famæ maioris in amnem
Lapſus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.

Iſaúria, (ἰσαυρία) *regio minoris Aſiæ ad Taurum montem, Ciliciæ proxima, quam P. Seruilius in ditionem Romanorum redegit, multis piratarum munitionibus, quæ in ora maritima erant, ui expugnatis: unde & Iſaurici cognomentum accepit: ut eſt autor Strabo lib. 12. Dicta Iſauria ab Iſauris, præcipua regionis totius urbe, inter Lycaoniam, & Ciliciam ſita, quam poſtea Claudius, deducta eò colonia, de nomine ſuo Claudiopolim appellauit: ut refert Ammianus.*

Iſaurus, (ἴσαυρος) *Flaminiæ fluuius, qui accepto Sapi, nõ procul à Cæſenna in mare influit Adriaticum. Luca. li. 2.*

Cruſtumiumq; rapax, & iunctus Sapis Iſauro.

Iſchómache, es, (ἰσχομάχη) *uxor Pirithoi fuit, ex Atracia Theſſaliæ regiuncula, alio nomine Hippodamia appellata, quam cùm Centauri Pirithoo præripere conarentur, ingenti clade ab Hercule & Theſeo profligati ſunt. Propertius lib. 2. Eleg. 4.*

Iſchomache Lapithæ genus heroinæ.

Dicta Iſchomache παρὰ τὸ ἴσχειν τὴν μάχην, *hoc eſt, à cohibenda pugna.*

Iſis, (ἰσίς) *Inachi fluminis filia, Io prius dicta: quam cùm Iupiter adamaret, metu interuenientis Iunonis, in iuuencam transformauit. Neq; tamen tam callidè rem diſſimulare potuit, quin ſuſpicioſiſſimæ uxori ſuboleret: quæ cùm iuuencam illam ſibi dono dari petijſſet, neq; ille auſus eſſet pernegare, Argo cuſtode illi appoſito, arctiſſimè eam obſeruauit. Quam rem tam ægrè tulit Iupiter, ut Argum per Mercurium interficiendum curarit. Iuno autem œſtro*

pelli

pellici immiſſo, ſummis eam doloribus ſine intermiſsione exagitauit, donec uicem illius miſeratus Iupiter, bona cũ uenia uxoris priſtinæ eam formæ reſtituit. Hæc poſtea Oſiridi nupſit, mutatoq́; nomine Iſis dicta eſt, quam Aegyptij uita functam, ob beneficiorum memoriam; quæ in ipſos contulerat, diuinis honoribus ſunt proſecuti, ſacerdotesq́; ei inſtituerũt, quos Iſiacos de nomine eius appellarunt. Lucanus lib. 8.

Nos in templa tuam Romana recepimus Iſim.

Iſiphylus, (ἰσίφυλος) pater fuit Proteſilai, & ſocer Laodamiæ. Ouid. Epiſt. 6.

Vix ſocer Iſiphylus, uix me grandæuus Acaſtus,
Vix mater gelida mœſta refecit aqua.

Iſmarus, ri, ſiue Iſmara, orum, (ἴσμαρος) mons Thraciæ aſpe. & incultus ex una parte, ex altera fertilis uinetis & oliuetis, quem Orpheus incoluit. Vergi. 6. Eclo.

Nec tantum Rhodope miratur, & Iſmarus Orphea.

Et rurſus 2. Geor.

-Iuuat Iſmara Baccho
Conſerere, atq; olea magnum ueſtire Taburnum.

Iſmêne, (ἰσμήνη) Oedipi filia, ut aſſerit Statius 2. Thebaidos, Cyrrhei cuiuſdam iuuenis ſponſa, qui ante nuptias à Tydeo occiſus eſt.

Iſmênus, (ἰσμηνὸς) fluuius Bœotiæ, non procul ad Aulide in Euripum Euboicum illabens. Dictus autem putatur Iſmenus ab Iſmeno Pelaſgi filio. Ouid. 2. Metamor.

Et celer Iſmenus cum Phocaïco Erymantho.

Statius libro 1. Thebaïdos:

Horruit ingenti uenientem Iſmenon aceruo.

Iſter, (ἴστρος) fluuius eſt Europæ longè maximus, qui ortus in iugis Arnobæ montis Germaniæ, ex aduerſo Raurici

Galliæ

Galliæ oppidi, multis intra Alpes millibus, ac per innumeras lapſus gentes, ſexaginta auctus amnibus, in Pontum ſex oſtijs euoluitur. Alio nomine Danubius dicitur, præſertim à fonte uſq; ad cataractas, quæ ſunt in mõtibus Daciæ, non procul à Taururo oppido. Nam inde deinceps Iſtri nomen aſſumit. Ouid. 1. de Ponto:

Stat uetus urbs, ripæ uicina binominis Iſtri.

Iſthmia, (ἴσθμια) inter quatuor ſacra certamina numerantur, quæ quinto quoq; anno in Græcia celebrari ſolent, in honorem Neptuni inſtituta à Theſeo (ut Plutarcho uidetur) aut certè in honorẽ Palæmonis: ut ex Archiæ Poëtæ Græco Epigrãmate colligitur, quod etiam hodie circunfertur. Huius certaminis uictores pinu coronabantur. De inſtitutione horum ludorũ ſic ſcribit Plutarchus in Vita Theſei: Theſeus primus Neptuno certamen inſtituit, gloriariq; eſt ſolitus, ob Herculem Ioui, ob ſe uerò Iſthmia Neptuno celebrari. Quod enim ibidem in Melicertæ honorem inſtitutũ eſt, noctu agebatur, initiandi magis, quàm ſpectaculi ſpeciẽ præferens. Hactenus ille. Dicta autẽ ſunt Iſthmia, à Pelopõneſi iſthmo, in cuius faucibꝰ celebrabantur, non procul à Neptuni templo, quod illic erat in primis celebre.

Iſthmus, (ἰσθμὸς) fauces ſunt anguſtæ intermediæ inter peninſulã & continentẽ, & ueluti quædam ceruix, quæ à continẽte, uelut à corpore gracileſcens, peninſulam cum continente, tanquam caput cũ reliquo corpore cõnectit. Iſthmo opponitur Porthmus, id eſt, fretum anguſtum inter duas continentes: quale eſt fretum Gaditanum, exiguo interuallo Europam ab Africa diuidens. Iſthmus omnium celeberrimus, eſt ille, quem & Corinthiacũ & Achaicum uocamus, quinq; tantùm milium ſpatio Aegæum ma-

re ab Ionio ſubmouens, anguſtoq́; tramite Helladi Peloponneſum annectens. In huius Iſthmi faucibus Corinthus olim ſita fuit, totius Peloponneſi urbs clariſſima.

Iſtria, (ἰςρία) *Italiæ regio, poſt flexum Adriatici ſinus, Illyrio contermina, quæ in latitudine ſexaginta paſſuum millia, in circuitu centum uiginti quinq; millia complectitur: à Phormione, nunc Tiſano fluuio, ad Banaticum ſinũ extenſa, in quo Arſia amnis decurrens, Iſtriam ab Illyrio dirimit. Huius regionis incolæ Iſtri dicuntur. Lucan. libro 4.*

Detegit orta dies ſtantes in puppibus Iſtros.

Hos fama eſt originẽ à Colchis duxiſſe, miſſis ab Aeeta rege ad Argonautas perſequẽdos: qui ut à Põto intrauerũt Iſtrum, nec raptores inueniſſent, ſiue metu regis, ſiue tædio longæ nauigationis, iuxta Aquileiam conſederunt, Iſtriq; ex amnis nomine, quò à mari conceſſerant, ſunt appellati.

Itália, (ἰταλία) *Europæ regio nobiliſſima, prius Heſperia dicta, ſiue ab Heſpero rege, qui ab Atlante fratre ex Africa pulſus, & Hiſpaniæ & Italiæ dedit nomen: ſiue (ut Macrobius inquit) ab Heſpero ſtella, quòd occaſui ſubiecta ſit. Dicta etiam fuit Oenotria, uel à bonitate uini, quod in Italia naſcitur (nam Græci οἶνον uinum dicunt) uel ab Oenotrio Sabinorum rege. Poſtea Italia, ab Italo Siculorum rege, qui agriculturam Italos docuit, & leges condidit, eamq́; partem, in qua poſtea Turnus regnauit, à ſuo nomine Italiam appellauit. Verg. libro 1. Aen.*

Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ,
Oenotrij coluere uiri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine, gentem.

Timæus & Varro, à bobus uocatam Italiam prodiderũt, propterea quòd Græcorum ueteri lingua Itali uocati ſint, à quorum multitudine & pulchritudine Italiam dixerunt. Latium autem & Auſonia, non totius Italiæ, ſed partium quarundam ſunt nomina. Latium enim eſt ea pars Italiæ, quæ citeriori Tiberis ripæ adiacet, ubi hodie eſt Roma. Auſonia uerò dicta fuit Italiæ regio maritima, inter eam agri Brutij partem, quæ Siciliæ obijcitur, & Salentinos intercepta: unde etiam uicinum mare Auſonium appellatum fuit. Eſt autem omnis Italia in formam cruris inter Adriaticum, & Tuſcum mare, à iugis Alpium dorſoq; Apennini porrecta, paulatim ſe attollens uſq; ad fretum Siculum. In ultimo ſui ſcinditur in duo cornua, quorum alterum Ionium ſpectat mare, alterum Siculum, in extremitate Rhegium oppidum habens. Eius longitudo, quæ ab Auguſta prætoria, in Alpino limite ſita, per Romam Capuamq; porrigitur, uſq; ad oppidum Rhegium, Solino teſte, decies centena & uiginti millia paßuum continet: latitudo uerò quadringenta decem, ubi maxima latitudo; ubi uerò minima, centum trigintaſex: habetq; umbilicum in agro Reatino. Olim ad Septẽtrionem terminum habuit Rubiconem fluuium, quem Auguſtus in ſua deſcriptione ad ipſas uſq; Alpes protulit. Regiones maximè inſignes ſedecim habet, Liguriam, Hetruriam, Latium, Campaniam, Lucaniam, Calabriam, Apuliam, Samnium, Picenũ, Flaminiã, Aemiliam, Vmbriam, Galliam Ciſalpinam, Venetiam, Iapidiã, Carniã, & Iſtriam. Hinc Italus, a, um: ut, Regna Itala, apud Vergil. 3. Aen.

Ithaca, (Ἰθάκη) *inſula eſt in mari Ionio, ante Epirum, Vlyſſis patria, frequentibus ſcopulis aſpera, Vergil. 3. Aen.*

Effugimus Ithacæ ſcopulos, Laërtia regna.

Ithôme,(ἰθώμη)oppidũ eſt Phtiotidis,regionis Theſſaliæ, cuius meminit Homerus in Catalogo.Eſt & altera Ithome in agro Meſſeniaco,quam Lacedæmonij poſt decem annorum obſidionem in deditionẽ acceperũt:ut eſt autor Thucydides lib.1.Statius 4.Thebaid.

Planaq; Meſſene,montanaq; nutrit Ithome.

Ituræi,(ἰτουραῖοι)populi Syriæ cœles,in Arabiam uergentes, accolas, qui plana incolunt, perpetuis excurſionibus infeſtantes.Hi arcu potiſſimũ utebantur in bello:unde Ituræi arcus à Poëtis plurimum celebrantur. Verg.2.Geor.

-Ituræos taxi curuantur in arcus.

Itylus,(ἴτυλος) filius fuit Zethi ex Aëdone coniuge, quẽ mater noctu per errorem interfecit,putãs eũ eſſe Amalea Amphionis filium,cuius fœcunditati inuidebat, quòd iam ſex filios mares peperiſſet. Quo errore manè cognito,doloris impatientia contabuit, & deorũ miſeratione in luſciniam,aut(ut alij malunt) in carduelem eſt commutata.

Itys,(ἴτυς) Tereî Thracum regis filius,ex Progne Pandionis Athenienſiũ regis filia,quem mater interemit,Tereoq; uiro ſuo,quòd Philomelæ ſorori ſuæ uim intuliſſet, epulandum appoſuit. Quam uxoris impietatem cùm Tereus agnito filij capite depræhendiſſet, ſtrictoq; enſe Prognen & Philomelam inſequeretur, in upupam dicitur eſſe commutatus,Progne uerò in hirundinem, Philomela autem in luſciniam,Itys deniq; in phaſianum.Ouid.ad Liuiam;

Deflet Threïcium Daulias ales Ityn.

Iuba, rex Mauritaniæ fuit, Pompeianarum partium conſtantiſſimus aſſertor,qui Curionem à Cæſare in Africam miſſum,cum omnibus copijs deleuit. Victo uerò Pompeio, cum Scipione copias coniunxit, commiſſoq; prælio ſuperatus,cùm nulla iã ſpes reliqua eſſet, magnificè epulatus,

cum

cum Petreio *mutuis uulneribus cõcurrens, fortiſſimè ceci dit.* Lucan. *lib.* 5.

-*Libyamq́; iubent autore Senatu*
Sceptrifero parêre Iub*æ*.

Iudæa, (*ἰουδαία*) *Aſiæ regio eſt, à Septentrione Syria, ab Ortu uerò, & Meridie Arabia Petræa terminata: ad Occaſum autem uſq; ad mare Syriacum extenſa. Dicta Iudæa à Iuda Patriarchæ Iſrahelis primogenito.*

Iuérnia, (*ἰουερνία Stephano & Ptolemæo*) *inſula eſt in Septentrionali Oceano, tantùm ferè à Britannia diſtans, quantùm Britannia abeſt à continente. Cæſar Hyberniam uocat: Mela Iuuernam: quo nomine etiam Iuuenalis eam appellat. Sat.* 2.

-*Arma quid ultra*
Littora Iuuernæ promouimus, & modò captas
Orcadas?

Iugurtha, *filius fuit Manaſtabalis, fratris Micipſæ, regis Numidarum, quem patruus moriens, hæredem regni ſui cõſtituit, unà cum duobus filijs ſuis adhuc impuberibus, Adherbale & Hyempſale: quos ille poſtea beneficiorum immemor, inſidijs adortus interfecit, ut ſolus regnaret. Id ægrè ferentes Romani bellum aduerſus Iugurtham mouerunt: quod ducum inertia, perfidiaq́; præter omnium expectationem multos in annos eſt protractum: quo temporis interuallo uario ſæpe euentu pugnatum eſt, donec miſſo in Numidiã Mario, Iugurtha fractis opibus ſuis ad Bocchum Mauritaniæ regem confugit: à quo proditus, Syllæq; traditus, ad Marium perductus eſt, & ab eo Romæ in triumpho ductus, tandemq́; in carcerem coniectus, animi dolore perijt. Propert. libro tertio,*

Victor cum uictis pariter miſcebitur umbris:

Conſule cum Mario capte Iugurtha ſedes.

Vide Salluſtium de bello Iugurthino.

Iúlius Cæſar, *omnium Romanorum Imperatorum clariſsimus fuit, quemq; unum ex Romanis habemus, quem Alexandro Macedoni non modò conferre, uerùm etiam iure poſsimus præponere. Eius laudes & res geſtas paucis perſtrictas uide apud Plinium libro 7. cap. 25. Iuliorũ autem nomen, ab Iulo Aſcanio Aeneæ filio tractum putatur: quod & ipſum oſtendit Vergi. libro 1. Aene. cùm ait:*

Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar,
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris,
Iulius, à magno demiſſum nomen Iulo.

Huius honori tributum eſt, ut ſeptimus anni menſis (eo enim natus eſt) Iulius fuerit appellatus, cùm antea Quintilis diceretur, quòd quintus eſſet à Martio, à quo Romani ſuum olim auſpicabantur annum.

Iúnius, *(ἰούνιος, ἑκατομβαίων) ſextus eſt in ordine menſium, à iunioribus dictus, quemadmodum Maius, à maioribus. Ouid. 6. Faſt.*

Sic ſtatuit, menſesq; nota ſecreuit eadem.
Iunius eſt iuuenum: qui fuit antè, ſenum.

Iuno, *(ἥρα) Saturni & Opis filia, ſoror & coniux Iouis, Dea regnorum & diuitiarũ, quæ & nubentibus præeſſe creditur, unde Pronuba uocatur: & parturientibus obſtetricari, unde Lucinæ nomen ſumpſit. Terent. Iuno Lucina, fer opem. Filiam habuit Heben, quam ex ſylueſtribus lactucis concepiſſe fertur, quas ab Apolline inuitata auidius comederat. Ioui Vulcanum, & Martẽ peperit: quãquam Ouidius Martem ſine uiro eam malit concepiſſe, Olenij tantum floris contactu. Phyſici Iunonem aëra interpretantur: ideoq; Iouis & ſororem, & coniugem dictam*

ſtam uolunt, quòd ſumma ſit aëris cum æthere cognatio & ſimilitudo. Hinc Iunonius,a,um:ut, Auis Iunonia, id eſt, pauo deæ huic ſacer, cuius caudã illa Argi oculis creditur exornaſſe: ut fabulatur Ouid. ad finem libri primi Metamorph.

Iúpiter,(ζεὺς) Opis,& Saturni filius,in Creta inſula eodem cum Iunone partu editus,& in Ida monte à Curetibus educatus:idq; clàm patre,qui ex pactione cũ Titano fratre inita, filios ſuos omnes deuorabat. Cùm autem in uirum adoleuiſſet,cognouiſſetq; etiam tunc patrem uitæ ſuæ inſidiari,regno eum pepulit;mundiq; imperium cum fratribus Neptuno,& Plutone ſorte diuiſit: ac Ioui quidem cœli & terræ, Neptuno maris; Plutoni inferorum imperium obtigit. Iunonem deinde ſororem ſuam uxorem duxit,quæ ei Vulcanum peperit. Cicero 3. de Nat. deor. tres enumerat Ioues,cuius hæc ſunt uerba: Principio Ioues treš numerant ij,qui Theologi nominantur: ex quibus primum & ſecundum natos in Arcadia, alterum patre Aethere,ex quo etiam Proſerpinam natam ferunt, & Liberum: alterum patre Cælo, qui genuiſſe Mineruam dicitur;quam principem & inuentricem belli ferũt. Tertium Cretenſem, Saturni filium;cuius in illa inſula ſepulcrum oſtenditur. Hæc Cicero. Phyſici interpretantur Iouem eſſe elementum ignis;dictumq; Iouem putant à iuuando, eò quòd nulla ſit res,quæ ſic omnia foueat, quemadmodum calor. Nonnunquam tamen à Poëtis pro aëre, ſeu aperto cœlo accipitur. Horat. 1. Carm.

–Manet ſub Ioue frigido
Venator teneræ coniugis immemor.

Aliquando etiam pro pluuia. Verg. 2. Georg.

Et iam maturis metuendus Iuppiter uuis.

Iutúrna, (ἰουτοῦρνη) *Dauni filia, & Turni Rutulorum regis ſoror, quam Iupiter pro erepta uirginitate immortalitate donauit, Numiciq́; fluminis nympham fecit. Hæc in bello fratrem aduerſus Aeneam multùm adiuuit: ſed uidens fratri necem inſtare, in Numicum fluuium ſe occultauit. Verg. 12. Aeneid.*

At procul ut Diræ ſtridorem agnouit, & alas,
Infelix crines ſcindit Iuturna ſolutos &c.

Alij dicunt, eam rem habuiſſe cum Latino rege: eoq́; palàm facto, ſua ſponte ſe in Numicum præcipitauiſſe. Reuera autem Iuturna, fons eſt in agro Latino, in Numiciū influens amnem: quæ res Poëtis fabulandi occaſionem uidetur ſubminiſtraſſe.

Iuuentas, (ἥβη) *Dea iuuentutis, Iunonis filia, quam & Græco nomine Heben uocamus. Horat. 1. Carm. Ode 30.*

Et parum comis ſine te Iuuentas.

Vbi Acron: Aliud eſt Iuuentas, aliud Iuuenta, aliud Iuuentus. Iuuenta, ætas putatur: Iuuentas, ipſum numen: Iuuentus, ipſi iuuenes. Accipitur tamen aliquando Iuuentas pro ætate ipſa iuuenili. Lucretius lib. 5.

Tum demum puerili æuo florente iuuentas
Occipit, & molli ueſtit lanugine malas.

Iuuérna, (ἰουερνία *Ptolemæo) inſula eſt in Oceano Septentrionali, tantùm ferè à Britannia diſtans, quantùm Britannia à continente. Iuuen. Satyr. 2.*

-Arma quid ultra
Littora Iuuernæ promouimus, & modo captas
Orcadas, & minima contentos nocte Britannos.

Plinius Hyberniam uocat: Claudianus in quarto Honorij Conſulatu, Iernam. Hodie uulgi uocabulo Irlandia nominatur.

Ixion

Ixion, (ἰξίων) *Phlegyæ, ſiue (ut* Hyginus *mauult)* Le*ontei filius,qui ſocerum ſuum, (ſiue is* Deioneus *fuerit, ſiue* Eioneus*) fraude peremit. A' qua cæde quum neque homines, neque* Dij *eum luſtrare uellent, diuq; incertus uagaretur,* Iupiter *illius miſertus, in cœlum aſſumptum expiauit. Cumq; iam purgatus apud ſuperos degeret,* Iunonem *amare cœpit,eamq; de ſtupro appellauit.Quod cùm* Iupiter *ab uxore intellexiſſet,nubem illi ſub* Iunonis *effigie oppoſuit, ex qua ille* Centauros *genuit. Deiectus deinde in terram,quum paßim gloriaretur cum deorum regina ſe rem habuiſſe,*Iupiter *indignatus,fulmine ad inferos eum detruſit,curauitq; ut ibi rotæ alligatus, perpetuò circunageretur.*Ouid.4.Metam.

Voluitur Ixion,*& ſe ſequiturq;,fugitq;.*

L

LAbdacus,(λάβδακος)*Phœnicis filius,qui ætate iã in ſenium uergente* Thebas *euocatus,aliquandiu ibi regnauit, filiumq; habuit* Laium, Oedipi *patrem, qui illi in regnum succeßit : unde &* Labdacides *dictus eſt.* Statius 6.Thebaïd.

-Nec uulnera pallidus abdit
Labdacides.

Labici,(λάβικοι) *Italiæ populi,qui genus ſuum à* Glauco *Minois filio traxerunt,quem* Labicum *appellarunt à ſcuto militari intus anſato,quod ſcuti genus primus in* Italia *oſtendit.Nam* λαβὴ *Græcis anſam ſignificat, uel manubrium.*Verg.lib.7.

Et Sacranæ acies,& picti ſcuta Labici.

Labyrinthus, (λαβύρινθος) *locus multis uiarum ambagibus inflexus.quatuor autem præcipuos fuiſſe* Labyrinthos *docet* Plinius *lib.36.cap.13.Creticum, arte maximè*

ſpectabilem, à Dædalo, ut creditur, iuſſu Minois factum, qui Minotaurum illi incluſit: cui Athenienſes ex fœdere ſeptem quotannis ex liberis ſuis deuorandos mittebant. Fuit alter in Aegypto, in nomo Heracleopolite, omnium maximus, & portentoſiſsimum humani ingenij opus, columnis omnibus in introitu ex lapide Pario, reliquis ex Syenitico exciſis. Ab hoc exemplum ſumpſiſſe creditur Dædalus Labyrinthi eius, quem in Creta Minoïs iuſſu extruxit. Tertius fuit in Lemno inſula, reliquis hoc uno mirabilior, quòd columnas 140. haberet, tanto in officina artificio libratas, ut uel à puero circũagerẽtur. Quartus fuit Italicus, à Porſena Hetruſcorum rege ſepulcri cauſa extructus. Hinc Labyrinthêus, a, um. Catullus:

Ne Labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti fruſtraretur inobſeruabilis error.

Lacedæmon, (λακεδαίμων) clariſsima Peloponneſi totius urbs, alio nomine Sparta dicta, Lycurgi olim legibus optimè inſtituta. Hæc Menelaï regia fuit, quam Paris diripuit, Helenamq; inde in Phrygiam abduxit. Ouidius in Epiſtolis,

O` utinam tunc, cùm Lacedæmona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.

Láchesis, (λάχεσις) una Parcarum, quam Latinè Sortem interpretari poſſumus. Nam λαγχάνειν eſt ſortiri. Hanc autem idcirco uitæ humanæ præeſſe uoluerunt, quòd in ea ſortem, hoc eſt, caſum plurimùm ualere arbitrabantur. Ouid. 5. Triſt.

O` duram Lacheſim, quæ tam graue ſidus habenti
Fila dedit uitæ non breuiora meæ.

Lacínium, (λακίνιον) promontorium eſt in extremis Italiæ finibus, inter Petiliam & Crotonem in mare excurrens,

rens, Ioniumq́; dirimens ab Adriatico. Dictum Lacinium à Lacino quodã latrone, quem Hercules quòd boues ſuos abegiſſet, ibi dicitur interemiſſe, templumq́; ibi Iunoni condidiſſe, quam etiam à nomine illius Laciniam cognominauit. Verg. 3. Aeneid.

Hinc ſinus Herculei (ſi uera eſt fama) Tarenti
Cernitur, attollit ſe Diua Lacinia contrà.

Lacónica, cæ, (λακωνικη) *Peloponneſi regio, inter Argiuum agrum, & Meſſeniacum ſecundùm littus extenſa: olim à numero centum ciuitatum Hecatompolis appellata: quarum omnium caput fuit Lacedæmon, alio nomine Sparta appellata, ſalutaribus olim Lycurgi legibus optimè inſtituta. Regionis huius incolæ Lacones, (λάκωνες) dicti ſunt. Statius 6. Thebaid.*

Tandem inſperatus media de gente Laconum
Proſilit Alcidamas.

Huius fœmininum eſt Lacæna. Verg. 2. Aeneid.

Non tibi Tyndaridis facies inuiſa Lacænæ
Has euertit opes.

Idem 4. Aeneid.

—Virginibus bacchata Lacænis Taygeta.

Eſt item Lacon, canis nomen apud Ouid. 3. Metamor.

Præualidusq́; Lacon, & curſu fortis Aëllo.

Ládas, (λάδας) *Alexandri Macedonis curſor fuiſſe traditur, tanta pedum uelocitate, ut ueſtigia eius in arena non apparerent. Quo nomine ſtatuam meruit apud Argos in templo Veneris, quam νικοφόρον cognominabant. Martial. lib. 2.*

Quid ſi per graciles uias Petauri
Inuitum iubeas ſubire Ladam?

Ládon, (λάδων) *fluuius Arcadiæ, iuxta quem Poëtæ fa-*

bulantur Syringa nympham in fiſtulam fuiſſe mutatam. Ouid.*lib.*1.Metamorph.

Donec arenoſi placidum Ladonis *ad amnem*
Venerat.

Laërtes,(λαέρτης) *Arcesij filius fuit,& pater* Vlyßis,*qui ab eo* Laërtiades *dicitur.*Ouid.*in* Epiſt.Penelopes:

Tres ſumus imbelles numero,ſine uiribus uxor,
*Laërtesq́; ſenex,*Telemachusq́; *puer.*

Hinc Laërtius,*a,um : ut,*Regna Laërtia,*apud* Vergil. 3. Aeneidos.

Læſtrygones,(λαιστρυγόνες) *populi fuerunt immanißimi,* Formias *Campaniæ urbē incolentes,quos* Plin. *lib.*7. *tradit humana carne uictitaſſe.* Horū *rex fuit* Antiphates,*qui* Vlyſſem *in littus ſuū tēpeſtatis impetu eiectū,totis uiribus oppugnauit,unūq́; ex eius ſocijs ore appræhēſū dilaniauit.*Vide *hæc latius apud* Homerū *li.*10. *Odyß.*

Lais,idis, (λάις) *meretrix nobilißima fuit, quæ quæſtus gratia,ex Sicilia,ubi nata fuit* Corinthum *ſeſe contulit: unde à ſcriptoribus paßim* Ephyræa, *hoc eſt,* Corinthia *cognominatur.Ad hanc propter inſignem pulchritudinem potentißimi quiq́; ex omni* Græcia *cōueniebant: nec quiſpiam admittebatur,niſi qui dabat,quod popoſcerat.* Vnde *profectum creditur prouerb.* Non *cuiuſuis hominis eſſe,adire* Corinthum.Tam *carè enim* Lais *ſuas locabat noctes,ut uel potentißimi, pretij magnitudine deterrerentur.*Inter *quos etiā* Demoſthenes *fuiſſe fertur, qui cùm ſcorti tam nobilis fama accenſus, aliquando* Corinthum *nauigaſſet, illaq́; noctis unius operam decem millibus drachmarum indicaſſet,expauefactus pretij immenſitate,*Græcè *reſpondit,* οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμελέιαν. Non *emo,inquit,decem milibus drachmarum*

pœnit

pœnitentiam. De hac Propertius lib. 2.

Non ita complebant Ephyrææ Laïdos ædes, &c.

Láius, (λάϊος) *filius fuit* Labdaci *regis* Thebarum, *pater* Oedipi *qui* Iocaſtam Creontis Thebani *filiam uxorem duxit: quam quum concepiſſe audiſſet, de futura prole oraculum conſuluit: cui reſponſum eſt, eum naſcituri manu periturum. Quo reſponſo perterritus, puerum recens natum uni ex ſatellitibus necandum tradidit: qui cùm neq; herilis impietatis ſe miniſtrum præbere uellet, neq; rurſus domini mandata auderet negligere, uiam mediam delegit, traiectisq; uimine pueri pedibus, ex arbore eũ ſuſpendit, futurum ratus, ut inedia moreretur. Verùm cùm* Phorbas Polybi Corinthiorum *regis paſtor illac iter faceret, audito uagitu, eò accurrit, puerumq; ſeruauit: quem & reginæ, quæ liberis carebat, magni muneris loco obtulit, à qua, ueluti puer cœlitus miſſus, filij loco eſt educatus, & à pedibus ex uulnere tumentibus* Oedipus *eſt appellatus.* Grandior *deinde natu factus, cùm generis ſui cognoſcẽdi auidus* Appollinem *conſuluiſſet, reſponſum accepit, ſe patrem in* Phocide *inuenturum. Quò cùm ueniſſet,* Laium *in tumultu quodam inter ciues ſuos, exterosq; exorto, interfecit, matremq; imprudens duxit uxorem. Stat. 11. Thebaid.*

Enſem ſceptriferi ſpolium lacrymabile Laij.

Reliqua *uide in dictione* Oedipus.

Lalætánia, (λαλαιτανία) Hiſpaniæ *regio eſt in tractu* Tarraconenſi, Ilergetibus, & Indigetibus *contermina.* Martialis *libro 1.*

Aprica repetes Tarraconis littora,

Tuamq; Lalætaniam. Inde *fit adiectiuũ,* Lalætanus, *a, um: ut,* Vinum Lalætanum, *magis copia, quàm bonitate laudatum, teſte* Plinio *libro 14. capite 6.* Martialis *lib. 9.*

Et

Et Lalætanæ nigra lagœna ſapæ. Idem alibi:

A' caupone tibi fæx Lalætana petatur.

Lámiæ,arum,(λαμίαι) *ab antiquis mulieres eſſe putabantur, ſiue uerius dæmonum quædam phantaſmata, quæ formoſarum mulierum ſpecie aſſumpta, pueros, pariter & iuuenes blanditijs allectos deuorabãt. Hæ cũ foris eſſēt egregiè oculatæ, domi prorſus cæcutiebant. Hor. 1. Carm.*

Neu pranſæ Lamiæ puerum uiuum extrahat aluo.

Philoſtratus in Apollonio ait Lamias à quibuſdam Laruas appellari, & Lemures, à nonnullis etiam Empuſas, eſſeq́; ad amorem & Venerem propenſas, & carnes humanas maximèq́; formoſorum auidè appetere, ideoq́; libidinis cupiditate allicere eos, ut poſtea deuorent. Plura de his uide apud Cæl. Rhodig. libro 29. capite 5. Lamiarũ item nobilis Romæ familia fuit, à Lamo orta Antiphatis patre, & Læſtrygonũ rege, qui Formis regnauit. Ex hac familia fuit Aelius ille Lamia, Senator Romanus, ad quem extat carmen illud libro 3.

Aeli uetuſto nobilis ab Lamo,
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne Faſtos)
Autore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuiſſe Lyrim.

Lampétia,(λαμπετίη) *filia ſolis ex Neæra, ſoror Phaëthuſæ, quas pater gregibus ſuis in Sicilia paſcendis præfecit. Ad has cùm Vlyſſes ueniſſet, tempeſtate in Siciliam eiectus, ſocij, qui ſumma cibi penuria premebantur, ipſo dormiēte boues aliquot mactarũt. Quam rem cùm ex Lã*

petie

petie filia ſua Apollo dediſſet, querelã ad Iouem detulit: qui nati precibus obſequens, Vlyßis ſocios ad unũ omnes fulmine & tempeſtatibus perdidit. Autor Homerus ad finem libri 12. Odyß.

Lámpſacus, *ſiue* Lãpſacũ, (λαμψακος) *urbs Aſiæ ad Helleſpontum, inter Simoëntẽ et Granicum fluuios: in quo Priap⁹ exquiſitißimis honoribus colebatur. Ouid. 6. Faſt.*

Lampſacus hunc ſoli ſolita eſt mactare Priapo.

Lamus, (λάμος) *filius Herculis ex Omphale Lydiæ regina, cuius ſe nouercam eſſe factam queritur Deianira apud Ouidium Epiſt. 8.*

Vnde, recens crimen, refertur adultera nobis,
Vnde ego ſum Lydo facta nouerca Lamo.

Alius fuit Lamus, Neptuni filius, & Læſtrygonum rex, à quo nobilis Lamiarum familia nomen accepit apud Romanos. Horat. libro 3. Carm.

Acli uetuſto nobilis ab Lamo,
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos.) &c.

Langía, (λαγγία) *fons eſt in Nemea ſylua, poſtea Archemorus dictus, ab Hypſipyles alumno, quem cùm illa, Argiuis fontem hunc oſtenſura, in gramine reliquiſſet, ſerpens interemit. Statius libro 4. Thebaidos:*

Hæc quoque ſecreta nutrit Langia ſub umbra:
Nondum illi raptus dederat lacrymabile nomen
Archemorus.

Laócoon, ontis, (λαοκόων) *filius Priami ex Hecuba, & Apollinis Thymbræi ſacerdos, qui primus omniũ equum ligneũ, quo Troia prodita eſt, intra urbem recipiendum diſſuaſit, haſtamq; in eum tanto impetu contorſit, ut ſonantia intus arma audirentur. Quo facto deorum indi-*

gna

gnationem in ſe creditur concitaſſe, tanquam doni Minervæ uiolator. Protinus enim è mari duo immenſæ magnitudinis ſerpentes emerſerunt, qui primùm duos eius filios, deinde & ipſum auxilio accurrentem occiderunt. De hoc Verg. 2. Aen.

Primus ibi ante omnes, magna comitante caterua,
Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce &c.

Laodamîa, (λαοδάμεια) Bellerophontis fuit filia ex Achemene coniuge: cuius amore correptus Iupiter, cum ea concubuit, ſuſcepitq́; Sarpedonem, qui poſtea Lyciæ rex factus eſt. Verùm cùm Bellerophontes rerum ſucceſſu elatus, in cœlum euolare conaretur, Iupiter hominis temeritatem ægrè ferens, œſtrum illi immiſit, quo exagitatus equus ſeſſorem excuſsit. Diana quoque Laodamiæ infenſa, ſuis eam telis confixit. Homerus 6. Iliad. Altera fuit Laodamia Acaſti & Laodotheæ filia, quæ tanto amore Proteſilaum uirum ſuũ adamauit, ut cùm ab Hectore occiſum cognouiſſet, ſuperſtes ei eſſe noluerit. Priuſquam tamen interiret, in ſolatiũ mœroris optauit, ut mortui umbram uidere poſſet: qua uiſa, in illius amplexibus expirauit. Ouidius Epiſto. 10.

Mittit & optat amans, quò mittitur, ire ſalutem
Aemonis Aemonio Laodamia uiro &c.

Laódice, (λαοδίκη) Priami fuit filia & Hecubæ, quæ Helicaoni Antenoris regis Thraciæ filio nupſit. Alia fuit Agamemnonis filia, quam pater cum Chryſothemi, & Iphigenia, ſeu Iphianaſsa Achilli obtulit, ut ex his quam uellet, uxorem eligeret.

Laódocus, (λαόδοκος) Antenoris Troiani filius, iuuenis imprimis ſtrenuus, cuius formã aſſumpſit Pallas, cùm ſe in acies Troianorũ inferret, Pãdaro ſuaſura, ut ſagitta in

Menelaum emiſſa fœdus uiolaret. Autor Homerus libro 4. *Iliad.*

Laómedon, (λαομέδων) *Ili filius*, & Troi*anorum rex, qui cum de ædificādis* Troiæ *mœnibus cogitaret*, Apolli- ni & Neptuno *id negotij dedit, pactus mercedem, quam mox extructis mœnibus ſe illis ſoluturum iurauit. Verùm cùm poſtea iuramenti immemor, mercede eos fraudaret, illi indignati nouam urbem duplici affecerūt calamitate,* Neptuno *inundationē,* Apolline *uerò peſtē eò immittēte. Qua de re cùm* Laomedon *oraculum conſuleret, reſponſum eſt, alia ratione deos placari nō poſſe, quàm ſi quotannis* Virgo Troiana *quā ſors declaraſſet,* Ceto *dilacerāda exponeretur. Verùm cùm ſors poſt aliquot annos* Heſionen *prodidiſſet, & iam ſcopulo alligata, monſtrum expectaret,* Hercules *illac fortè iter faciens, liberandam* Heſionen *ea conditione recepit, ſi equos diuino ſemine procreatos, quos habere eum conſtabat, in præmium ſibi traderet.* Hunc *igitur in modum pactione facta,* Hercules *interfecta belua, uirginem liberauit. Sed cùm* Laomedon *promiſſis non ſtaret, indignatus* Hercules, *collecto undiquaq; exercitu,* Ilium *expugnauit,* Laomedontem *occidit,* Heſionē Telamoni *uxorē dedit, quòd primus murum conſcendiſſet.* Priamum *quoq; eius filium captiuum abduxit, qui poſtea auro à uicinis redēptus fuit.* Ideoq; ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, *hoc eſt, à redimendo nomen obtinuit.* Hinc Laomedonteus, *a, um,* (λαομεδόντειος.) Vergilius 4. Aene.

–Necdum

Laomedonteæ ſentis periuria gentis?

Item Laomedontiades, *patronymicum.* Idem 8. Aen.

Laomedontiaden Priamum Salamina petentem, &c.

Lápithæ, (λαπίθαι) *populi fuerunt* Theſſaliæ, Pindum

D & Oth

& Othryn montes incolentes, Pirithoi olim imperio pa-rentes. Hi primi omnium frænos & ſtrata equorum cre-duntur inueniſſe. Vergil. 3. Georg.

Fræna Pelethronij Lapithæ, gyroſq́; dedere.

Et libro 2. Georg.

Et magno Hylæum Lapithæ cratera minantem.

Lara, *una fuit Naiadū, Almonis fluuij filia, ex qua Mercu-rius Lares dicitur genuiſſe. Ferunt enim Iouem, cùm Iu-turnam Turni ſororem adamaret, neq; illa potiri poſſet, quòd protinus illa in fluuium inſiliens, ſui copiam illi eri-peret, Latij totius Nymphas conuocaſſe, & ab ijs petijſ-ſe, ut Iuturnæ ad Tiberis ripam obſtarent, ne eo in fluuio ſeſe poſſet occultare. Qua in re cùm cæteræ Nymphæ Io-ui operam ſuam eſſent pollicitæ, Lara illius conſilium pri mùm Iuturnæ, deinde & Iunoni enuntiauit. Quam rem tā ægrè tulit Iupiter, ut uſu linguæ eam priuarit, Mercu-rioq́; ſtatim tradiderit ad inferos ducendam. Verùm Mer-curius, cùm iuſſa patris exequitur, Laræ forma captus, in itinere eam compreßit, gemelloſq́; legitimo tempore ex ea ſuſcepit, quos ex nomine matris Lares appellauit. Vide latius hanc fabulam apud Ouidium lib. 2. Faſt.*

Larîna, *(Λαρῖνα) uirgo quædam Italica, una ex Camillæ comitatu, quæ Turno aduerſus Aeneam ſuppetias tulit. Vergilius 11. Aeneid.*

At circum lectæ comites, Larinaq́; uirgo,
Tullaq́; & æratam quatiens Tarpeia ſecurim,
Italides, quas ipſa decus ſibi dia Camilla
Delegit, paciſq́; bonas, belliq́; miniſtras.

Lárius, *lacus eſt totius Italiæ āplißimus: unde & à Verg. 2. Georg. Maximus uocatur, quem à Como uicino oppido nonnulli appellant Comenſem. Per hunc lacum medius*

fluit

fluit Abdua fluuius, aquasq́; eius reddit ſuauiores: deinde per oppoſitam lacus partem erumpens, in Padum nõ longè à Cremona influit. Dictus Larius à fulicarum multitudine. A' Græcis enim λάρος uocatur fulica, quæ eſt auis nigra, & aquatica. Hinc fit Larius, a, um, Catullus:

Veronã ueniat noui relinquens
Comi mœnia, Lariumq; littus.

Latinus, (λατῖνος) *Laurentum rex fuit, Fauni & Maricæ Nymphæ, aut (ut Heſiodo placet) Vlyßis, & Circes filius, qui ex Amata Dauni Rutulorum regis ſorore Lauiniam ſuſcepit, quam cùm externo genero tradere oraculo iuberetur, Aeneæ poſt excidium Troiæ in Latium delato eam deſpondit. Qua re intellecta, Turnus qui illam impotentißimè adamabat, tam ægrè tulit aduenam ſibi præferri, ut ea de cauſa bellum aduerſus Aeneam ſuſceperit: cuius is fuit exitus, ut ſingulari certamine uictus Turnus, uitaq́; exutus, uictoriam cum ſponſa riuali reliquerit: ut latius eſt uidere apud Vergilium lib. 12. Aen.*

Látium, (ἡ λατίνη *Straboni) propriè ea pars Italiæ eſt, teſte Plin. libr. 3. cap. 5. quæ inter oſtia Tiberis, & Circeios interiacet, millia paßuum quinquaginta in longitudinem non excedens: quod poſtea prolatis imperij terminis, Antiquum Latium eſt appellatũ. Noui uerò Latij tractus ad Vulturnum uſq; amnem extenditur, diuiditurq́; in Latium citerius, & ulterius. Citerius Latium à Tiberis ripa Fundos uſq; protenditur. Vlterius à Fundis uſque ad Vulturnum amnem. Dictum autem Latium putatur, quòd illic latuerit Saturnus, cùm Iouem fugeret. Ouid. lib. 1. Faſt.*

Dicta quoq; eſt Latium terra latente deo.

Verg. 8. Aeneid. -Latiumq́; uocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

Hinc Latius,a,um, Lucan.lib.1.

Gentibus inuiſis Latium præbere cruorem.

Item Latinus,a,um. Verg.1.Aen.

–Genus unde Latinum.

Latmus, (λάτμος) *mons Cariæ, non procul à Mileto, Endymionis fabula notiſsimus, quē cùm Luna adamaret, in monte hoc dicitur eū ſopiuiſſe, ut unum ab eo oſculum auferret: unde & ipſe Endymion Latmius dictus eſt. Ouid. libro 3.de Arte:*

Latmius Endymion non eſt tibi Luna rubori.

Latôis,idis,(λητωΐς) *patronymicum fœmininum, à Græco nomine λητὼ deductum: quo nomine illi Dianæ matrē appellant, quam & nos Latonam. Latois itaq; à Poëtis accipitur pro Diana Latonæ filia, quam & Latini Græcorum imitatione Latoniam appellant. Ouid. 7. Metam.*

Inde Calaureæ Latoidos aſpicit arua.

Latôna, (λητὼ) *filia fuit Cœi Titanis, quæ à Ioue compreſſa geminam ex eo prolem concepit. Quam rem tam ægre tulit Iuno, ut immiſſo aduerſus illam Pythone ſerpēte, per totum terrarum orbem pellicem perſecuta ſit, & ne partui quidem uicinæ quietem, locúmue pariendi conceſſerit: donec illa tandem poſt longos errores ad Aſteriē ſororem ſuam peruenit, in Ortygiam inſulam iam permutatam: à qua ſuſcepta, primùm Dianam peperit: quæ e ueſtigio obſtetricis officium matri præſtitit, Apollinemq; naſcentem ſuſcepit: qui poſtea adultus, maternæ iniuriæ memor, Pythonem ſagittis interfecit. Vergil.12. Aeneid.*

Latonæq; genus duplex, Ianumq; bifrontem.

Hinc Apollo Latonius, & Diana Latonia dicta eſt. Idem 9. Aeneid.

Tu Dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori,

Aſtrorum decus, & nemorum Latonia *cuſtos.*

Lauínia, (λαβινία) *filia fuit* Latini *regis &* Amatæ, *primùm* Turno *deſponſata.* Verùm *cum* Latinus *poſtea* Fauni *patris oraculis externo eam genero locare iuberetur, denuo eam* Aeneæ *deſpondit. Qua occaſione orto inter duos potentiſsimos riuales bello, magna utrinq; edita eſt ſtrages, donec uictus ſingulari certamine* Turnus, *uitaq; exutus, uictoriam unà cum ſponſa* Aeneæ *reliquit.* Mortuo *uerò poſt triennium* Aenea, Lauinia, *quæ prægnans relicta erat, priuigni inſolentiam timens, in ſyluas profugit, & apud* Tyrrheum *paſtorem diuertit, ibiq; peperit filium, quem* Iulum *Syluium* Poſthumum *appellauit, eò quòd poſt patris funus in ſyluis natus eſſet.* Hanc *tamen poſtea* Aſcanius *in regnum reuocauit, cùm ipſe receßiſſet* Albam *longam, urbem à ſe conditam,* Lauinio *nouercæ relicto, quod illa moriens* Iulo *Syluio* Poſthumo *filio ſuo reliquit.* Verg. *lib.* 12.

–Et *uictum tendere palmas*
Auſonij uidere: tua eſt Lauinia *coniux, &c.*

Lauíniũ, (λαβίνιον *Sthep.* λαουίνιον *Straboni) urbs fuit in* Latio, *ab* Aenea *condita, & à nomine* Lauiniæ *uxoris ita appellata. Cuius rei teſtis eſt* Liu. *li.* 1. *ab urbe:* Aeneã, *inquiens, apud* Latinum *fuiſſe in hoſpitio tradunt.* Ibi Latinum *apud* Penates Deos *domeſticum publico adiunxiſſe fœdus, filia* Aeneæ *in matrimonium data.* Ea *res utique* Troianis *ſpem affirmat tandem ſtabili certaq; ſede finiendi erroris.* Oppidum *condunt:* Aeneas *ab nomine uxoris* Lauinium *appellat.* Verg. 1. Aeneid.

–*Cernes urbem & promiſſa* Lauini *Mœnia.*

Lauréntia, (λαυρεντία) *uxor* Fauſtuli *fuit, paſtoris* Amulij, *quæ* Romulum *&* Remũ Amulij *iuſſu ad ripã* Ti-

beris expoſitos ſuſtulit, domiq́; ſuæ eos liberaliter, tanquã filios ſuos educauit. Hæc *quoniam uulgato corpore quæſtum faciebat, à paſtoribus* Lupa *appellabatur.* Vnde *factus eſt locus fabulæ,* Romanæ *urbis cõditores à lupa fuiſſe nutritos.* Hæc *cùm opes multas corraſiſſet, moriẽs pop.* Romanum *hæredem reliquit.* Vnde *diuinos honores promeruit, diesq́; feſtos, quos à nomine eius* Laurentalia *appellarunt, quibus ſacerdotes in* Velabro *ei ſacra faciebãt, teſte* Varrone *lib. 5. de* Ling. Lat.

Laurentum, (λάυρεντον Straboni) *ciuitas* Latij, Pici *regis opus, non procul à* Lauinio *: ita dicta à ſylua laurea, eo in loco, cùm conderetur, inuenta.* Huius *incolæ* Laurẽtes *dicti ſunt.* Vergil. 12. Aeneid.

Ipſi Laurentes *mutati, ipſiq́;* Latini.

Lauſus, (λαῦσος) *filius fuit* Numitoris*, & frater* Iliæ Syluiæ*, quem* Amulius *patruus fugato patre occidit.* Ouidius 3. Faſt.

Ilia cum Lauſo *de* Numitore *ſati.*

Alius fuit Mezentij *filius, quem* Aeneas *interfecit, cùm parentem uulneratum defenderet.* Verg. lib. 11.

Ingemuit chari grauiter genitoris amore,
Vt uidit, Lauſus*, lacrymæq́; per ora uolutæ.*

Leander, (λέανδρος) *iuuenis illuſtris ex* Abydo Aſiæ *oppido, in litore* Helleſpõti *ſito, qui cùm* Erûs *puellæ amore captus eſſet, quæ in oppoſiti littoris oppido* Seſto *habitabat, noctu ad eã tranſnabat.* Quod *ubi aliquoties nõ infeliciter cecidiſſet, iã audacior factus, cùm mari tumido, & impacato ſe commiſiſſet, ui uentorũ fluctuumq́; uictus, in* Helleſponto *ſubmerſus eſt.* Fabulam *hanc, aut fortaßis hiſtoriã elegãtißimo carmine apud* Græcos *proſecutus eſt* Muſæus*: à quo* Ouid. *mutuatus eſt argumentum* Epiſtolarum

larum Erûs ad Leandrum, & Leandri ad Ero.

Learchus,(λέαρχος) *Athamantis & Inûs filius, quem pater furore correptus occidit, leænæ catulum ſibi uiſus interimere. Quod cùm uidiſſet Ino, arrepto Melicerta altero filio in mare ſe præcipitauit: atq; illa quidẽ in deã maris mutata eſt, quã Græci Leucotheã, Latini Matutã uocant: Melicertes autem in deum marinum, quẽ Græci Palæmona, Latini Portunum nominant. Ouid. 6. Faſt.*

Tuq; cadis patria parue Learche manu.

Lébedus,(λέβεδος *Suidæ*) *Ioniæ ciuitas eſt à Colophone centum uiginti ſtadia diſtans. Hîc ſcenicorum hiſtrionum collegium fuit, qui in honorem Liberi patris ludicra certamina quotannis edebant. Horat. lib. 1. Epiſt.*

Scis Lebedus quàm ſit Gabijs deſertior.

Lechæum,(λεχαῖον)*portus eſt Corinthi, ad ſinũ Criſſæum ſiue Corinthiacum, qui Iſthmum Peloponneſi ad Occidentem alluit. Nam alterum, qui ſinu Saronico ab Oriente abluitur, Schœnuntem appellant. Papinius:*

Curua Palæmonio ſecluditur unda Lechæo.

Leda, (λήδη) *Theſtij filia, & Tyndari Laconiæ regis uxor fuit, quàm cùm Iupiter adamaret, transformatus in cygnum, cũ ea concubuit, cùm iam antea ex Tyndaro grauida eſſet. Expletis itaq; legitimis menſibus, Leda duo peperit oua: ex quorum altero nati ſunt Pollux & Helena, ex altero Caſtor & Clytæmneſtra. Ouidius in Epiſt. Helenes ad Paridem:*

Dat mihi Leda Iouem cygno decepta parentem.

Léleges,(λέλεγες) *Aſiæ populi fuerunt, origine Græci, ita dicti, quaſi λελεγμένοι, eò quòd diuerſis è locis collecti eſſent. Hi primùm inſulas tenuerunt: indeq; in continentem tranſgreßi, partim in Myſia ad Adramyttenum ſi-*

num conſederunt: ubi & Homerus maiorem Lelegum partem uidetur collocare: partim in eo Ioniæ tractu, qui Cariæ eſt proximus: unde etiam Plinius tradit, Miletum Ioniæ totius caput Lelegeïda olim fuiſſe appellatam. Ouidius 9. Metam.

Caras, & armiferos Lelegas, Lyciamq́; pererrat.

Lelegum originem nonnulli ad Theſſalos retulerunt: è quibus eſt Seruius, explicans illud Verg. 8. Aeneid.

Hic Lelegas, Carasq́; ſagittiferosq́; Gelonos Finxerat.

Pli. uero lib. 4. cap. 7. Lelegas olim appellatos fuiſſe ait, quos poſtea Locros Epicnemidios nominarunt, per quos Cephiſſus amnis in mare illabitur. Euſtathius λέλεγας multis ex locis confluxiſſe exiſtimat, atq; inde etiam nomen accepiſſe: quod etiam non obſcurè innuit Strabo lib. 7. Ariſtoteles autē Lelegum appellationem ad Lelegē quēdam Leucadium refert, cuius nepotem ex filia tradit fuiſſe Teleboam.

Lemânus, (λεμανὸς) *lacus eſt Allobrogum, Geneuā, & Loſanam urbes alluens, Rodanumq́; fluuium impermiſtis aquis tranſmittens. Lucan. libro 2.*

Deſeruere cauo tentoria fixa Lemano.

Lemnos, (λῆμνος) *inſula eſt maris Aegæi, Thraciam à Septentrione, ab Occaſu Athon montem habens, fabuloſo Vulcani caſu nobilitata. Eadem & Hypſipylæa dicitur à filia Thoātis eiuſdem nominis, quæ in hac inſula regnauit. Hinc deducitur Lemnius adiect. ut Lemnia turba, apud Ouid. in Ibin. Saxa Lemnia, apud eundem 5. Triſt. Lemnia mala (λήμνια κακα) id eſt ingentia, & inaudita, qualia Lemnum afflixiſſe dicuntur.*

Lenæus, (ληναῖος) *unum ex Bacchi cognominibus, ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, hoc eſt, à torculari, ſiue lacu impoſitum. Vergil.*

2. Geor.

2.Georg.

Huc pater ô Lenæe:tuis hic omnia plena
Muneribus.

Lerna,(λέρνη)*lacus eſt in agro Argiuo, Herculis labore notiſsimus,qui in eo Hydram Lernæā fertur interemiſſe, uicinæ omni regioni adeò infeſtam, ut locum fecerit prouerbio* λέρνη κακῶν,*hoc eſt,lerna malorum.Verg.6.Aen.*

Fixerit æripidem ceruum licet,aut Erymanthi
Placarit nemora:& Lernam tremefecerit arcu.

Eſt & fluuius eiuſdē nominis per Praſias in ſinum Argolicum illabens,teſte Strabone, lib.8. Hinc Lernæus,a, um,(λερναῖος.)*Vergil.8.Aen.*

Lernæus turba capitum circumſtetit anguis.

Lesbos,(λέσβος)*inſula eſt in mari Aegæo,Aeolicarū urbiū metropolis, quæ olim uniuerſæ Troadis imperiū obtinuit.Ambitus eius ſtadiorū centū ſupra mille, à Borea in Auſtrū protenſa,quingēta & ſexaginta ſtadia longitudinis habens:feraci agro,& multa materia ad claſſes conficiendas idonea.Vrbes in ea fuere memoratu dignæ, Mitylene,à qua nunc tota inſula Mitylene uocatur,& Pyrrha in occidētali littore ſita. Fuit & Ereſſos,& Antiſſa cum portu,& Methymna.Dicta Leſbos ab urbis nomine, quæ in ea potētiſsima fuit:ſiue à Leſbo Iapeti filio, qui in eam inſulam nauigauit. Hinc Leſbius, a, um,*(λέσβιος.)*ut, Leſbium uinum apud Gell.lib.13.cap.5.& Leſbous,a,um. Hor.lib.1.Carm.*

Leſboum refugit tendere barbiton.

Item Leſbis, idis,hoc eſt, mulier ex Leſbo.Sappho apud Ouid.in Epiſt.

Leſbides infamem quæ me feciſtis amatæ,
Deſinite ad citharas turba uenire meas.

Lethe,es, (λήθη) *fluuius eſt inferorũ apud* Poëtas, *cuius aquã ſiquis guſtaſſet, omnium ſtatim præteritorum obliuiſci eũ uoluerunt.* Idcirco ἀπὸ τῆς λήθης, *hoc eſt, ab obliuione nomen creditur accepiſſe. Conſtat autem reuera* Lethen *amnem in* Aphrica *eſſe, circa extremum Syrtium cornu,* Berenicen *urbem alluentem.* Verùm *quoniã terræ hiatu abſorptus, & occulto meatu per aliquot lapſus millia, circa* Berenicen *magna aquarum copia erumpit, perſuaſum fuit accolis, ab inferis eum emergere.* Lucan. *libro* 8.

Quam iuxta Lethes *tacitus prælabitur amnis,*
Infernis *(ut fama) trahens obliuia uenis.*

Leucádia, (λευκαδία) *peninſula fuit contra ſinum* Ambracium, *opera accolarum à continente abſciſſa, arenæq; accumulatione rurſus continenti reddita, ut tradit* Pomponius *Mela lib.* 2. Hæc *etiam* Neritis *appellata fuit.* Plin. *lib.* 4. *cap.* 1. Deinde Leucadia *ipſa peninſula, quondam* Neritis *appellata, opera accolarum abſciſſa à continente, ac reddita uentorum flatu congeriem arenæ accumulantium: qui locus uocatur* Dioryctos. Hinc *deducitur denominatiuum* Leucadius, *a, um.* Ouidius *in* Epiſtol. Sapphûs,

Tu *quoque mollis* Amor *pennas ſuppone cadenti,*
Ne *ſim* Leucadiæ *mortua crimen aquæ.*

Leucas, cadis, (λεύκας) *oppidum eſt in* Leucadia *peninſula, olim* Neritum *appellatum, teſte* Plin. *libr.* 4. *cap.* 1. Quinetiam *Strabo totam peninſulam, ſiue (ut ipſe appellat) inſulam (aliquando enim humano opere à continenti fuit abſciſſa, & rurſus arenæ alluuione eidẽ annexa)* Leucadem *appellat, eodem quo oppidum, nomine.* Leucadem *(inquit lib.* 10.) *in inſulæ formam redegerunt,*

&

& in eum locum tranſportato Nerito,*qui quondam fuerat* Iſthmus,*nunc uerò fretum, &* Euripus *eſt, ponte iugabilis,mutato nomine dixerunt* Leucadem, *ſumpto (ut reor) à* Leucate *uocabulo.*

Leucaſpis,(λευκασπις) *unus ex comitibus* Aeneæ,*natione* Lycius,*unà cum* Oronte *in* Tyrrheno *mari tempeſtate ſubmerſus.*Verg.6.Aeneid.

> Cernit ibi mœſtos,& mortis honore carentes
> Leucaſpim,& Lyciæ ductorem claßis Orontem.

Leucátes,æ,(λευκάτης)*promontorium eſt* Acarnaniæ, *ad ſinum* Ambracium, Apollinis *templo nobile: à petræ candore nomen habens.* Verg.3.Aeneid.

> Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis,
> Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Leuce,(λεύκη) *oppidulũ in finibus* Ioniæ,& Aeolidis,*nõ longè à Smyrna,olim inſula.* Autor Plin. *lib.5.ca.29.* Eſt *præterea* Leuce *inſula* Ponti *exigua,* Boryſthenis *amnis oſtio obiecta,quæ,quòd* Achilles *in ea ſepultus fuerit, alio nomine uocatur* Achillea. Autor Plinius *libr.* 4.*cap.* 13. *Aliud item huius nominis oppidum in* Italia, *ſtadijs quingentis à* Tarento *diſtans.*Lucan.*lib.5.*

> +*Secretaq; littora Leuce.*

Leuci, Galliæ Belgicæ *populi ſunt,* Treuiris,& Mediomatricibus *finitimi,iaculandi peritißimi.*Lucan.*lib.1.*

> Optimus excuſſo Leucus,Rhemusq; lacerto.

Leucon,(λευκῶν) *rex* Ponti, *à fratre* Oxylocho *necatus,quòd cum eius uxore adulterij & inceſtus conſuetudinem haberet.*Ouid.*in* Ibin:

> *Aut pia te cæſo,dicatur adultera:ſicut*
> *Qua cecidit* Leucon *uindice,dicta pia eſt.*

Leucóſia,(λευκωσία) *inſula contra* Pæſtanum *ſinum, in*

mari

mari Tyrrheno, Lucaniæ adiacens (ut Strabo libr. 6. refert) paruum ad continentem habens curſum. Dicta Leucoſia, ab una Sirenum, eiuſdem nominis, quæ hoc in loco perijt, quum ſpreta ab Vlyſſe, in profundum ſeſe abieciſſet. Feſtus ab Aeneæ conſobrino, loco datum nomen exiſtimat.

Leucóthea, (λευκοθέα) *uxor fuit Athamantis, nomine Inò, quæ cùm uirum tanto furore correptum uideret, ut communem filium Learchum nomine, ſaxo illideret, ideóq; exemplum in ſeſe, & alterum filium edere pararet, aſſumpto in ulnas Melicerta (id filio alteri nomen erat) ex celſißima rupe in mare ſeſe præcipitauit: ubi uterq; deorum miſeratione in marina numina ſunt mutati: atq; Ino quidem Leucothea à Græcis dicta eſt, à Latinis autem Mater Matuta: Melicertes autem à Græcis Palæmon, à noſtris Portunus eſt appellatus. Vide hæc latius apud Ouid. lib. 4. Metamorph.*

Leucóthoë, (λευκοθόη) *Orchami Babyloniorum regis filia, cuius amore captus Apollo in Eurynomes (ea Leucothoës mater erat) figuram ſeſe tranſmutauit, & tanquam ſecretò aliquid cum filia colloqui uellet, famulas, quibus comitata erat, ſecedere iubet. Deinde priſtinæ reſtitutus formæ, profeſſus quis eſſet, poſt multas blanditias, non admodũ inuitæ uim intulit. Quod cùm reſciuiſſet Clytie, quæ mutuo Apollonis amore tenebatur, zelotypiæ ſtimulis exagitata, Orchamo regi filiæ amores enuntiauit: qui (ut natura crudelis erat) filiam uiuam defodit. Cuius mortem ægerrimè ferens Apollo, cùm uitæ eam reſtituere non poſſet, in uirgam thureã eam tranſformauit. Latius refertur hæc fabula ab Ouidio libro 4. Metamorph.*

Leuctra, orum, (λεῦκτρα, τὰ) uicus eſt Bœotiæ iuxta Theſpias, circa quem Epaminundas Thebanus Lacedæmonios uicit, adeoq; attriuit, ut poſtea imperium nequiuerint reparare. Hinc deducitur adiectiuũ Leuctricus, a, um: ut, Leuctrica pugna, Leuctrica monumenta. Item Leuctricæ puellæ, id eſt, Hippo, & Miletia, ſiue (ut alijs placet) Theano & Euexippe, Scedaſi filiæ: quæ à Lacedæmonijs quibuſdam hoſpitibus uim paſſæ, doloris impatientia ſibi necem intulerunt, eóque in campo ſepultæ ſunt, in quo poſtea commiſſa eſt ea pugna, qua Lacedæmoniorum opes conciderunt.

Líbanus, (λίβανος) Syriæ mons, à Sidone Phœnices oppido, uſq; ad Symiram urbem Syriæ cœles extenſus, centum quinquaginta ſtadiorum longitudine. Huic ex aduerſo obtenditur Antilibanus, ualle tantùm interiecta, olim muro illi coniunctus. Inter duos hoſce montes Orontes fluuius oritur, teſte Plinio lib. 5. cap. 19. 20. & 22.

Liber, (διόνυσος) Deus uini præſes, qui & Bacchus & Dionyſius dicitur. Multos autem fuiſſe Liberos, oſtendit Diodôrus: quorum longè celeberrimus eſt, qui ex Semele & Ioue genitus fertur, quem tertium fuiſſe autumat, & Thebis Bœotijs natum, qui Liber appellatus eſt, à Liberãdo: nam libertatis Deus eſt: ſiue quòd Bœotiæ urbes liberas fecerit: (ipſe enim, ut inquit Plutarchus, pro Bœotiæ libertate pugnauit) uel quia uinum curas ſoluat, & mentem ab illis liberet: ſeu quòd uino uſi liberè loquantur. Solem quoque Poëtæ Liberum appellant, eò quòd liberè per aërem uagetur. Verg. lib. 1. Georg.

–Vos ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo, quæ ducitis annum.
Liber, & alma Ceres.

Libera,

Líbera,æ, (πϕρσεφόνη) Iouis & Cereris filia, quæ & Proſerpina dicitur. Cice.1.de Nat. Deor. Liber, Cereris filius, & frater Liberæ.

Libéthrides, (λειβηθρίδες) dictæ ſunt Muſæ, à Libethra Magneſiæ fonte, Muſis ſacro, & Poëtarum carminibus celebrato: ut non obſcurè innuit Pomponius Mela lib.2.in deſcriptione Macedoniæ. Strabo tamen libro 10. autor eſt, Muſas appellatas eſſe Libethridas, à Libethro Thraciæ monte, quem poſtea Macedones tenuerunt: ſub quo & antrum fuiſſe ait Muſis Libethridibus à Thracibus conſecratum. Verg.7.Eclog.

Nymphæ noſter amor Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro concedite, &c.

Libitína, dea erat apud Romanos, in cuius templo uendebantur & locabantur ea, quæ ad ſepulturam pertinebant: ita dicta à libitu, uel à libidine. Plutarchus Venerem fuiſſe putat, redditq; rationem in Problematibus, quare Romani ea, quæ ad pompam funebrem ſpectarent, in Veneris templo uoluerint aſſeruari: ut ſcilicet eo ipſo humanæ fragilitatis admoneremur, certò ſcientes exitum ab ortu non procul abeſſe, cùm eadem Dea & morientibus præſit, & uitam ingredientibus. Alij malunt Proſerpinam eſſe Plutonis uxorem, quam, quòd inferorum crederetur regina, mortuis præeſſe putabant: ideoq; etiã ea, quibus mortui exornati ueluti ad inferos deducuntur, in eius templo uoluerunt aſſeruari. Hinc factum eſt, ut Libitina à poëtis pro morte ipſa, ſeu pro feretro, quo mortui efferuntur, non rarò accipiatur. Horatius tertio Carminum,

-Multaq; pars mei
Vitabit Libitinam.

Libra,

Libra, (σαθμὸς) *quantum ad præſens attinet negotium, ſignum eſt Zodiaci, quod Cæſaris ætate octauo, hodie decimooctauo* Cal. Octob. *Sole hoc ſignum ſubeunte, æquinoctium facit autumnale.* Vergilius 1. Georg.

Libra die, ſomniq; pares ubi fecerit horas.

Libs, *libis*, (λίψ) *uentus ab* Occaſu *brumali flans aduerſus* Vulturnum: *ita dictus, quòd à* Libya *ſpiret, qua ratione & Africus à noſtris appellatur.* Vide Gel. *libro* 2. *cap.* 22. & Plin. *libro* 2. *cap.* 47.

Libúrnia, (λιβυρνὶς) *regio ſupra intimum Adriatici ſinus receſſum ſita, inter* Iſtriam, & Dalmatiam: *ita dicta à* Liburno *quodã* Attico, *ſi* Stepha. *credimus.* Hodie Croaciã *uocant, in ditione* Ducum Auſtriæ. *Huius regionis incolæ dicti ſunt* Liburni. Vergil. 1. Aen.

Antenor potuit, medijs elapſus Achiuis,
Illyricos penetrare ſinus, atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontes ſuperare Timaui.

Líbya, (λιβύη) *filia fuit* Epaphi, & Caßiopeæ, *à qua tertia orbis terrarum pars nomen accepit (quam nos Africam dicimus) ab* Aſia *Nilo fluuio, ab* Europa *mari mediterraneo dirempta.* Lucan. *lib.* 1.

Duc age per Scythiæ populos, per inhoſpita Syrtis
Littora, per calidas Libyes ſitientis arenas.

Líchas, (λίχας) *puer fuit* Herculis, *per quem* Deianira *uiro ſuo in* Oeta *monte ſacrificaturo, ueſtem miſit* Neßi Centauri *ſanguine infectam: quàm cùm ille induiſſet, ſerpente iam per corpus ueneno, doloris magitudine in furorem uerſus,* Lichan *pernicioſi muneris latorem, capillis arripuit, & in ſubiectum mare præcipitauit: quem Poëtæ fabulantur in ſaxum ſui nominis fuiſſe mutatum, quod à nautis in mari* Euboico *oſtenditur.* Ouidius 9. Metamorph

morphoſeos:

Nunc quoque in Euboïco ſcopulus breuis eminet altè
Gurgite, & humanæ ſeruat ueſtigia formæ:
Quem quaſi ſenſurum nautæ calcare uerentur,
Appellantq́; Lichan.

Ligêa, (λιγέια) *Nymphæ nomen, Nerei & Doridis filiæ, à cantus ſuauitate ita dictæ. Verg. 4. Georg.*

At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alti
Senſit: eam circum Mileſia uellera Nymphæ
Carpebant hyali ſaturo fucata colore,
Drymoq́;, Xanthoq́;, Ligeaq́;, Phyllodoceq́;.

Liger, eris, *ſiue* Ligeris, (λίγηρις Ptolemæo) *nobilis eſt Celtarum fluuius, qui in Aruernorum finibus oriens, Heduosq́; à Biturigibus diuidẽs, non procul à Pictonibus in Oceanum Britannicum influit. Eſt item Liger Rutuli cuiuſdam nomen, fratris Lucagi, quem Aeneas Turni auſpicia ſequentem interfecit. Verg. 10. Aeneid.*

– Veſano talia latè
Dicta uolant Ligeri, &c.

Ligúria, (λιγυρία) *Italiæ regio, maiori ſui parte montana, Macra fluuio ab Hetruria, Varo à Gallia Narbonenſi dirempta, ab altero latere Padum, ab altero habens Apenninum. Huius incolæ Ligures dicuntur, & mare uicinum, Liguſticum, à Ligyſto uidelicet Phaëthontis filio. Lucan. lib. 1.*

Et nunc tonſe Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effuſis toti prælate Comatæ.

Lilybæum, (λιλύβαιον) *promontorium Siliciæ, cum urbe eiuſdem nominis, Libyam ſpectans. Tria enim traduntur eſſe eius inſulæ præcipua promontoria: ex quibus quod Græciam reſpicit, Pachynum: quod Italiam, Pelorũ,*

Scyllæ

Scyllæ oppoſitum;quod autem in Auſtrum Libyam uerſus procurrit,Lilybæum appellatur.autor Pomp.libr.2. Hinc Lilybæus,a,um. Verg.3.Aeneid.

Et uada dura lego ſaxis Lilybæïa cæcis.

Limnæ,(λίμναι) *locus erat in arce Athenarum,templum habens Dionyſio ſacrum,à Theſeo rege extructum: quo in loco uetuſtiora Bacchanalia peragebantur, die duodecimo menſis Antheſterionis,qui noſtro ferè Nouembri reſpondet. Meminit huius loci Ariſtophanes in Ranis, & Thucydides lib.2.Hiſtor.*

Língones, (λίγγονες) *populi Galliæ Belgicæ, ad ortum Matronæ fluuij,Heduis, Sequanis, & Leucis uicini: qui etiam hodie ſeruato nonnullo priſci nominis ueſtigio, Langri appellantur.Hinc fit adiectiuum Lingonicus, a, um:ut,Bardocucullus Lingonicus,apud Perſium,pro ueſtimenti uiliſsimi genere,quod Lingonibus præcipuè erat in uſu.*

Linus,(λῖνος) *filius fuit Apollinis ex Pſammate Crotopi Argiuorum regis filia.Cùm enim Apollo occiſo Pythone ſerpente,ad Crotopum ueniſſet,ab eodem hoſpitio ſuſceptus clàm cum Pſammate filia eius concubuit; quæ ex eo compreſſu grauida effecta,expletis legitimis menſibus puerum peperit,quem Linum appellauit. Hunc, cùm patris indignationem metuens, inter uirgulta occultaſſet,canes inde extractum dilacerarunt. Alius fuit Linus Apollinis & Terpſichores filius, Muſicæ peritiſsimus, Thamyræ,Herculis,& Orphei præceptor.Hunc ab Hercule occiſum ferunt, impacta illi in caput cithara, quòd ipſum ruſticius canetem irrideret. De hoc Ver.Eclog.4.*

Non me carminibus uincet,nec Thracius Orpheus,
Nec Linus,huic mater quamuis,atq; huic pater adſit:

Orphēi Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Lípara, (λιπάρα) *inſula una ex Aeolijs, ita dicta à Liparo rege, Auſonis filio, cui ſucceßit Aeolus: cùm antea Meligunis uocaretur, teſte Plin. lib. 3. cap. 9. Ver. 8. Aeneid.*

Inſula Sicanium iuxta latus, Aeoliamq́;
Erigitur Liparen, &c.

Liríope, (λειριόπη) *Nympha marina, Oceani & Tethyos filia, ex qua Cephiſſus amnis Narciſſum puerū formoſißimum ſuſcepit. Ouid. lib. 3. Metam.*

Cærula Liriope, quam quondam flumine curuo
Implicuit, clauſæq́; ſuis Cephiſſus in undis
Vim tulit, &c.

Liſſus, (λίσσος) *fluuius Thraciæ, inter Meſembriā Samothracum, & Strymam Thaſiorum urbem in mare illabēs, quem Græci ſcriptores inter eos annumerāt, quos à Xerxiano exercitu exiccatos tradunt. Autor Herodotus libr. 6. Liſſus item oppidum eſt in finibus Dalmatiæ, Macedoniæ contiguum, non procul à Nymphæo promontorio, teſte Pli. li. 3. cap. 22. & Ptolemæo lib. 2. ca. ult. Luca. li. 5.*

Prætereunt fruſtra tentati littora Lißi,
Nymphæumq́; tenent.

Lixus, (λίξος) *colonia à Claudio Cæſare facta in Mauritania Tingitana, circa quā Poëtarū fabulæ & Antæi regiā, & Heſperidum hortos collocarunt, aurea ferentes mala, à dracone peruigili ſumma cura aſſeruata. Cui fabulæ occaſionem ſuppeditaſſe exiſtimat Plinius flexuoſum maris æſtuarium, draconis modo nemus quoddam ambiens, nihil præter oleaſtros ferens. Vide Plin. lib. 5. cap. 1.*

Locri, orum, (λοκροί) *Græciæ populi, Parnaſſum montem utrinq́; accolentes: quorum qui occiduam incolunt plagam, ad Criſſæum uſq́; ſinum pertingentes, medij inter*

Aetolos & Phocenſes, à grauitate odoris Ozolæ, & à ſitu Heſperij cognominantur. Qui uerò Parnaſſum ad ortum accolunt, ad mare uſq; Euboicum extenſi, in duplici ſunt differentia. Nam hi quidem à Cnemide mõte Epicnemidij, illi uerò ab Opunte urbe Opuntij cognominantur. Autor Strabo lib. 9. Sunt & Locri in extrema Italiæ ora, quam magnam Græciam antiqui appellarunt, oppidum incolentes eiuſdem nominis, ab iis Locris, qui Aiacem Oïleum ad Troiam ſequuti ſunt, conditum: ut annotauit Seruius in illud Verg. 3. Aeneid.

Hîc & Narycij poſuerunt mœnia Locri.

Hi diſcriminis gratia Epizephyrij cognominantur, quòd ſupra Zephyrium promontorium ſiti ſint.

Locuſta, *uenefica fuit Neroni grata, ex Gallijs euocata: cuius opera Agrippina Claudium, & Nero Britannicum de medio ſuſtulerunt: ut eſt uidere apud Tacitum lib. 11. Iuuenalis Satyra 1.*

Inſtituitq; rudes Melior Locuſta propinquas
Per famam, & populum nigros efferre maritos.

Lotis, idis, (λῶτις) *Nympha fuit formoſiſſima, Neptuni filia, quæ cùm Priapi uim effugere non poſſet, inuocata Deorum ope in loton arborem eſt commutata. Ouid. 9. Metamorphoſ.*

Lotis in hanc Nymphe, fugiens obſcœna Priapi,
Contulerat uerſos ſeruato nomine uultus.

Lotóphagi, (λωτοφάγοι) *populi in Aphrica apud Syrtes, à loto nomen ſortiti, quòd arboris eius fructu credantur uictitare: cuius cibus tam eſt dulcis, ut aduenis incutiat patriæ obliuionẽ. Vnde cùm Vlyſsis ſocij delati fuiſſent in Africam, & lotum guſtaſſent, uix inde abduci potuerunt, ut placet Hom. lib. 9. Odyſſ.*

Lóxias,(λοξίας) *Apollinis cognomentum, inde impoſitũ, quòd obliqua ederet reſponſa: aut certè ab eo quòd Zodiacum obliquè percurrat.* λοξὸν *enim Græci uocant obliquum. Autor Macrobius in Saturnal.*

Lucáni, (λουκανοὶ) *populi Italiæ à Samnitibus oriundi, ſecũdũ mare extenſi, Silaro fluuio à Picentinis, Lao à Brutijs dirẽpti: quorũ oppida præcipua fuerũt, Velia, Pæſtũ, & Buxentum, aliaq; nonnulla, quæ uide apud Plinium libro 3. cap. 5. Horatius libro ſecundo Sermon. Satyr. 8.*

-Lucanus an Appulus anceps.

Lúcifer,(φωσφόρος) *Iouis & Auroræ filius, qui Trachiniam Nympham adamauit, & ex ea geminam prolem, Ceycem, & Dædalionem, ſuſcepit. Ouid. 11. Metamor.*

-Regnum ſine ui, ſine cæde regebat
Lucifero genitore ſatus, patriumq; nitorem
Ore ferens Ceyx.

Eſt item Lucifer una errantium ſtellarum, quam & Venerem appellamus, quæ manè Solem præcedens, unaq; cum Aurora ſeſe oſtendens (unde & Auroræ filius fingitur) Lucifer dicitur: ueſperi autem Solem ſubſequens, Heſperus nominatur. Verg. 2. Aeneid.

Iamq; iugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatq; diem.

Lucílius, *Poëta uetuſtiſſimus fuit, patria Auruncanus, qui primus Latinorum Satyram ſcribere aggreſſus eſt. Obijt apud Neapolim anno ætatis ſuæ quadrageſimoſexto, publicóque funere elatus eſt. Horatius lib. 1. Sermon. Satyr. 4.*

Hinc omnis pendet Lucilius hoſce ſecutus, &c.

Lucîna,(εἰλείθυια) *dea partuum præſes, quæ & Iuno dicitur, & Diana. Terentius in And. Iuno Lucina fer opẽ.*

Verg.

Verg. in Pollione,

Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

Cicero libro 2. de Natura Deorum : Luna à lucendo nominata ſit: eadem eſt enim Lucina. Itaque, ut apud Græcos Dianam, eamq; luciferam, ſic apud noſtros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant: quæ eadem Diana omniuaga dicitur, non à uenando, ſed quòd in ſeptem numeratur tanquam uagantibus. dicta Lucina, quòd partum ferat in lucem. Plinius libro 16. cap. 44. putat Lucinam dici, quòd oculis præſit & luci. Sunt qui à luco deducãt, qui Romæ Iunoni ſacer eſt in Exquilijs. Ouidius lib. 2. Faſtorum:

Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus:

Aut quia principium tu dea lucis habes.

Lucrétia, *Romanæ caſtitatis præcipuum lumen, filia Lucretij Tricipitini præfecti urbis, & uxor Collatini: quam Sext. Tarquinius, cùm precibus exorare non poſſet, ui oppreßit. Stricto enim gladio in cubiculum irruens, mortem minabatur, ni uoluntati ſuæ obſequeretur: addebatq; ſe cum mortua iugulatum ſeruum poſiturum, ut in ſordido adulterio necata diceretur. Quibus minis illa perterrita, ut infamiæ ſuſpicionem effugeret, expugnari ſeſe paſſa eſt. Poſtridie uerò conuocatis patre, marito, cæteriſq; amicis, obortis repentè lacrymis, tyranni flagitium detexit, & educto cultro, quem ſub ueſte occultum habebat, ſeſe ſtatim confodit. Qua re moti pater cum marito & cæteris amicis, populo ad arma concitato reges expulerunt. Vide hæc latius apud Liuium ad finem libri 1. ab urbe. Martial.*

Eſſe uidebaris, fateor, Lucretia nobis, &c.

Lucrétilis, *mons fuit in Sabinis: de quo Horat. libro 1.*

Carminum:

Velox amœnum ſæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus.

Lucrétius, *poëta antiquißimus, qui Ciceronis tamen ætatem non multò anteceßit. Scripſit de rerum natura libros ſex, qui etiam hodie leguntur. Extat honorificum de eo Elogium apud Ouidium in Eleg.*

Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lucreti,
Exitio terras cùm dabit una dies.

Lucrînus, (λουκρῖνος) *Lacus Campaniæ in ſinu Baiano, contra Puteolos, tam propinquus Auerno lacui, ut mari tempeſtatibus concitato quandoq; ſoleant cõiungi. Dictus à lucro, propter multitudinem piſcium, qui ibi capiebantur. Martialis libr. 1.*

Dum modò Lucrino, modò ſe committit Auerno.

Lugdúnum, (Λούγδουνα *Steph.*) *emporium eſt totius Galliæ Celticæ longè celeberrimum, à quo ea pars Galliæ, Lugdunenſis dicta eſt, à L. Munatio Planco, dum Galliæ Comatæ præeſſet, conditum, in colle ſupra confluentem Rhodani & Araris imminente: ubi etiã hodie nõ obſcura antiquæ urbis extant ueſtigia. Habuit hæc urbs templum inſigne, communi Galliæ totius impenſa extructum, & Cæſari Auguſto conſecratum, ea parte ante urbem, ubi amnes confluunt: inibíq; ara dignitatis eximiæ erat, gentium ſexaginta titulo inſignis: dicatis ibi totidem gentium ſimulacris. Ad hanc aram à Caligula Cæſare (ut in uita eius cap. 20. teſtatur Suetonius) inſtitutum fuit certamen Latinæ, Græcæq; facundiæ, idq; ea lege, ut uictoribus uicti præmia conferrent, eorumq; laudes componere cogerentur. Qui uerò maximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongia, linguáue delere cogebantur, niſi ferulis uerberari,*

berari, aut flumine proximo mergi maluiſſent. Huc *ſpe-ctaſſe uidetur* Iuuenalis *Sat.* 6.

Palleat, ut nudis preßit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem *dicturus* Rhetor *ad aram.*

Hæc autē urbs, tam inſignibus, tótque egregijs ornamentis nobilitata, teſte Seneca *in* Epiſtolis, *ſub imperio* Neronis, *centeſimo anno, à quo fuerat condita, una nocte conflagrauit.* Hodie *uerò in plano ſita eſt, magna ſui parte* Rhodano *&* Arari *fluminibus incluſa.*

Luna, *(λοῦνα, καὶ σελήνη* Straboni) Hetruriæ oppidum *ad mare ſitum, fœcundißimis candidi marmoris fodinis, quod ab eo* Lunenſe *dicebatur, olim nobilitatum.* Lucan. *libro* 1.

– Quorum qui maximus æuo,
Aruns incoluit deſertæ mœnia Lunæ *&c.*

In hoc oppido caſei genus conficiebatur, magnitudinis potius, quàm bonitatis nomine nobilitatum: quippe quod ad ſingula millia pondo non raro premeretur: unde inter ſeruorum obſonia numeratur à Iuuenale *lib.* 14.

Caſeus Hetruſcæ *ſignatus imagine* Lunæ
Præſtabit pueris prandia mille tuis.

Lupercal, *(λυκαῖον) locus erat ſub* Palatino *monte,* Pani *paſtorum deo conſecratus, in quo ſolennia quædam ſacra quotannis fiebant, menſe* Februario, *quibus* Panos *ſacerdotes, qui* Luperci *dicebantur, nudi per urbem curſitabant, mulierum palmas, uterosq́; caprina pelle ferientes: qua re & fœcunditatem & facilem partum fieri putabant.* Inſtituta *autem putantur hæc ſacra ab* Euandro *in honorem* Panos Lycæi, *quem* Arcades *ſimili honore colebant.* Quare *autem nudi diſcurrerent* Luperci, Seruius *hanc affert rationem.* Cùm Romulus *&* Remus, *lu-*

dicro huic intenti eſſent, latrones interim occaſione arrepta, pecora illorum abegiſſe: eaq́; re intellecta Romulum cum omni iuuentute, abiectis ueſtibus, ut ad curſum expeditiores eſſent, latrones eſſe inſecutos, ijsq́; oppreßis prædam recepiſſe. Quæ res quoniam feliciter ceßiſſet, manſiſſe deinde morem ſolennem, ut Lupercalia à nudis celebrarentur. Hæc Seruius in illud Verg. 8. Aeneid.

Hic exultantes Salios, nudosq́; Lupercos, &c.

Lyæus, æi, (λυαῖος) *unum ex Liberi patris cognominibus, inde impoſitum, quòd immoderatus uini uſus pariat* λύαν, *hoc eſt, rixam & ſeditiones. Aut certè* παρὰ τὸ λύειν τὰ μέλη τῶν μεθυσκομένων, *hoc eſt, ab eo quòd ebriorum membra ſoluat: unde &* λυσομελὴς *à Græcis cognominatur.* Verg. lib. 4. Aeneid.

Legiferæ Cereri, Phœboq́;, patriq́; Lyæo.

Inde Lyæus, a, um, pro Lyæius. Verg. 1. Aeneidos,

Regales inter menſas, laticemq́; Lyæum.

Lycæus, æi, (λύκαιον) *Arcadiæ mons, Ioui ſacer, teſte Pauſania in Arcadicis, olim etiam Olympus, &* ἱερὰ κορυφὴ, *id eſt, ſacer uertex ab incolis appellatus, quòd Iouem ibi educatum exiſtimarent. In hoc etiam monte Iouis Lycæi ara fuit, à Lycaone Pelaſgi filio primùm conſecrata, quam cùm poſtea mactati pueri ſanguine reſperſiſſet, in lupum dicitur eſſe transformatus. Erat ibidem & Iouis Lycæi lucus, quem ſi quis lege ſpreta eſſet ingreſſus, annum ſuperuiuere negabatur. Itē fons inſignis, nomine Agnò, tam admirabilis naturæ, ut re diuina ibi curioſius peracta, quernoq́; ramo aqua leuiter commota, mox denſus inde ſurgeret uapor, nebulæ aßimilis, quæ non multò pòſt effecta nubes, aggregatis item alijs, largos demitteret imbres. Hæc Pauſanias. Conſtat tamen*

Lycæum montem non ſoli Ioui, *uerùm etiam* Pani *ſacrũ fuiſſe.* Verg. 1. Georg.

Ipſe nemus linquens patrium, ſaltusq́; Lycæi,
Pan ouium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ,
Adſis ô Tegeæe fauens.

Hinc etiam Pan Lycæus paßim à Poëtis cognominatur. Idem lib. 8. Aeneid.

-Gelida monſtrat ſub rupe Lupercal,
Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.

Lycæa, (λυκαῖα) *ſacra erant in Lycæo Arcadiæ monte in honorem Panos fieri ſolita, quæ poſtea ab Euandro in Latium translata, Lupercalia dicta ſunt, ut placet Ouid. lib. 2. Faſtor.*

Lycambes, (λυκάμϐης) Neobules *pater fuit, qui cùm filiam Archilocho Poëtæ deſpondiſſet, poſteaq́; pœnitentia ductus non tradidiſſet, tam acerbo carmine ab eo eſt perſtrictus, ut unà cum filia laqueo uitam finierit.* Horat. in Epod. Ode 7.

In malos aſperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ ſpretus infido gener.

Hinc Lycambeus, a, um. Ouidius *in Ibin:*

Tincta Lycambeo ſanguine tela dabit.

Lycáon, (λυκάωρ) *Arcadiæ rex fuit, Pelaſgi filius, quem Iupiter, quòd aram ſuam in Lycæo monte, mactati pueri ſanguine reſperſiſſet, in lupum mutauit: ut ſcribit Pauſanias in Arcadicis.* Ouid. *tamen libro 1.* Metam. *omnino aliam tradit transformationis huius cauſam: quæ ſic habet:* Iupiter *aliquando cùm multa de humani generis impietate inaudiſſet, neq; tamen omnia crederet, ut rem omnem certius exploraret, relicto cœlo, in terram deſcendit:*

dit: aliquotq́; regionibus peragratis, tandem ſub noctem in Arcadiam peruenit ad Lycaonis regiam, ubi cùm ſe Deum eſſe ſignificaſſet, uulgusq́; ſe ad ſacrificia accingeret, irridens credulitatem eorum Lycaon, ea ipſa nocte ſe periculum facturum eſſe dixit, deúmne, an mortalem hoſpitio ſuſcepiſſet: conatusq́; eſt noctu dormientem interimere. Quod cùm fruſtrà tentaſſet, alia ratione rem aggreſſus eſt. Habebat obſides à Moloſſorum gente ad ſe miſſos. Horum unum iugulauit, partimq́; aſſum, partim elixum Ioui epulandum appoſuit. Cuius rei immanitate indignatus Iupiter, regiam tyranni immiſſo fulmine exuſsit, ipſumq́; in ſyluas fugientem, in lupum trãsformauit. Hinc Lycaonius, a, um: ut, Axis Lycaonius, hoc eſt, Vrſa maior, in quam Caliſto Iouis filia creditur transformata. Ouid. 1. Triſt.

-Quæq́; Lycaonio terra ſub axe iacet.

Lycaſte, (λυκάστη) *filia fuit Priami ex cõcubina, cuius amore flagrãs Polydamas, Antenoris & Theanûs ſororis Hecubæ filius, eam uxorem duxit. Fuit item Lycaſte, meretrix nobilis, apud Drepanum Siciliæ urbẽ, ob formæ excellentiam Venus appellata, quæ cùm Buten, Amyci Bebryciorum regis filium hoſpitio excepiſſet, eius cõcubitu uſa, Erycem ei peperit: quo factum eſt, ut apud poſteros creditum fuerit, Buten ex Venere Erycem genuiſſe. Vide ſuprà in dictione Butes.*

Lycêum, (λύκειον) *gymnaſij celeberrimi nomẽ iuxta Athenas, in quo Ariſtoteles frequentiſsimo auditorio Philoſophiã profitebatur, quẽadmodum Plato in Academia. Cic. 1. Acad. Qui erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lyceo. Idẽ alibi:*

Inq́; Academia umbrifera, nitidoq́; Lyceo,

Fuderunt

Fuderunt claras diuini pectoris artes.

Fuit & Lyceũ gymnaſiũ Ciceronis *in fundo Tuſculano, à nomine ſcholæ Ariſtotelicæ ita dictũ, de quo libro 1.de Diuin.ſic refert:Nuper cùm eſſem cum Qu.fratre in Tuſculano, diſputatum eſt. Nam quum ambulandi cauſa in Lyceum ueniſſemus (id enim ſuperiori gymnaſio nomen eſt)Perlegi(inquit ille)tuum paulo ante tertium de Natura Deorum.*

Lycia,λυκία)*regio minoris Aſiæ inter Pamphyliam, & Cariam ſita, olim (ſi Poëtarum fabulis credimus) Chimæræ monſtri ignibus infeſtata. Cuius fabulæ occaſionem præbuit Chimæra eius regionis mons, crebrò ignem eructans.Dicta eſt autẽ Lycia à Lyco Pandionis filio. Vrbem habet Pataram Apollinis oraculo celebratam:à qua Apollo Pataræus cognominatur. Hinc Lycius, gentile. Verg.1.Aeneid.*

Vnam,quæ Lycios,fidumq́; uehebat Orontem.

Item Lycius,a,um,adiectiuum:ut,Lyciæ ſortes,apud Ver. 4.Aen.id eſt,ſortes Apollinis,qui in Lycia apud Patarã reſponſa edebat.

Lycidas,dæ,(λυκίδας)*nomen Centauri,unius ex ijs,qui Pirithoo Hippodamiam ſponſam eripere conati, à Lapithis interempti ſunt.Ouid.12.Metam.*

At non Eurynomus,Lycidasq́;,& Aræus, & Imbreus
Effugêre necem.

Eſt & nomen paſtoris apud Verg.9.Eclog.

Lycomédes, (λυκομήδης) *Scyri inſulæ rex, cui Thetis filium ſuũ dormiẽte præceptore ſuo Chirone clã raptũ, ſeruandum tradidit,ut ibi inter eiuſdem regis filias (erat enim facie uenuſta & puellari, ita ut facilè pro puella ſeſe gereret) muliebri habitu indutus latitaret, ne*

ad bell

ad bellum Troianum, *à quo illum nõ reuerſurum eſſe ſciebat, proficiſci cogeretur.* Apud *quem cùm deliteſceret,* Deidamiam *regis filiã uitiauit, & ex ea* Pyrrhum *ſuſcepit.* Fuit *& alter* Lycomedes Creontis *filius, cuius meminit* Homerus *lib.9.Iliad.*

Lycôris,idis,(λυκωρὶς) Volumnij *Senatoris liberta fuit, uero nomine* Citheris *dicta, miſerè à* Cornelio Gallo *adamata: quo tamen ſpreto* Antonium *in caſtra ſequuta eſt.* Verg.10.*Ecloga:*

–*Tua cura* Lycoris
Perq́; *niues alium, perq́; horrida caſtra ſequuta eſt.*

Lycormas,(λυκόρμας Steph.) *fluuius eſt* Aetoliæ, *flauas arenas uoluens.* Hic *poſtea* Euenus *ab* Eueno *rege* Aetoliæ, *qui ſe in illum præcipitauit, appellatus eſt, teſte* Strabone *lib.7.*Ouid.*lib.2.*Meta.

Arſurusq́; *iterum* Xanthus, *flauusq́;* Lycormas.

Lyctus,(λύκτος) *Cretæ urbs inſignis,* Idomenei *patria, unde ille* Lyctius *cognominatur à* Verg.3.Aeneid.

Et *Salentinos obſedit milite campos*
Lyctius Idomeneus.

Lycurgus,(λυκοῦργος) *nobilis* Spartiata *fuit,* Polydectæ *filius, & frater* Eunomi Lacedæmoniorum *regis: cui etiã in regnum ſucceßit, ignarus* Eunomum *uxorem grauidã reliquiſſe.* Quod *ubi primùm cognouit, poſito regis nomine,* Prodici, *hoc eſt, tutoris nomen aſſumpſit, regiq́; adulto*(Charilao *ei nomẽ erat*) *regnum fideliter reſtituit.* Verùm *cum ciuitatem peßimè inſtitutã animaduerteret, ad conſtituẽdam ſalubrioribus legibus* Rempub. *animum adiecit.* Conſcriptis *itaq; ijs, quæ longa peregrinatione didicerat ciuitati utilia fore,* Delphos *ſeſe contulit, ut* Dei *quoq; conſilium in re ſanctißima exploraret.* Cumq́; Py-

thia

thia conſilium eius à Phœbo *maximè probari,* Deiq; *potius, quàm hominis inuentum eſſe reſpondiſſet, alacrior ad peragendum inſtitutum factus, foro aliquot armatis occupato, leges ſuas perfert.* Quibus *cùm iam ciues mediocriter aſſuefactos uideret, ut quas tulerat leges, æternas quoq; redderet, hanc rationem commentus eſt.* Simulat *arduũ adhuc quiddam ſupereſſe, quod ad ciuitatis ſalutẽ pertineret, quod tamen inconſulto oraculo aggrediundũ non eſſet: eaq; de cauſa ſe* Delphos *proficiſci uelle.* Inte*rim tamen* Reip. *intereſſe, ut leges, quemadmodum latæ erant, in reditum ſuum inuiolatæ ſeruarentur: idq; ita futurum, primùm à* Regibus, *deinde à cæteris omnibus iuſiu randum exegit.* Profectus *itaq;* Delphos, *cùm* Pythiam *reſpondentem audiſſet, nihil legibus illis abſolutius eſſe, feliciſsimamq; fore ciuitatem eam, in qua illæ quàm diutiſsimè ſeruarentur, conſtituit ſibi amplius in patriam non eſſe redeundum, ne illi aliquando iureiurando ſoluti, leges ſuas excuterent.* Miſſo *itaq;* Spartam *oraculo, amicosq; itineris comites amplexus, ijsq; dimiſsis,* Cirrham *conceſſit, ubi mox ſuis ſibi manibus necẽ conſciuit.* Quanquã *alij* Criſſæ, *nonnulli etiã in* Creta *interijſſe uolunt: ubi etiam ſepulcrum eius apud* Pergameã *urbẽ oſtenditur.* Sparta*ni mortuo ſacellũ conſecrarunt: & ob ſingularia eius in patriam merita, diuinos ei honores tribuerunt.* Vide *latius uitam eius apud* Plutarchum. Fuit *&* Lycurgus *quidam* Nemeæ *rex, & pater* Archemori, *alumni* Hy*pſipyles: cuius meminit* Statius *libr. quinto & ſexto* The*baidos.* Fuit *&* Lycurgus *alius,* Thraciæ *rex, filius* Dry*antis, qui quòd* Thracas *immoderatè uino deditos conſpiceret, uites omnes toto regno excidi iuſsit: ut ſcribit* Plu*tarchus eo in opuſculo, quod de* Poëtarum *utilitate conſcripſit.*

ſcripſit. Hinc *datus eſt* Poëtis *locus fabulæ,* Lycurgum *infeſtiſsimo* Bacchum *odio proſecutum eſſe, adeò ut & nutrices illius, in* Nyſa *latentes perſequeretur, &* Baccho *ipſi tantum terroris incuſſerit, ut præcipiti fuga traiecto mari, in* Naxum *ſe receperit: ideóq; iuſta numinum ira* Lycurgum *in furorem conuerſum, cùm uites quoq;, ne* Baccho *in poſterum libaretur, excidere uellet, tibias ſibi ſuccidiſſe.* Hic *eſt ille* Lycurgus*, cuius meminit.* Verg. 3. Aeneid.

Terra procul uaſtis colitur Mauortia campis:
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo.

Lycus, (λύκος) *Bœotiæ rex fuit, qui* Antiopam Nyctei *regis filiam uxorem duxit: quàm poſtea, cùm à* Ioue *in Satyrum conuerſo compreſſam cognouiſſet, repudiauit,* Dircenq; *uxorem duxit: quæ uerita ne* Antiope *cum* Lyco *in gratiam rediret, arctiſsimis eam in uinculis aſſeruauit: quibus* Iouis *miſeratione diſſolutis, in* Cithæronem *montem profugit, ubi* Amphionē & Zethū *peperit: qui poſtea à paſtore, qui ipſos nutriuerat, edocti, eū unà cū uxore interfecerunt: ut latius docuimus ſuprà in dictionibus* Amphion & Dirce. *Fuit &* Lycus *alius exul* Thebanus*, qui id temporis, quo* Hercules *ad inferos deſcenderat, rei bene gerendæ occaſionē ſibi oblatam ratus,* Creonte *occiſo regnum* Thebanorum *occupauit: cumq; iam* Megaræ Herculis *uxori uim inferre pararet, opportuno illius reditu oppreſſus eſt, & cum ſuis omnibus interfectus: ut latius eſt uidere apud* Senecam *in* Hercule *furente.* Fuit *item* Lycus *nobilis* Troianus*, unus ex comitibus* Aeneæ: *de quo* Vergil. 1. Aen.

Nunc Amyci *caſum gemit, & crudelia ſecum*
Fata Lyci.

Eſt præterea Lycus, fluuius Aſiæ, non procul à Laodicea, qui cuniculis ſubterraneis abſorbetur, & rurſus emergit. Ouidius 15. Met.

Sic ubi terreno Lycus eſt epotus hiatu,
Exiſtit procul hinc, alioq; renaſcitur ore.

Item alius iuxta Heracleam Maryandinorum in Pontum Euxinum illabens. De hoc Ouidius lib. 4. de Ponto:

Huc Lycus, huc Sagaris, Peniuſq;, Hypaniſq;, Crateſq;,
Influit & crebro uortice tortus Halys.

Rurſus alius in Germania, Rhœtos à Vindelicis dirimens: ut eſt autor Ptolemæus lib. 2. cap. 12.

Lydia, (λυδία) *regio Aſiæ minoris, Crœſo rege & Pactolo aurifero flumine notiſsima, quæ flexuoſis Mæandri amnis recurſibus perfuſa, ſuper Ioniam procedit, Phrygiæ ab exortu Solis uicina, ad Septentrionem Myſiæ, Meridiana parte Cariam amplectens. Lydia dicta à Lydo Atyos filio, cùm antea Mæonia uocaretur. Vrbes habet Philadelphiam, Hypæpas, Magneſiam, & Sardis Crœſi regiam, totiuſq; regionis caput. Ouid. 6. Metamor.*

Lydia tota fremit, Phrygiæq́; per oppida facti
Rumor ijt.

Huius regionis incolæ Lydi dicuntur, qui teſte Herodoto lib. 1. primi aurum, argentumq́; ſignarunt: primiq; caupones, inſtitoreſq; fuerunt.

Lydus, (λυδός) *Atyos Mæoniæ regis filius fuit, & frater Tyrrheni, à quo Mæonia Lydiæ nomen accepit. Nam cùm Atys domi ſibi multitudinem abundare uideret, filijs ſuis hanc propoſuit conditionem, ut inter ſe ſorte ducta, alter oneroſam multitudinem educeret, nouaſq; ſibi ſedes quæreret: alter paterni regni ſucceſſor remaneret. Quare cùm ſors ita cecidiſſet, ut Tyrrhenus relicta patria no*

uarum coloniarũ autor fieret, in eam Italiæ *partem ſeſe contulit, quæ mare inferum ſpectans, ab eo Tyrrhenia appellatur. Lydus uerò domi relictus, paterniq; regni ſucceſſor fact⁹, Mœoniã de nomine ſuo Lydiã appellauit.*

Lynceſtis, (λυγκῆστις) *Macedoniæ fluuius eſt, cuius aqua pota non minus ebrietatem inducit, quàm ſi quis uino ſe ingurgitaſſet.*Plin.*lib.*2.*cap.*106. *Lynceſtis aqua temulentos facit.* Hinc *Lynceſtius,a,um.*Ouid.*libr.*15. *Meta.*

Huic *fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis,*
Q*uem quicunq; parum moderato gurgite traxit,*
Haud *aliter titubat,quàm ſi mera uina bibiſſet.*

Lynceus, (λυγκεὺς) *Apharei filius fuit, unus ex Argonautis, tanta oculorum acie præditus, ut diceretur uel parietem uiſu penetrare, & (ut ex hiſtoricis nonnulli prodiderunt) nouiſsimam Lunam, primamq; eodem die in ſigno Arietis conſpicere: quod paucis mortalium contigit uidiſſe. Vnde Valer.lib.1.Argon.*

—Solus tranſibit nubila Lynceus.

Hunc *Varro centum triginta millia paſſuum proſpexiſſe ſcribit: ſolitúmque exeuntem à Carthagine claſſem* Punicam, *numerumq; nauium, ex Libycana ſpecula maniſeſtiſsimè notare.* Fuit *& Lynceus alius frater Idæ, qui pro duabus Leucippi filiabus, quas ipſis deſponſatas Caſtor & Pollux rapuerant, arma ſumpſerunt, initaq; pugna Caſtor Lyncei, Lynceus Pollucis manu occubuit.* Idas *uerò, cum ipſum etiam Pollucem conaretur adoriri, immiſſo à* Ioue *fulmine interijt. Vide* Ouid. *ad finem libri* 5.*Faſtor.* Apollonius *tamen in Argonauticis* Idam *à Caſtore interfectum tradit: idq; Lynceum per abietem uidiſſe, & Caſtorem occidiſſe.*

Lyncus, (λύγκος) *rex Scythiæ immaniſsimus, qui Triptole*

ptolemum à Cerere miſſum, ut hominibus frugum uſum commõſtraret, hoſpitio excepit: cumq́; nomen, patriam, uiæq́; cauſam ab eo didiciſſet, ut tã præclari inuenti gloriam in ſe transferret, hoſpitem obtruncare conſtituit. Cumq́; iam noctu dormientem aggredi uellet, Ceres indignata in Lyncem feram eum conuertit. Ouid. 5. Metam.

Rex ibi Lyncus erat, regis ſubit ille penates, &c.

Lyra, (λύρα) quantum ad noſtrum pertinet inſtitutum, ſignum eſt cœleſte, ſtellarum nouem, inter genu, & manum ſiniſtram Engonaſis ſitũ. Oritur cum Sagittario: occidit autem exoriente Virgine. Ouid. 3. Faſt.

Illa nocte aliquis tollens ad ſidera uultus,
Dicet, ubi eſt hodie, quæ Lyra fulſit heri.

Qui poëticam aſtrologiam conſcripſerunt, uolunt Lyrã hanc eſſe à Mercurio primùm inuentam in Cyllene Arcadiæ monte, & ab eo Apollini donatam: ab Apolline autẽ inuenta cithara Orpheo cõceſſam, eoq́; interempto, à Muſis in cœlum translatam.

Lyrcêus, (λυρκεῖος) fons Arcadiæ ſub Cynuria monte, ex quo Inachus fluuius oritur, teſte Strabone lib. 8. Stat. 4. Thebaid.

Aret Lerna nocens, aret Lyrceus, & ingens
Inachus.

Stephanus Lyrceum agri Argiui montem eſſe ait, indeq́; uicinam regionem Lyrceam appellari. Hinc Lyrceus, a, um, (λύρκειος.) Ouidius 1. Metamorph.

-Iam paſcua Lernæ,
Conſitaq́; arboribus Lyrcea reliquerat arua.

Itẽ Lyrceïus, a, um, per quatuor ſyllabas, (λυρκήϊος.) Valerius Flaccus libro 1. Argonaut.

-Dominum Lyrceïa tellus,

Antráq; deprænſæ tremuerunt conſcia culpæ.

Lyrneſſus, (λυρνήσσος Stephano) *oppidum fuit Troadis, patria Briſeidis, quam Achilles euerſa urbe ſecum abduxit, occiſo Mynete, eius marito, ciuitatis illius principe. Hinc deducitur denominatiuum Lyrneßius, a, um,* (λυρνήσσιος.) *Ouid. in Epiſt. Briſeidis:*

Diruta Marte tuo Lyrneßia mœnia uidi.

Item Lyrneßis, idis, quo Poëtæ utuntur pro Briſeide, ex Lyrneſſo oppido orta. Ouid. 4. Triſt.

Fertur & abducta Lyrneßide triſtis Achilles, &c.

Lysídice, (λυσιδίκη) *filia fuit Pelopis & Hippodamiæ, Pitthei ſoror, quæ Electrioni nupſit, & ex eo Alcmenam Herculis matrem peperit, ut inquit Plutarchus. Alij uerò, inter quos eſt Commentator Homeri, matrem Alcmenes non Lyſidicen Pelopis, ſed Anaxo Ancæi cuiuſdã filiam faciunt.*

Lyſippe, es, (λυσίππη) *una fuit filiarum Prœti, quæ quòd ſe Iunoni præferre non eſſent ueritæ, tanto furore correptæ ſunt, ut per agros diſcurrentes, ſe uaccas eſſe crederent. Vide Iphianaſſa.*

Lyſippus, (λύσιππος) *clarißimus ſtatuarius fuit, patria Sicyonius, qui ad ſexcenta decem opera fecisse traditur, quorum ſingula arti claritatem dare potuiſſent. Hic, teſte Quintiliano, ad ueritatem optimè acceßit: quamobrem etiam Alexander ille Magnus ab uno Lyſippo ſe fingi uoluit, ut pingi ab Apelle. Horat. lib. 2. Epiſt. ad Auguſtum:*

Edicto uetuit, ne quis ſe, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri uultum ſimilantia.

Lyſius, (λύσιος) *Liberi patris cognomen apud Bœotios,* ἀπὸ τοῦ λύειν, *hoc eſt, à ſoluẽdo impoſitũ. Ferũt enim Bœo*

tios

tios aliquãdo à Thracibus depræhẽſos, partim captos, partim in ſugam uerſos fuiſſe: ex quibus cùm nõnulli ad Trophonij ſpecum confugiſſent, uiſum eſt ijs, noctu aſtantem loci eius Deum, Liberi patris ſibi auxilium promittere. Quo ſomnio alacriores redditi, Thracas ex inſidijs adorti ſunt: quos cùm uino ſomnoq; obrutos inueniſſent, nullo negotio ſuperarunt, receptisq; ſuis, cùm in patriã rediſſent, Dionyſio cognomento Lyſio tẽplum conſecrarunt. Autor Heraclides Põticus. Iulius Pollux, deos omnes, qui auerruncandi mali gratia colebantur, Lyſios uocari ait, quos & ἀλεξικάκους, & ἀποτροπαίους Græci nominant.

M.

MAcareus, (μακαρεὺς) *filius fuit Aeoli, qui mutuo Canaces ſororis ſuæ amore correptus, cum ea concubuit, puerumq; ex ea ſuſcepit, cuius & pater erat, & auunculus. Quam rem cùm Canace patrem maximè celatam cuperet, ſacris frondibus puerum tegit, curatq; clanculum ad nutricem perferendum. Verùm cùm per Aeoli aulam efferretur, uagitu ſuo puer proditus eſt, auiq; iuſſu canibus obiectus. Filiæ autem pater enſem per ſatellitem miſit, ut eo pro meritis uteretur: quo & necem illa ſibi traditur conſciuiſſe. Macareus uerò re cognita, fuga ſalutem quæſiuit, cumq; Delphos ueniſſet, Apollinis factus eſt ſacerdos. Extat Epiſtola Canaces ad Macareũ inter Ouidianas.*

Macedónia, (μακεδονία) *latiſsima Europæ regio, duobus olim regibus, & terræ imperio clariſsima, antea Aemonia, & Emathia appellata, quæ à tenuibus initijs, regũ prudentia, gentisq; fortitudine eò magnitudinis excreuit, ut cẽtũ quinquaginta facta fuerit populorũ. Hãc à Septẽtione, Dalmatia Mœſiaq; montana ſeiungunt: ab Occa*

ſu mari Adriatico, ſiue Ionio, ab ortu Aegæo abluitur. Meridianam oram Epiroticæ gentes, & ipſa Græcia excipit. Dicta Macedonia à Macedone quodam Oſiridis, ſiue (ut Stephanus & Solinus ſcribũt) Iouis filio, & Thyiæ filiæ Deucalionis. Hinc deducitur gentile Macedo, onis, (μακεδών.) Lucanus lib. 8,

Cùm tibi ſacrato Macedo ſeruetur in antro.

Item Macedonicus, ſiue Macedonius, poſſeßiuũ. Oui. 12. Metamorphoſ.

Qui clypeo, gladioq́;, Macedoniaq́; ſariſſa.

Macháon, (μαχάων) filius fuit Aeſculapij & Arſinoës, (alij Coronidis, alij Heſiones filiæ Meropis, alij Xanthiones filium faciunt) Podalirij frater, & medicus inſignis, qui unà cum reliquis Græciæ principibus ad Troiam profectus, tandem ab Eurypylo eſt occiſus. Vergilius libro 2. Machaonem numerat inter eos, qui equo ligneo incluſi, Ilij portas ſuis reſerarunt:

Pelidesq́; Neoptolemus, primusq́; Machaon.

Mácra, (μάκρας Straboni) fluuius eſt ex Apennino fluẽs, Liguriamq́; diuidens ab Hetruria, & iuxta Lunam ciuitatem in mare Liguſticum illabens: ut eſt autor Plinius libro 3. cap. 5. & Strabo lib. 5. Luca. lib. 2.

- Nullasq́; uado iam Macra moratus Alnos.

Mæander, (μαίανδρος) fluuius Aſiæ clarißimus, qui ortus è lacu in mõte Aulocrene, plurimisq́; affuſus oppidis, & repletus fluminibus, crebris ita ſinuoſus redditur flexibus, ut ſæpe ad fontem credatur reuerti. Apamenam primùm peruagatur regionem: mox Eumeneticam, ac deinde Bargylieticos cãpos, & Cariam alluit: omnesq́; eos agros fertilißimo rigans limo, ad decimum à Mileto ſtadium illabitur in mare. Hæc Plin. lib. 5. cap. 29. Ouidius libro 9.

Metam

Metamor.

Non ſecus ac liquidis Phrygius Mæander in undis
Ludit, & ambiguo lapſu refluitq́;, fluitq́;.

Mæander, inquit Strabo, flexuoſus eſt, quoniam alueus multas recipit mutationes, & multũ limũ deducens, modò huic, modò illi ripæ adijcit. Hunc Poëtæ fingũt Oceani & Terræ filiũ fuiſſe, & Cyaneen Nympham genuiſſe, quam poſtea Miletus Solis filius oppreßit, & ex ea Caunum & Byblidem ſuſcepit. Vide Ouid. 9. Metamor.

Mænades, (μαινάδες) eædẽ, quæ Bacchæ, hoc eſt, mulieres inſanientium ritu Bacchi Orgia celberantes. Mænades dictæ à uerbo Græco μαίνεσθαι, quod ſignificat inſanire. Iuuen. Sat. 6.

— Crinemq́; rotant ululante Priapo
Mænades.

Mænalus, *ſiue* Mænala, orum, (μαίναλον Stepha.) Arcadiæ mons altißimus, Pani cõſecratus, & pinis refertus: ita dictus à Mænalo Lycaonis filio: ut annotauit Scholiaſtes Theocriti. Vergil. 10. Eclog.

Pinifer illum etiam ſola ſub rupe iacentem
Mænalus.

Idem octaua Eclog.

Mænalus, argutumq́; nemus, pinosq́; loquentes
Semper habet.

Idem primo Georgicorum:

Pan ouium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ,
Huc ades ò Tegeæe fauens.

Hinc Mænalius, a, um, id eſt, Arcadicus. Vergil. 8. Eclog.

Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus.

Mæónia, (μαιονία) regio minoris Aſiæ, poſtea Lydia dicta à Lydo Atyos filio, Phrygiæ ab exortu Solis uicina,

ad Septentrionem Miſiæ: Meridiana parte Cariam amplectens, ad Occaſum ſupra Ioniam excurrens: ita dicta à Mæone fluuio, ut Stephano placet. Hanc Strabo libro 13. κεκαυμένην χώραν, hoc eſt, exuſtam regionem uocat: eamq; arboribus prorſus carere tradit, præter uitem, uini iucundiſsimi feracem. Summam autem camporum faciem cinerulentam eſſe, petroſam, & nigram, aduſtionis quandam ſimilitudinem retinentem. Imminet autem Mæoniæ Tmoli mõtis rupes altiſsima, ex qua Pactolus fluuius defluit aureas trahens arenas: unde & Chryſorrhoas dicitur. Hinc Mæonius, a, um. Vergil. 4. Georg.

–Cape Mæonij carcheſia Bacchi.

Mæonis, (μαιονὶς) *gentile eſt fœmininum, à Mæonia deductum, quo Poëtæ utuntur pro Arachne, puella Lydia. Ouid. 6. Metam.*

Mæonis eluſam ſignat ſub imagine tauri
Europam.

Mæôtis, (μαιῶτις) *palus Scythica, in regione Septentrionali, iuxta Phaſidis oſtium, Cimmerio Boſphoro à Ponto Euxino diſcreta, hyeme congelaſcens, Tanaim, alioſq; innumeros ferè recipiens fluuios: ita dicta ab accolis, qui Mæotæ appellantur. Luca. lib. 3.*

Quaq; fretum torrens Mæotidos egerit undas.

Inde fit adiectiuum Mæoticus, a, um. Vergil. 6. Aen.

–Iam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent diuûm, & Mæotica regna.

Magnéſia, (μαγνησία) *Macedoniæ regio, Theſſaliæ annexa. de qua Plini. li. 4. cap. 9. Eſt & Magneſia, Ioniæ oppidum ad Mæandrum fluuium, diſtans ab Epheſo (ſicuti ſcribit Pli. lib. 5. cap. 29.) X V I. M. paſſ. circa quam L. Scipio Aſiaticus Antiochum regem magna clade afficit. Hinc*

fit

ſit gentile Magnes, etis (μάγνης.) Lucan. libro 6.

Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis.

Item fœmininũ Magneſſa, (μάγνησσα.) Horat. lib. 3. Car. Ode 7.

Magneſſam Hippolyten dum ſugit abſtinens, &c.

Maia, (μαῖα) Atlantis filia fuit ex Pleione Nympha, ex qua Iupiter Mercurium ſuſcepit. Vergilius 8. Aen.

Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum uertice fudit.
At Maiam (auditis ſi quicquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui ſidera fulcit.

Málea, ſiue Malía, (μαλία, μάλεια) promontorium Laconiæ, per quinquaginta millia paſſuum in mare protenſum, aduerſisq; uentorum flatibus nauigationem reddens periculoſam: unde factus eſt locus prouerbio, Quum ad Maliam deflexeris, domeſticos obliuiſcere. Vergil. lib. 5.

Ioniоq; mari, Maleæq; ſequacibus undis.

Statius lib. 7. Thebaid.

-Raucæ circunſonat ira Maleæ.

Dicta Malea à Maleo Argiuorum rege, qui in ea templũ pulchrum conſtruxit, quod Maleoticum appellauit.

Mallos, (μαλλὸς) Ciliciæ oppidum clariſſimum, à Mallo conditore ita dictũ, ut ex Callimachi ſententia refert Stephanus. Lucan. libro 3.

Mallos, & extremæ reſonant naualibus Aegæ.

Mamúrius, (μαμούριος) faber ærarius laudatiſſimus, qui tempore Numæ floruit, & Saliorum ancilia confecit, ad ſimilitudinem eius, quod de cœlo deciderat. De hoc ſic ſcribit Feſtus: Mamurij Veturij nomen frequenter in cantibus Romani frequẽtabant hac de cauſa: Numa Pompilio regnante, è cœlo cecidiſſe fertur ancile, id eſt, ſcutum breue: quod

ue: quod ideo ſic appellatum eſt, quia ex utroq; latere ex ſcat reciſum, ut ſummum infimumq́; eius latus medio pa= teret, unaq́; edita uox eſt, omnium potentiſsimam fore ci= uitatem, quàm diu id in ea manſiſſet. Itaq; facta ſunt eiuſ= dē generis plura, quibus id miſceretur, ne internoſci cœle ſte poſſet. Probatum opus eſt Mamurij Veturij, qui præ mij loco petijt, ut ſuum nomen Salij inter carmina cane= rent. Hæc ille. Ouid. 3. Faſto.

Inde ſacerdotes operi promiſſa uetuſto
Præmia perſoluunt, Mamuriumq́; uocant.

Manlius Capitolinus, prænomine Marcus, nobilis Roma nus fuit, qui re malè geſta à conſulibus ad Alliam contra Gallos Senones, uidens in mœnibus urbis parum eſſe præ ſidij, lecta mille iuuenum manu, arcem Capitolinam occu= pauit, & à ui hoſtium ſeruauit intactam. A' qua tamen ip ſa arce, quòd in affectati regni ſuſpicionem ueniſſet, po= ſtea præcipitatus eſt: cautumq́; eſt Senatuſconſulto, ne= quis ex Manlia gente Marcus diceretur. Hiſtoriam hanc latius refert Liuius libro 2. ab urbe, & Seruius enarrans illud Vergil.

In ſummo cuſtos Tarpeiæ Manlius arcis.

Manto, ûs, (μαντώ) mulier fatidica fuit, Tireſiæ Theba= ni filia, quæ cùm poſt patris obitum Creontis & Theſii ty rannidem fugeret, primùm in Aſiam uenit: ubi Apollinis Clarij templum condidit. Deinde in Italiam delata, ex Ti= beri fluuio (ut Poëtæ fabulātur) aut certè ex Tiberino re= ge, Ocnum peperit: qui poſtea ad Padum fluuium urbem condidit, quam à nomine matris Mantuam appellauit.

Mántua, (μάντυα, ἢ μάντυα Stephano) urbs Tranſpada= næ regionis clariſsima, ab Ocno filio Tiberis, & Man= tûs Tireſiæ Thebani uatis filiæ, ad Padum condita, & à nomine

nomine matris eius Mantua appellata. Verg. lib. 10. Aen.

Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis,
Qui muros, matriſq; dedit tibi Mantua nomen.

Márathon, (μαραθὼν) *Attici agri ciuitas, diſtãs ab Athenis circiter decem millia paſſuum, non procul à Tricoritho, & Rhamnũte nece Icari regis inſignis & Miliciadis gloria, qui ibi centum millia ex Darij Perſarum regis exercitu profligauit: item Theſei uictoria, qui taurum Marathonium ibi ſuperauit. Ouid. 7. Meta.*

- Te maxime Theſeu
Mirata eſt Marathon Cretæi ſanguine tauri.

Marcómani, (μαρκόμανοι) *interioris Germaniæ populi, Hercyniæ ſyluæ accolæ, qui hodie Moraui dicũtur. Hi Ariouiſto duce Rhenum tranſgreßi, magna ſuorum ſtrage à Cæſare fuerunt ſuperati. Statius lib. 3. Syluar.*

Quæ modò Marcomanos poſt horida bella, uagoſq;
Sauromatas

Mareótis, idis, (μαρεῶτις) *lacus in Aegypto, Alexandriã à Meridie alluens, multis Nili foßis, tum à ſuperioribus partibus, tũ à latere adauctus, portũ habens nobilem, eoq; qui ad mare eſt, multò utiliorem. Autor Strabo lib. 17. Mareotis præterea appellatur pars illa Libyæ, quæ eſt inter Cyrenaicam regionem & Aegyptum, à Ptolemæo Marmarica appellata. Eius deſcriptionem uide apud Plin. libro 5. capite 6. Eſt præterea Mareotis pars Epiri, in qua uinum optimum naſcitur: unde Mareotides uuæ dictæ ſunt. Verg. 2. Georg.*

Sunt Thaſiæ uites, ſunt & Mareotides albæ.

Mariandynũ, (μαριανδυνία Steph.) *regio Aſiæ, Bithyniæ cõtermina, Acheruſia ſpecu nobilitata, per quã Her-*

cules Cerberum canẽ tricipitem ad ſuperos traxiſſe dicitur: quem ferunt ibi uirulentam ſpumam in ſaxis euomuiſſe, ex qua ibi natum uolunt aconitum. Eius regionis *incolæ dicti ſunt Mariandyni, qui olim, teſte* Herodoto *libro* 1. *Crœſi regis imperio paruerũt.* Horũ *meminit* Strabo *libro* 8. Et Valerius Flaccus *libro* 4. Argonaut.

Et *Mariandynûm patrias penetrauit ad urbes.*

Marîca, Nympha *Liris fluminis accola in littore* Minturnẽſium, *quæ regi* Fauno *nupſit, eidemq́;* Latinum *peperit.* Verg. 7. Aeneid.

–Rex *arua* Latinus, *& urbes*
Iam *ſenior, longa placidas in pace regebat.*
Hunc Fauno *&* Nympha *genitum* Laurente Marica
Accipimus.

Márius, *prænomine* Caius, *uir ſtrenuus fuit, ex municipio* Arpinate *humili loco natus, qui multos annos in uilla* Ciuernate *uitam ruſticam egit, procul ab urbanis delicijs.* Hic *per ordinem primis honoribus functus, legatus* Metellum *in* Numidia *criminando,* Conſulatum *adeptus,* Iugurtham *captum ante currum egit: tantãq́; fortitudinis ſuæ opinionem* Romanorum *animis infixam reliquit, ut imminente* Cimbrorum Teutonumq́; *terrore, quinque continuos* Conſulatus *ei detulerint.* Sextùm Conſul *cum* Catulo *factus,* Cimbros *in* Gallia, *apud aquas* Sextias, Teutonas *in* Italia *uicit, deq́; his triumphauit.* Victus *à* Sylla Minturnis *in palude latuit: inuentus, & in carcerem coniectus,, immiſſum percuſſorem* Gallum *uultus autoritate deterruit.* Acceptaq́; *nauicula in* Africam *traiecit, ubi diu exulauit.* Mox Cinnana *dominatione reuocatus, cæſis inimicis, ſeptimo* Conſulatu *morbo, aut (ut quidam ferunt) uoluntaria morte deceßit.* Habuit *filium* Mariũ

nomine,

nomine, qui quum eſſet uigintiſeptem annorum, Conſulatum inuaſit: quem honorem mater tam immaturū fleuit. Hic patri ſæuitia ſimilis, curiam armatus obſedit: & inimicos trucidauit: tandem & ipſe crudeliſsimo mortis genere Catuli manibus inferias miſſus eſt. Vtriuſq; Marij meminit Lucanus Pharſaliæ lib. 1.

Marmárica, (μαρμαρικὴ) *regio Africæ Nilo proxima, teſte Ptolem. li. 4. ab Occaſu Cyrenaica prouincia, à Septentrione Aegyptiaco pelago terminata: ab Oriente Aegyptum habens, à Meridie interioris Libyæ partem, quæ Aegypto contermina eſt. Plin. lib. 5. cap. 6. Mareotidem appellat, incolas autem ipſos Marmaridas.*

Maronêa, (μαρώνεια *Stephano*) *Ciconum ciuitas, in Thracia, præſtantiſsimo uino laudata. Inde Maroneus, a, um. Tibullus ad Meſſalam:*

Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.

Marpeſſa, (μάρπησσα *Homero*) *filia Eueni, & ſpecioſa inter paucas nympha, uxorq; Idæ, omnium illius ſeculi uirorum formoſiſsimi: mater Cleopatræ pulcherrimæ fœminæ, uxoris Meleagri. Hanc maritus tam teneriter fertur adamaſſe, ut cùm eam Apollo rapere conaretur, ſumpto arcu & ſagittis, raptorem inuadere non dubitarit. Verùm cùm eius recuperandæ ſpes nulla ſupereſſet, mater eam pro Marpeſſa Alcyonen nominauit, propterea quòd fatum Alcyone ſimile ſortita uideretur. Vide Homerum 9. Iliados.*

Marpeſſus, (μάρπησσα *Stephano*) *mons eſt in Paro inſula, candidi marmoris ferax. Hinc Marpeſia cautes, apud Vergil. 6. Aeneid. pro marmore Pario:*

Nec magis incepto uultum ſermone mouetur,
Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

Marru

Marrúbij, *populi fuerunt* Italiæ,*circa* Fucinum *lacum habitantes,ſic dicti uel à rege Marrubio, uel quòd circa mare habitarent.Stagna enim & lacus ueteres etiam maria appellabant.*Verg.7.Aeneid.

Quin & Marrubia uênit de gente ſacerdos.

Marrucíni, *populi* Italiæ,*in regione Marſorum.Silius libro octauo:*

Marrucina ſimul Frentanis *æmula pubes.*

Mars,(ἄρης) Deus *belli præſes ab antiquis creditus: dictus,ut ait* Var.*lib.*4.de Lingua Latina,*quòd maribus in bello præſit : aut certè à* Sabina *dictione Mamers, quo nomine illi Martem dicebant.* A' *poëtis Mauors dicitur per epentheſim,quòd magna uertat.*Hic Iouis & Iunonis *filius fuiſſe fingitur:uel, ut* Ouidius *fabulatur, ſolius* Iunonis.*Cùm enim olim* Iuno *turbata,quòd animaduertiſſet* Iouem *percuſſo capite ſine fœminæ commercio procreaſſe* Mineruam, *uerſus* Oceanum *proficiſceretur, ut ſcrutaretur quo pacto & ipſa ſine uiro parere poſſet, & in itinere fatigata, ſecus fores* Floræ Deæ, *coniugis* Zephyri, *conſediſſet, interrogata ab ea fertur, quam ob cauſam ad* Oceanum *pergeret : qua cognita, facturam ſe uoti compotem* Deam *pollicita eſt,ſi id* Iuno Iouem *celaret. Quod cùm* Iuno *iureiurando affirmaſſet, mox illam* Flora *monuit,in campis* Olenijs *florem eſſe,quo tacto ſtatim conciperet ſine uiro.*Id *experta* Iuno *concepit,& peperit filium,quem* Martem *nominauit.*Hunc *ferunt poſtea cum* Venere *concubuiſſe,eosq́;* Vulcani *artibus, ut erant nudi, occultis laqueis irretitos,deorum omnium riſui expoſitos fuiſſe:donec* Neptuni *precibus motus* Vulcanus *eos diſſoluiſſet.Sororē habuit* Bellonā, *belli deam.* Sacrum *ei fecerunt lupum & picum:quos in* Dei *huius*

tutela

tutela eſſe credi uoluerunt. Salios habuit ſacerdotes, & Flamines, qui ab eo Martiales dicebantur. Ponitur *ſæpiſſimè pro ipſo bello.* Verg. Eclog. 10.

Nunc inſanus amor, duri me Martis in armis
Tela inter media, atq; aduerſos detinet hoſtes.

Marſi, orum, (*μαρσοὶ Stephano*) *populi* Italiæ *fortiſſimi,* Picentibus, *Aequiculanis, & Samnitibus finitimi, à Marſo Circes filio orti, qui ſaliua ſua ſerpentum morſibus medebantur.* Verg. 2. Georg.

Hinc genus acre uirûm, Marſos, pubemq; Sabellam
Extulit.

Márſyas, (*μαρσύας*) *tibicen fuit è* Phrygia, *ea temeritate, ut ipſum etiam* Phœbum *ad cantus certamen auderet prouocare: à quo & uictus, & excoriatus eſt.* Vide *fabulam apud* Ouidium *lib. 6.* Faſtor. *Eſt & Marſyas, ſiue Marſya, Aſiæ minoris fluuius,* Apamiam *alluens; quem* Poëtæ *fabulantur ortum eſſe ex* Nympharum, *& Satyrorum lacrymis,* Marſyam *deflentium.* Ouid. 6. Metam.

Illum ruricolæ, ſyluarum numina, Fauni,
Et Nymphæ flerunt, & quiſquis montibus illis
Lanigeroſq; greges, armentaq; bucera pauit.
Fertilis immaduit, madefactaq; terra caducas
Concepit lacrymas, ac uenis perbibit imis.
Quas ubi fecit aquas, uacuas emiſit in auras.
Inde petens rapidum ripis decliuibus æquor,
Marſya nomen habet, Phrygiæ liquidiſſimus amnis.

Máſaris, (*μάσαρις*) Bacchi *cognomen apud* Caras: *de cuius origine ſic fabulantur* Poëtæ: *in comitatu* Rheæ, *cui* Iupiter Bacchum *alendum commiſerat, mulierem fuiſſe, cui nomen erat* Mâ, *quam cùm* Iuno *rogaſſet, cuius is eſſet puer, ἄρεως, hoc eſt,* Martis, *illa reſpondit. Qua*

uoce

uoce à uulgo excepta, Bacchus *deinceps* Maſâris *dictus eſt, quaſi* τῆς μᾶς ἄρης. *Autor Stephanus.*

Maſiniſſa, *rex fuit* Numidarum, *acerrimus primùm nominis* Romani *hoſtis, poſtea uerò fideliſsimus ſocius.* Hic *ad extremam uſq; ſenectam mira ualetudinis proſperitate, uegetoq́; corporis robore uſus eſt, adeò ut nonageſimo ætatis anno filium genuerit, iterq́; quamuis prolixum faciens equum nunquam aſcenderit. Ouid. 6. Faſtor.*

> Poſtera *lux melior: uincit* Maſiniſſa *Syphacem.*

De *hoc multa* Liuius *lib. 3.* Belli Punici.

Maſságetæ, (μασσαγέται) *populi Scythici in Aſia, ultra mare Caſpium, qui equino ſanguine cum lacte commiſto inediam in bello tolerant. Statius in Achilleide:*

> *Lactea* Maſſagetæ *ueluti qui pocula fuſcant*
> *Sanguine puniceo.*

Lucan. lib. 3.

> *Longaq́; Sarmatici ſoluens ieiunia belli*
> *Maſſagetes, quo fugit, equo.*

Apud hos ſenio confecti, in fruſta cæduntur, admiſtisq́; ouillis carnibus à ſuis eduntur: qui uerò morbo intereunt, feris deuorandi obijciuntur. Infeſtiſsimi *ſunt hoſpitibus, neq; cum uicinis populis ullam ſeruant amicitiam, aut fidem.* Vxores *habent cõmunes, cũ quibus etiam in publico coire non uerentur. Solem præcipuè uenerantur, cui & equum immolant: cæteros deos habent neglectui.* Vide *Strab. lib. 11. &* Herodotum *lib. 1.*

Máſsicus, *ſiue* Máſsica, orum, (μάσσικα, τὰ) *mons Campaniæ, optimi uini ferax. Silius lib. 7.*

> *Maſsicus uuiferis addebat nomina glebis.*

Vergilius 7. Aeneid.

> *– Vertunt felicia* Baccho
> *Maſsica.*

Maſſica.

Hinc Maſſicum uinum, inter Campana uina olim laudatiſſimum. Horat. *lib.* 1. *Carm.*

Eſt qui nec ueteris pocula Maſſici
Spernit.

Maſsília, (μασσαλία) *urbs* Narbonenſis *prouinciæ, optimarum olim diſciplinarum ſtudijs florentiſſima, legibusq́; ſanctiſſimis optimè conſtituta. Macedonibus Aſtyage, Hebræis uerò Sedechia imperante condita, circa ſecundam & quadrageſimam Olympiadē, annis antè quàm uirgo pararet* D C X I I I. *poſt obitum Dauidis regis annis* C C C C L X X X I I I I. *Diruta deinde, à Phocenſibus inſtaurata eſt, qui Cyri tyrannidem fugientes, deſtituta Græcia, in hanc Galliæ oram ſeſe contulerunt. Agrũ habet uini præſtantiſſimi feracem. Martialis lib.* 12.

Tu me Maſsiliæ ponere uina iubes.

Maſſyli, (μασσύλοι Stephano) *populi Africæ, Cæſarienſi Mauritaniæ, & Maſſæſylis proximi. Hi neque frænis, neq; ephippijs utuntur, ſola contenti uirga, qua equos regunt. Hinc Maſſylus, a, um, adiectiuum. Vergilius* 4. *Aeneidos,*

Hinc mihi Maſſylæ gentis monſtrata ſacerdos, &c.

Item Maſſylius, a, um. Lucanus lib. 4.

Et gens quæ nudo reſidens Maſſylia dorſo
Ora leui flectit, frænorum neſcia, uirga.

Item Maſſylæus, a, um. Martialis lib. 9.

Et Maſſylæum uirga gubernat equum.

Matînus, (μάτινος) *mons eſt Calabriæ, autore Porphyrione, buxo, & apibus abundans. Lucan. lib.* 9.

– Et calidi lucent buxeta Matini.

Hinc Matinus, a, um, adiectiuum: ut Apis Matina. Horat.

4. Carm

4.Carminum.Ode 2.

-Ego apis Matinæ
More modoq;
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus,uuidiq;
Tyburis ripas,operoſa paruus
Carmina fingo.

Mátrona,fluuius eſt Galliæ,in Lingonum montibus naſcens,unaq; cum Sequana Belgicam dirimens à Celtica. Auſonius in Moſella:

Non tibi ſe Liger anteferet,non Axona præceps,
Matrona non,Gallos,Belgosq; inter ſita fines.

Matûta,ab antiquis dicta eſt Aurora,quam Græci λευκοθέαν appellant.Hanc Poëtæ uolunt fuiſſe filiam Cadmi,nomine Ino,Athamantis uxorem, quæ mariti inſaniā fugiens,in mare ſeſe præcipitauit unà cum Melicerta filio:quorum corpora cùm nuſquam inuenirentur,pro dijs marinis habiti ſunt:& Ino quidem à Græcis λευκοθέα, à noſtris Matuta dicta eſt: Melicerta autem,à Græcis Palæmon,à Latinis Portunus eſt appellatus.

Mauors,ortis,(ἄρης) Deus bellorum præſes, quem nos Martem appellamus.Vergil.6.Aeneid.

Quantos ille uirûm magnam Mauortis ad urbem
Campus aget gemitus.

Hinc Mauortius,a,um.Idem 4.Georg.

Altaq; Pangæa,& Rheſi Mauortia tellus.

Mauritánia,(μαυρειτανία) Africæ regio extrema, uerſus Gaditanum fretum, & Occidentalem Oceanum,in qua Antæus gigas regnaſſe dicitur,ab Hercule uictus. Eſt autem duplex : Cæſarienſis à Cæſarea,& Tingitana à ciuitate Tingi. Dictaq; eſt Mauritania,ἀπὸ τοῦ μαύρου,quod

inter

inter cætera ſignificat obſcurum, uel nigrum, quòd ni-groſ habeat colonos. Gignit ſimias, dracones, ſtruthiones, & elephantes. Eius incolæ Mauri (μαῦροι) *dicuntur. Lucan. lib. 3.*

Quicquid ab occiduis Libyæ patet arida Mauris.

Hinc Mauruſius, a, um, (μαυρούσιος.) *Silius lib. 10.*

At multa thorax perfoſſus cuſpide, & hærens
Loricæ interdum Mauruſia pendet harundo.

Sic Tellus Mauruſia apud Claudianum 3. Panegyr.

Mausôlus, (μάυσωλος) *Cariæ rex, & Artemiſiæ maritus, quæ illum tam ingenti amore proſecuta eſt, ut eius fato perfuncti cineres uino permiſtos tradatur ebibiſſe. Ad hæc ſepulcrum eidem ſumptuoſiſsimum extruxit, quod à nomine eius Mauſoleum eſt appellatum, ob operis magnificentiam inter ſeptem orbis miracula numeratum. Martialis de Amphitheatro Domitiani:*

Aëre nec uacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.

Mecœnas, (μηκοίνας) *Eques Romanus, Auguſto gratiſſimus, ab Hetruriæ regibus oriundus: cui, uelut unico ſtudiorum patrono Vergilius Georgica ſua, & Horatius libros carminum inſcripſit. Delicatum hunc fuiſſe, non ſolùm cultu, ac moribus, ſed etiam ſtylo commemorant: quare eum Auguſtus Malacinum uocabat, & exagitabat frequenter ut Cacozelum, teſte Tranquillo. Horat. 1. Carm.*

Mecœnas atauis edite regibus.

Fuit uir hic in prouehendis cùm omnium diſciplinarum, tum præſertim poëticæ cultoribus adeò benignus, ut ab eo etiam hodie ſtudiorum patroni, qui in ſubleuanda doctorum hominum egeſtate ſe munificos præbent, Mecœ-

nates appellentur.

Medea, (μήδεια) *inſignis uenefica fuit*, Aeetæ Colcho*rum regis filia: quæ cùm* Iaſonē *perditè deamaret, facilem illi ad aureū uellus aditū præbuit, ſopito peruigili dracone, qui noctes, dieſq́; illud aſſeruabat.* Quo *facto, patris iram metuens*, Iaſonem *in* Græciam *ſequuta eſt, patremq́; inſequentem diſcerptis* Abſyrti *fratris membris, & per uiam diſperſis, retardauit.* Repudiata *deinde ab* Iaſone, *filios ſuos, quos ex eo ſuſceperat, occîdit*, Creuſamq́; Creontis *filiam, cum qua* Iaſon *ſecundas contraxerat nuptias, incenſa regia, uiuam cremauit, ipſumq́; etiam* Iaſonem *doloris impatientia manus ſibi inferre coëgit.* Poſt *hæc* Athenas *ſeſe contulit, ubi* Aegeo *iam ſeneſcenti nupſit: ex quo &* Medum *filium ſuſcepit.* Horat. *in* Arte:

Nec *pueros coram populo* Medea *trucidet.*

Média, (μηδία) Aſiæ *regio latiſsima, à* Septentrione Hyrcano *mari, ab* Occaſu *maiori* Armenia & Aſſyria *terminata: à* Meridie Perſidem, *ab* Ortu Hyrcaniam *habens &* Parthiam, *quæ* Caſſaorum *montibus ab ea excluditur.* Dicta Media (*ut* Solino Placet) *à* Medo Medeæ, & Aegei *filio.* Strab. *lib.* 11. Mediam *in duas diuidit partes: quarum alteram* Maiorem *uocat, cuius caput facit* Ecbatana: *alteram* Minorem, *quæ &* Atropatia *dicta eſt, ab* Atropato *duce, qui eam à* Macedonum *impetu tutā præſtitit.* Eſt *autem* Media *bona ſui parte montoſa & frigida, & ferè tota ſterilis, excepta regione, quæ ſub* Caſpijs *portis in humili & concauo iacet ſolo, quæ opulēta eſt, rerumq́; omnium neceſſariarum ferax, præterquam olei.* In *ea campus eſt latiſsimus, quem* Hippoboton *uocant, in quo equorum quinquaginta millia paſci dicuntur.* Regium *id armentum eſt.* Ex Media *primùm alla-*

ta

ta eſt malus citrea, quæ inde Medica dicitur. Verg.2. Georgicorum:

Media fert triſtes ſuccos, tardumq́; ſaporem
Felicis mali, &c.

Huius regionis incolæ Medi, (μῆδοι) dicuntur. Idem paulò pòſt,

–Animas, & olentia Medi
Ora fouent illo.

Hinc Medicus, a, um. Lucan. lib. 2.

–Achæmenijs decurrant Medica Suſis
Agmina.

Medûſa, (μέδουσα) *fuit filia Phorci ex Ceto marina belua, quæ unà cũ duabus ſororibus Euryale & Sthenione, Gorgadas inſulas in Oceano Aethiopico tenuiſſe fertur. Vnde & Gorgonides appellantur. Hæc præter alias formæ inſignis dotes capillos habuiſſe fertur, proximè ad auri colorem accedentes, quorum ſplendore captus Neptunus, in Mineruæ templo cum ea concubuit: ex quo concubitu poſtea natus eſt Pegaſus equus. Quam iniuriam Minerua graui & iniquo animo ferens, Meduſæ crines, quibus maximè amatori ſuo placuerat, in angues mutauit: deditq́; ut omnes eam aſpicientes in lapides uerterentur. Quamobrem cùm nemo tam immane monſtrum intueri poſſet, Perſeus Iouis & Danaës filius, Mercurij talaribus, & falcato enſe accepto, Palladis item ſcuto, ut ære repercuſſam effigiem eius uidere impunè poſſet, ex improuiſo, cùm ipſa anguesq́; ſopiti eſſent, eam adortus, uno ualidiſsimo ictu peremit, & in patriam rediens cùm eiuſdem caput ſecum deferret, contigit, ut guttæ ſanguinis decidentes per ſolitudines Aphricæ mutarentur in ſerpentes. Lucan. lib. 9.*

Squallebant latè Phorcynidos arua Meduſæ.

Megæra,(*μέγαιρα*) *una Furiarum Noctis, & Acherontis filia, ita dicta ἀπὸ τοῦ μεγαίρειν, quod odiſſe ſeu inuidere ſignificat. Claudianus Inuectiua 1. in Rufinum,*

Improba mox ſurgit triſti de ſede Megæra.

Mégara,(*μέγαρα*) *Creontis Thebanorum regis filia, & uxor Herculis. Nam cùm Erginus Orchomeniorum tyrannus Thebanos graui premeret tributo, Herculi filiam ſuam ea lege pactus eſt, ſi urbem eo onere liberaſſet. Quo præmio inductus Hercules, Orchomenijs bellum intulit, urbeq; expugnata, tyrannum interfecit: uictorq; Thebas reuerſus Megaram uxorem duxit. Verùm cùm poſtea Euryſtei iuſſu ad inferos deſcendiſſet, diutiuſq; ibi moraretur, Lycus exul Thebanus, rei bene gerendæ occaſionem ſibi oblatam ratus, regnum Thebanorum inuaſit: cumq; Megaræ animũ ad nuptias ſuas inflectere non poſſet, uim ei inferre parabat. Inter hæc opportunè ab inferis rediens Hercules, Lycum interfecit, regnumq; Thebanorum Creonti reſtituit. Lyci autem necem iniquo animo ferens Iuno, tantum Herculi furorem obiecit, ut ille Megaram uxorem cum liberis ex ea ſuſceptis interficeret. Vide Hyginum Fab. Poët. cap. 32. & Senecam in Hercule furente. Fuit item Megara, urbs Græciæ inſignis, medio ferè ſpatio inter Corinthum, & Athenas ſita, in cuius agro præſtãtiſsimi proueniebãt bulbi, qui inde Megarici dicti ſunt. Effertur autem hoc nomen Megara, ræ, ſingulari numero, uel plurali Megara, orũ. Columella lib. 10.*

Iam Megaris ueniant genitalia ſemina bulbi.

Eſt item Megara, Siciliæ mõs, apibus abũdans, urbẽ habẽs eiuſdem nominis, in radice ſitam: à qua propinquus ſinus Megarinus, ſiue Megaricus nominatur. Verg. 3. Aeneid.

Pantag

Pantagiam, Megaroſq; ſinus.

Megareus, (μεγαρεὺς) nomen fuit patris Hippomenis, & nepotis Neptuni, ex Oncheſto Bœotiæ oppido oriundi. Ouid. 10. Metamorph.

Nanq; mihi genitor Megareus Oncheſtius: illi
Eſt Neptunus auus: pronepos ego regis aquarum.

Fuit præterea eodem nomine unus ex Apollinis filijs, qui Megaris à ſe conditis nomen fecit.

Meges, (μέγης) unus ex Græcorum principibus, qui Dulichio, & Echinadibus inſulis præfuit, & cũ nauibus quadraginta ad Troiam eſt profectus: ut eſt autor Homerus in Catal. nauium.

Melæna, (μέλαινα) inſula eſt maris Ionij ante Epirum, quæ alio nomine Corcyra dicitur: ut docet Plin. libro 3. cap. 26. Statius lib. 12. Thebaid.

Icarij, Celeiq; domus, uiridiſq; Melæna.

Melampus, (μελάμπους) Amythaonis Argiui, & Dorippes filius, teſte Homero Odyß. libr. 15. Nomen autem cepiſſe fertur, eò, quòd mater infantẽ expoſuerit toto corpore tectum, præterquam pedibus, qui à ſole atro colore attracto, nomini cauſam dederunt. Augurio claruit: Biantem item iuuit in auferendis bobus Iphiclo, quas ille Neleo reſtituit: cuius beneficij memor Neleus, filiam ſuam nomine Però ei uxorem tradidit. Filias quoque Prœti furijs agitatas, ſanitati mentis reſtituit, quarum unam Iphianaſſam nomine coniugem accepit. Vergil. libr. 3. Georg.

Phyllirides Chiron, Amythaoniuſq; Melampus &c.

Fuit item Melampus unus ex canibus Actæonis, à pedum nigritie ita dictus. Ouid. 3. Metam.

Dum dubitat, uidere canes, primuſq; Melampus.

Melanchætes, (μελαγχαίτης) unus ex canibus Actæonis

nis ἀπὸ τῆς μελάνης χαίτης, hoc eſt, à pili nigredine di-ctus. Ouid.3.Metam.

Prima Melanchætes in tergo uulnera fecit.

Melaneùs,(*μελανεὺς*)*numeratur inter canes Actæonis, apud* Ouid.3.Metamor.

Harpalos, & Melaneus, hirſutaq; corpore Lachne.

Eſt & Centauri nomen apud eundem,12.Metam.

-Accepto tum uulnere tardius ibant

Et Pholus, & Melaneus, & Abas prædator aprorum.

Melánthius, (*μελάνθιος*) *paſtor fuit caprarum Vlyſ-ſis, qui, quòd & rem domini abſentis unà cùm procis ab-ſumpſiſſet, & tam heræ, quàm herili filio moleſtum ſeſe præbuiſſet, poſt reditum Vlyßis à Telemacho trucidatus eſt: ut eſt uidere apud* Homerum *Odyß.lib.22.* Ouid.*in E-piſto.Penelopes ad Vlyſſem:*

-Pecorisq; Melanthius autor edendi.

Melanthò,(*μελανθὼ*)*filia fuit Protei ſenis, cui conſue-tudo fuit poſitis ueſtibus dorſo delphinum inſidere, atque ſic per maria patris uagari. Qua re cognita, Neptunus ſe in delphinum transformauit, illamq; blandiendo illexit, ut dorſo ſuo inſideret, tranſuectæq; in aduerſum littus ſtu-prum obtulit. Ex quo concubitu Amycũ natũ fuiſſe qui-dam prodiderunt: quem tamẽ Seruius Melites filiũ facit.*

Melányon,(*μηλανύον*) *dictus eſt Hippomenes, eò quòd pomis certamen confecerit: ἀπὸ τῶν μήλων, hoc eſt, à malis, & ἀνύω, perficio. Alij per iota ſcribere malunt Melarion, putantq; compoſitum eſſe à nomine μῆλον, & uerbo ἀνίημι: ut Melanion dicatur, quaſi mala è manu emittens. Hippomenes enim (ut ſuprà retulimus) cum Atalanta curſu certaturus, à Venere mala aliquot aurea accepit, quæ inter currendum emiſit, ut Atalantam ijs col*

ligend

ligendis occupatam, interim præuerteret. Propert. lib. 3.

Melanyon nullos fugiendo Tulle labores
Sæuitiam duræ contudit Iaſidos.

Mélas, (*μέλας*) *fluuius eſt Bœotiæ, qui à Parnaſſo proflu- ens, Mineruæ ſacer dicitur à Poëtis, quod ripæ eius oliuis ſint refertæ. Stat. lib. 7. Theba.*

Palladiusq; Melas Hecatëia gurgite nutrit
Flumina.

Is unus omnium Græciæ fluuiorum ab ipſo fonte nauigabilis eſt, atq; circa ſolſtitiũ æſtiuũ, ut Nilus, ſtata accipit incrementa: nec longius excurrit, ſed in lacus & caniculos delapſus, modica ſui parte Cephiſſo infunditur. Sunt & alij eiuſdẽ nominis fluuij, quos quòd ad inſtitutum noſtrũ nihil faciant, ex Geographis petendos relinquimus.

Meleáger, (*μελέαγρος*) *Oenei Calidoniæ regis filius ex Althæa coniuge: quo recenter nato, uiſa ſibi eſt mater tres Parcas igni aſsidentes uidere, manuq; ſtipitem tenentes, æqualem puero cum ſtipite uitam aſsignare. Recedentibus itaq; Parcis, Althæa extinctum ſtipitem diligentiſsimè aſſeruauit. Adulto deinde Meleagro, cùm ſpreta ab Oeneo Diana, immenſæ magnitudinis aprum in Calydoniam immiſiſſet, qui omnem regionem latè uaſtabat, Meleager collecta robuſtiſsimorum iuuenum manu, aprũ interfecit, caputq; eius Atalantæ Iaſij Argiuorum regis filiæ, quæ prima aprum uulnerauerat, uelut partem ſpolij, dedit. Quod cùm auunculi ſui ui puellæ auferre conarentur, utrunq; occidit. Nuntiata itaq; fratrum morte, Althæa doloris impatientia in furorem uerſa, fatalem illum ſtipitem in ignẽ coniecit, quo exuſto, Meleager etiam exuſtis intus inteſtinis omnibus conſumptus eſt. Nominis huius nominatiuus tripliciter effertur, Meleager, Meleagrus,*

grus, & Græco more Meleagros. Ouidius 8. Meta.

Nec tamen illa ſui ſucceſſu lætior ictus
Quàm Meleager erat.

Ibidem:

Inſcius, atq; abſens flamma Meleagrus eadem
Vritur.

Et paulò antè:

-Donec Meleagros, & unà
Lecta manus iuuenum caluere cupidine laudis.

Meleágrídes, (μελεαγρίδες) Oenei & Althææ filiæ, ſorores autem Meleagri, quæ cùm fratrem immoderatius lugerent, in Meleagrides aues ſunt cõmutatæ: ut fabulantur Hyginus Fab. poët. cap. 174. & Ouid. lib. 8. Metam.

Meles, etis (μέλης) fluuius eſt Ioniæ, Smyrnam alluens, ad cuius ripam natus eſt Homerus: qui inde Meleſigenes eſt dictus: ut in uita eius refert Herodotus.

Melibœa, (μελίβοια Stephano) urbs eſt Magneſiæ, quæ eſt regiũcula Theſſaliæ annexa, patria Philoctetæ, in qua præſtantiſſima tingebatur purpura, quã inde Melibœam cognominat Vergilius,

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Melicerta, ſiue Melicertis, (μελικέρτης) Inûs & Athamantis Thebarum regis filius, cum quo mater, cùm uirum furore correptũ Learchum filium ſuum uideret occidiſſe, in mare ſe præcipitauit, amboq; Deorum miſeratione in numina marina ſunt cõmutati. Ino quidẽ in Leucotheam, quam & Matutam matrem uocant: Melicerta uerò in Palæmonem, quem Latini Portunum nominant. Verg. 4. Georg.

Et Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Meliſſa,(μέλισσα) Meliſsi Cretenſium regis filia, quæ unà cum ſorore Amalthea, Iouem caprino aluit lacte. Hanc primam mellificium ferunt inueniſſe : unde data eſt occaſio fabulæ, Meliſſam, in apē fuiſſe conuerſam. Col. lib. 9. ca. 2. Nec ſanè ruſtico dignum eſt, ſciſcitari, fueritne mulier pulcherrima ſpecie, quam Iupiter in apem conuertit. Meliſſa præterea quædā fuit, Periandri Corinthiorum tyranni uxor, quam ille, concubinarum delationibus temerè credens, cùm grauida eſſet, pedibus cōculcans interemit. Vide Laërtium in uita Periandri.

Meliſſus,(μέλισσος) Cretenſium rex fuit, pater Amaltheæ & Meliſſæ, quæ Iouem melle & lacte caprino aluerunt: ut latius ſuprà docuimus in dictione Amalthea.

Mélita, tæ, ſeu Mélite, es, (μελίτη) inſula eſt Siciliæ adiacens, qua parte in Africā uergit, diſtans Lilybæo c x i i i. M. paſſ. teſte Plinio lib. 3. ca. 8. urbemq; habens eiuſdē nominis, à Carthaginienſibus cōditā, textrinis pretioſiſsimarū ueſtiū olim nobilitatā. Ouid. 3. Faſt.

Fertilis eſt Melite, ſterili uicina Coſyræ
Inſula, quam Libyci uerberat unda freti.

Hinc Melitæus, a, um, (μελιταῖος.) ut, Melitæi canes, qui ad fœminarū delicias ex Melita aduehebantur.

Melobofis,(μηλόβοσις) Nympha eſt, Oceani & Tethyos filia, teſte Heſiodo in Theogonia : ſic dicta ab ouibus paſcendis.

Melpómene,(μελπομένη) una ex Muſis, tragœdiarum inuentrrix, à modulando nomen trahens. Vergil. de Muſarum inuentis:

Melpomene Tragico proclamat mœſta boatu.

Memphis,(μέμφις) urbs Aegypti regia, ab Ogdoo rege cōdita, & à nomine filiæ eius ita appellata. Hæc inter omnes

mnes Aegypti urbes ſecundũ ab Alexandria locum obtinuit, pyramidibus, regum ſepulcris in primis inſignis. eius ambitus traditur fuiſſe centum & quinquaginta ſtadiorum. Sita eſt in loco totius Aegypti opportuniſſimo, ubi Nilus in duas ſciſſus partes, literæ Δ ſpeciem præbet: quò fit, ut portuoſiſſima ſit, omniq; penè ex parte nauigijs aditum præbeat. Vulgus hodie Alcayrum uocat. Hinc fit gẽtile Memphites, tæ, quo tamẽ Poëtæ nonnunquam pro poſſeſſiuo utuntur. Tibul libro 1. Eleg.

Barbara Memphitem plangere docta bouem.

Item Memphitis, idis. Iuuen. Saty. 15.

-An'ne aliam terra Memphitide ſicca
Inuidiam facerent nolenti ſurgere Nilo.

Item Memphiticus, a, um. Ouid. 1. de Arte amandi:

Neu fuge Niligenæ Memphitica ſacra iuuencæ.

Memnõ, (μέμνωρ) *filius Tithoni & Auroræ, & Aethiopum rex, qui cum Priamo aduerſus Græcos auxilio ueniſſet, Achillemq; ad ſingulare certamẽ prouocaſſet, ab eo ſuperatus eſt & interfectus: cumq; iam rogo impoſitus eſſet, ut cremaretur, mater precibus ſuis à Ioue impetrauit, ut in auem transformaretur. Quinetiã ex eodem rogo eiuſdem generis aues quàm plurimæ euolarunt, quæ quotannis ex Aethiopia in agrum Iliacum dicuntur aduolare, Memnonisq; ſepulcrum ter luſtrare, deinde duas in partes diuiſæ, roſtris unguibusq; cõcurrere, & generis ſui autori ſanguine ſuo parentare. Vide latius hanc fabulam apud Ouid. 13. Metamor.*

Menalippa, æ, *ſeu* Menalippe, es, (μεναλίππη) *una fuit Amazonum, ſoror Hippolytes, quam cùm Hercules eo in prælio, quod aduerſus Amazonas geſſit, uiuam cepiſſet, arma & baltheum reginæ (quæ ad Euryſteum referre*

ferre iuſſus erat) pro liberatione eius accepit. Iuue. Sat. 8.

Syrma uel Antigones, ſeu perſonam Menalippes.

Menalippus, (μενάλιππος) *ciuis fuit Thebanus, qui cùm Tydeo ad Thebas uulnus letale inflixiſſet, ille ſibi hoc mortis ſolatium à ſuis præſtari petijt, ut antequam moreretur, Menalippi caput ad ſe referrēt. quod cū nō exiguo ſuorū, tum hoſtiū ſanguine obtinuiſſet, feræ ritu dentibus dilaniauit, tandemq́; ueluti uindictæ ſatur, æquiore animo expirauit. Vide hæc latius apud Statium Thebaid. lib. 8.*

Menander, *ſiue* Menandros, (μένανδρος) *Poëta fuit Athenienſis Comœdiarū ſcriptor, in exprimēda uitæ humanæ imagine dexterrimus. Scripſit fabulas* LXXXVIII. *ex quibus nonnullas uertit Terentius. Ouidius 2. Triſtium,*

Fabula iucundi nulla eſt ſine amore Menandri.

Idem lib. 1. Amor.

Dum fallax ſeruus, durus pater, improba lena
Vixerit, & meretrix blanda, Menandros erit.

Menelàus, (μενέλαος) *filius Atrei, et Aëropes, ut Homerus tradit, Pliſthenis uero, ut Heſiodus, & frater Agamemnonis: rex Spartæ, qui Helenā Iouis & Ledæ filiam, uxorē habuit: quā cū Paris, Priami filius eo abſente rapuiſſet, legatos ad Paridem miſit, qui illam repeterent: qui cū re infecta rediſſent, omnes totius Græciæ principes ad bellum conuocauit, qui collecta mille nauium claſſe, ad unum ſub Agamemnone rege in excidiū Troianum coniurarunt. Quumq́; iam tota Phrygia, atq; Myſia deuaſtata, Ilium Priami regiam, decennali bello oppugnaſſent, tandem fraude magis, quàm uiribus expugnauerunt: atque ſic egregiam ſuam coniugem recepit, conſcenſaq́; naui poſt octauum erroris annum domum redijt. Tantæ molis erat*

infa

infame reducere ſcortum. Hunc Vergilius *libro 2. inter eos annumerat, qui ligneo equo incluſi, Ilij portas ſuis reſerarunt:*

Et Menelaus, *& ipſe doli fabricator* Epeus.

Meneſthius, (*μενέσθιος*) *Arithoi & Philomeduſæ filius, ex Arna ciuitate, quem* Paris *in bello Troiano occîdit, teſte* Homero *in initio lib. 7. Iliad.*

Menœceùs, (*μενοικεὺς*) *iuuenis Thebanus, filius Creontis: qui pro patriæ ſalute ſanguinem ſuum, atq; adeò uitam ipſam ſpontè profudit. Nam cùm Thebanis eo tempore, quo ab Argiuis obſidebantur, redditum eſſet oraculum, urbem ſaluam fore, ſi ultimus ex Cadmi poſteris, ſpontanea ſe morte Manibus eius deuoueret, intelligens Menœceus oraculum illud ad ſe pertinere, nihil cunctatus, ſuo ſibi gladio necem conſciuit.* Vide Statium 10. Thebaid.

Menœtes, (*μενοίτης*) *nomen unius ex ſocijs Aeneæ, qui gubernator fuit nauis, cui nomen erat* Centauro. Verg. 5. Aeneid.

Rectorem nauis compellat uoce Menœten.

Menœtius, (*μενοίτιος*) *teſte* Homero, *filius fuit Actoris ex Aegina, quam uitiatam* Iupiter *illi coniugem dederat.* Hic *poſtea relicta* Aegina *matre, in Opuntem Locrorum ſe contulit, ibiq;* Patroclum *ex Sthenele uxore ſuſcepit, qui ab eo* Menœtiades *appellatur.* Ouidius *in* Epiſtol. Penelopes,

Siue Menœtiadem falſis cecidiſſe ſub armis, &c.

Mentor, toris, (*μέντωρ*) *mirus fuit in uaſis cælandis artifex.* Iuuenal. *Satyr. 8.*

- *Raræ ſine* Mentore *menſæ.*

Plin. *libr. 33. cap. 11.* L. *uerò* Craſſus *orator duos ſcyphos*

habuit,

habuit, Mentoris artificis manu cælatos ſeſtertijs c. Idem lib. 12. Mentori quotidie teſtimonium perhibet Capitolinus Iupiter, & Diana Epheſia, quibus fuere conſecratæ eius artis uaſa. Hinc Mentoreus, a, um. Proper. lib. 1.

Leſbia Mentoreo uina bibas opere.

Mera, (μῆρα) Prœti, & Antiæ filia fuit, quæ cùm uenationi dedita, Dianam per nemora ſequeretur, à Ioue conſpecta eſt, & adamata: qui cùm nulla ratione caſtiſsimæ puellæ animum ad ſui amorem poſſet pellicere, ad dolum confugit, Dianæq́; figura aſſumpta, uim ei intulit. Quamobrem cùm Dianæ cõſortium illa deinde fugeret, nec uocanti deinceps Deæ parêre uellet, ſuſpicans, ne Iupiter aliquis ſub eius imagine lateret, telis eius eſt confoſſa, tandemq́; Deæ eiuſdem miſeratione in canem mutata. Ouid. 7. Metamorph.

Et quos Mera nouo latratu terruit agros.

Mera item canicula fuit Erigones, quæ cùm Icarium herum ſuum à paſtoribus interẽptum uideret, & in puteum coniectum, ad filiam herilem redijt, ueſteq́; eius mordicus arrepta, ad patris cadauer eam perduxit. Cumq́; Erigone patris deſiderio, dolorisq́; impatientia laqueo ſibi necem conſciuiſſet, Mera quoque dominis ſuis ſpiritu ſuo parentauit, Iouisq́; miſeratione in cœlum eſt translata, & in ſtellam Caniculæ conuerſa: ut latius docuimus ſuprà in dictionibus Icarius, & Erigone. Eſt itẽ Mera, nomen ſacerdotis Veneris, apud Statium lib. 8. Theb.

-Aegææ Veneris quos Mera ſacerdos
Ediderat perhibente Dea.

Mercúrius, (ἑρμῆς) Iouis et Maiæ filius: ita dictus à mercibus, eò quòd negotiatoribus præſidere exiſtimaretur. A Græcis Hermes dicitur, ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, hoc eſt, ab interpre

interpretãdo. Varijs à Poëtis appellatur nominibus: nã modò Ligius dicitur, modò Argiphontes, modò Nomius, modò Cyllenius. Præter hũc tres alij fuiſſe Mercurij dicũtur: unus Cœli, & Diei filius: alter Liberi & Proſerpinæ: tertius Iouis et Cyllenes, quẽ fama eſt ob Argi cædẽ profugũ, literas Aegyptijs oſtẽdiſſe. Verùm omnes ad Maiæ filium referuntur: cui idcirco alas in capite, & pedibus attribuunt, eo commento ſignificare uolentes, uelocem ferri per aëra ſermonem. Ideo autem Deorum nuntium dictum, quoniam per ſermonem omnia cogitata enuntiantur. Dictus eſt Deus facundiæ, quòd hominibus eloquentiam præſtare putabatur. Habitus eſt etiam Deus mercatorum, (κτήσιο, κερδῷο) palæſtræ, furum. Lyram inuenit: Hermaphroditum ex ſorore Venere genuit: Martem è duris carceribus liberauit: Argum interemit: Prometheum in Caucaſo religauit. Eſt etiam Mercurius unus ex ſeptẽ planetis, cuius corpus cunctorũ ſiderũ minimum, ferè ſemper ſubeſt radijs ſolaribus, à quibus non recedit longius, quàm uiginti octo gradus. Ideo ab Aſtronomis ϛίλϐωρ dicitur, quod eſt, radians. Vnde etiã peruſtus fingitur, quòd Soli uicinior ſit, quàm reliquæ ſtellæ.

Meriones, (μεριόνης) auriga Idomenei fuit, & cum eo dux nauium, quæ è Creta uenerant ad Troiam, fortitudine Marti uel Martis ipſius iudicio comparandus: ut inquit Homerus in Catal.

Mermeros, (μέρμερο) Centaurorum uelociſsimus, qui ea in pugna, quam in Pirithoï nuptijs aduerſus Lapithas commiſerunt Centauri, grauiter uulneratus, uix fuga ſalutem quæſiuit. Ouid. 12. Metamor.

Quiq; pedum nuper certamine uicerat omnes
Mermeros, accepto tum uulnere tardior ibat.

Meroë,

Meroë, roës, (μερόη) *inſula eſt* Nili, *omniū, quæ eo flu-uio ambiuntur, longè maxima: quippe cuius longitudo ad tria millia ſtadiorum, latitudo ad mille extendatur.* Vr*bem habet eiuſdem nominis, inſulæ totius caput, à* Cam*byſe conditam, & de nomine ſororis ibi defunctæ,* Me*roën appellatam.* De *hac ita ſcribit* Herodotus: Meroë *fuit olim regni caput: clypei figuram ea inſula imitatur, ad tria millia ſtadiorum cum* Nilo *protenſa: accolunt paſtores eam, qui paßim uenantur, & agricolæ, qui auriſo-dinas habent.* Hanc Cambyſes *condidit, appellauitq; à nomine ſororis* Meroës. Q*uum enim* Aegyptum *omnem occupaſſet,* Meroën *ſecum uſq; ad* Aegyptios *ducens proceßit, quæ quum ibi mortem obijſſet, urbi nomen indidit.* De *hac* Lucanus, *libro* 10.

-Gurgite rupto

Ambitur nigris Meroë *fœcunda colonis.*

Mérope, es, (μερόπη) *una filiarum* Atlantis *ex* Pleione Nympha, *cuius ſtella ex ſeptem* Pleiadibus *obſcurißima apparet, quòd cùm ſorores omnes dijs nupſiſſent, Sola* Si*ſypho nupſerit homini mortali.* Ouid. 4. Faſt.

Septima mortali Merope *tibi* Siſyphe *nupſit,*
Pœnitet, & facti ſola pudore latet.

Meros, *ſiue* Merus, (μηρὸς) *mons eſt in finibus* Indiæ, *in cuius radice* Dionyſius *in* Indiam *proficiſcens,* Nyſam *urbem condidit.* Curtius *lib.* 6. Nyſa *ſita eſt ſub radicibus montis, quem* Meron *accolæ appellant.* Inde Græci *mentiendi traxere licentiam,* Iouis *femine* Liberum *patrem fuiſſe celatum.* Græcè *enim* μηρὸς *femur ſignificat.*

Meſémbria, (μεσημβρία) *urbs* Thraciæ, Megarenſium *colonia, quam antea* Menebriam *uocabant, quaſi* Mena*polim, id eſt* Menæ *ciuitatem. Eius enim ædificator* Me-

nas appellabatur: Bria *uerò ſermone* Thracio *ciuitas uocatur:ut refert* Strabo *lib.7.* Hinc Meſembriacus,a,um. Ouid.1.Triſt.Eleg.9.

Inde Meſembriacos portus,& Odeſſon,& arces
Prætereat dictas nomine Bacche tuo.

Meſopotámia, (μεσοποταμία) *regio Aſiæ latiſsima, Tigrim habēs ab Oriente,Euphratē ab Occidente,à Meridie Babyloniam,à Septentrione Caucaſum.Meſopotamia dicta ab eo, quòd media ſit inter duos fluuios, Tigrim,& Euphratem.*

Meſſalîna, (μεσσαλίνα) *filia fuit Meſſalæ Barbati, & uxor Claudij Imperatoris, mulier libidinis adeò effrænatæ,ut relicto uiri thalamo,ueſteq; mutata, noctu lupanaria frequentarit, & cum famoſiſsimo ſuæ ætatis ſcorto contendens, quinto & uigeſimo concubitu ſe uiciſſe iactitarit, labore deniq; ſe potius feſſam,quàm cōcubitu ſatiatam deſtitiſſe affirmarit.Tandem Claudij iuſſu ſupplicio affecta eſt, cùm præter infinitas adulteriorum notas, etiam nupſiſſe C.Silio compertum eſſet.Prodigioſam huius libidinem inſectatur* Iuuenalis Sat,6.

Meſsâna, (μεσσήνη) *urbs eſt Siciliæ, propinqua* Peloro *promontorio,à Meſſenijs Achaïæ populis condita, & à nomine relictæ ab illis urbis ita appellata.Silius lib.15.*

Incumbens Meſſana freto,niuibusq; reuulſa.

Huius incolæ primum Meſſanenſes dicti ſunt:poſtea uerò quum Mamertini, natio Campana,eò colonos miſiſſent, ipſi quoque Mamertini potius, quàm Meſſanenſes ſunt uocati.Apud hos uinum naſcebatur præcipuæ nobilitatis, quod & ipſum Mamertinum dicebatur. Martial.lib.10.

Amphora Neſtorea tibi Mamertina ſenecta

Si

Si detur, &c.

Meſſapus, (μέσσαπος) *unus ex fortiſsimis Italiæ ducibus, Neptuni filius, neq; ferro, neq; igni uulnerabilis, qui Turno aduerſus Aeneam ſuppetias tulit. Vergil. ſeptimo Aeneid.*

At Meſſapus equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni quenquam, uel ſternere ferro.

Quem Vergilij locum exponens Seruius, ideo Neptuni filium creditum ait, quòd mari in Italiam fuerit aduectus.

Métabus, (μέταβος) *Priuernatium tyrannus fuit, & Camillæ pater, qui à ſuis per ſeditionem regno pulſus, filiam fugæ comitem aſſumpſit, quam & Dianæ conſecrauit, ut latius exequitur Vergilius 11. Aeneid. Metabus alius fuit Siſyphi filius, & nepos Aeoli, qui Metapontum in Italiæ finibus condidit, Autor Stephanus.*

Metapontum, (μεταπόντιον Ptolemæo) *oppidum Italiæ in ſinu Tarentino, à Pylijs, qui Neſtore duce è Troia nauigarunt, conditum, adeò terræ prouentu, & agricolatione felix, ut ea gratia auream æſtatem Apollini Delphico, aliquando donum obtulerit, teſte Pomponio lib. 2. Huius incolæ dicuntur Metapontini.*

Metaurus, (μέταυρος) *Vmbriæ fluuius, per Flaminiam decurrens, & inter Fanum Fortunæ, & Senogalliam in mare defluens, iuxta quem Claudius Nero Conſul, & Liuius Salinator Aſdrubalem cùm copijs uniuerſis delerũt. Lucan. lib. 2.*

In læuum cecidere latus, ueloxq; Metaurus,
Cruſtumiumq; rapax.

Horat. lib. 4. Carm. Ode 4.

Quid debeas ô Roma Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen.

Quo in loco Metaurum *flumen, neutro genere protulit, ſicut alibi* Rhenum.

Cùm flumen Rhenum,*aut pluuius deſcribitur arcus.*

Methône,(μεθώνη) *ciuitas eſt littoralis* Peloponneſi,*in* Meſſeniaca *regione, in cuius obſidione* Philippus Amyn*tæ filius alterum ex oculis amiſit ſagittæ ictu, quæ hoc ipſum habebat inſcriptum,* Aſter *ſagittam* Philippo *immiſit in oculum.* Valerius Flacc.*lib.*1.

Neleidesq́; *Periclymenus,quem parua* Methone, &c.

Methymna,(μέθυμνα) *ciuitas inſignis* Leſbi *inſulæ,* A*rionis citharœdi patria, agrum habens præſtantiſſimi uini feraciſſimum.*Ouid.1.de Arte.

Gargara *quot ſegetes,quot habet* Methymna *racemos.*

Hinc *Methymnæus,a,um.* Idem 11.Metam.

Et *Methymnææ potiuntur littore* Leſbi.

Metra,(μήτρα) Eriſichthonis Theſſali *filia,quæ à* Neptu*no uim paſſa,hoc muneris ab eo impetrauit, ut in quaſcunq; uellet,ſpecies tranſmutaretur.* Quare *cùm pater fame coactus eam uendidiſſet, illa ſtatim in piſcatoris habitum conuerſa, ſeruituti ſe exemit.* Qua *occaſione uſus* Eriſichthon,*iterum atq; iterum illam uendidit.* At *illa modò bouis,modò cerui, modò auis ſpecie aſſumpta, protinus ſeſe aſſerebat in libertatem:ut fabulatur* Ouidius *ad finem lib.* 8. *Metamorph.* Reuera *autem* Metra *nobilis fuit meretrix,quæ nondum inuento auri,aut gemmarum uſu,bobus,aut equis, aut alterius generis pecoribus noctes ſuas locabat : unde factus eſt locus uulgi fabulæ, ut* Metra *diceretur tranſmutari in ea omnia, quæ ab amatoribus accipiebat:indeq́; manauit prouerbiū,* Mutabilior Metra Eriſichthonis.

Métius Suffétius, *Albanorum* Dictator *fuit tempore*

Tulli

Tulli regis Romanorum, qui quòd ex præſcripto fœderis ad belli ſocietatem contra Fidenates uocatus, euntibus in hoſtem Romanis, ſuos prælio eduxerat, iuſſu Tulli duabus admotis quadrigis diſcerptus eſt. Ver. 8. Aeneid.

Haud procul inde citæ Metium in diuerſa quadrigæ
Diſtulerant, &c.

Meuánia, (*μηουανία Ptolemæo*) *ciuitas Vmbriæ, inclyta Propertio alumno, ſita ad uiam Flaminiam, armentorum & gregum ferax. Lucan. lib. 1.*

-Tauriferis ubi ſe Meuania campis
Explicat, &c.

Huius urbis incolæ dicuntur Meuanates: de quibus Plin. libro 3. capite 14.

Meuius, *poëta ineptißimus fuit Vergilij & Horatij temporibus, utrique æquè inuiſus, quòd poëmata illorum inſectaretur, & ex alienæ laudis obtrectatione gloriam aucuparetur: unde & Vergiliomaſtix uulgò appellatus eſt. Vergil. 3. Eclog.*

Qui Bauium non odit, amet tua carmina, Meui:
Atque idem iungat uulpes, & mulgeat hircos.

Horat. lib. 1. Carm.

Mala ſoluta nauis exit alite,
Ferens olentem Meuium.

Mezéntius, *Tyrrhenorum rex, ſummus Deorum contemptor, qui cum tyrãnidem domi crudelius exerceret, à ſuis per ſeditionem pulſus, unà cum Lauſo filio ad Turnum ſeſe contulit, id temporis bellum aduerſus Aeneam gerentem. Quo in bello cùm magnam tam Troianorum, quàm Hetruſcorum ſtragem edidiſſet, unà cũ filio ab Aenea eſt interemptus. Vergil. 10. Aeneid.*

At Iouis interea monitis Mezentius ardens

Succedit pugnæ, &c.

Midas, (μίδας) *Gordij bubulci filius fuit, & Phrygiæ rex pecunioſiſſimus, qui cùm* Bacchum *hoſpitio ſuſcepiſſet, iuſſusq́; eſſet petere, quicquid uellet, mox uoti compos futurus, nihil æquè ſe optare reſpondit, quàm ut protinus, quicquid attigiſſet, in aurum uerteretur.* Quod *cùm* Bacchi *benignitate obtinuiſſet, ſolidas arces & regias ſolo contactu in aurum conuertit.* Verùm *cùm urgente fame cibum ſumere conaretur, atq; illum quoque in aurum mutari uideret, ſenſit tandem ſtolidus, ſe parum ſapienter optaſſe: petijtq; à* Libero *patre, ut mun⁹ illud, quãtumuis ſpecioſum, ſibi adimeret.* Miſertus *itaq; eius* Bacchus, *iuſſit ut in* Pactolo *fluuio ſe ablueret.* Cui *cùm morem geſſiſſet, ipſe quidem priſtino reſtitutus eſt ſtatui: cæterùm* Pactolus *ex eo tempore aureas arenas uoluere cœpit: unde &* Chryſorrhoas *eſt appellatus.* Poſt *hæc cùm* Pan Apollinem *ad cantus certamen prouocaſſet,* Tmolusq́; *iudex electus ſecundùm* Apollinem *pronuntiaſſet, approbantibus iudicis æquitatem cæteris, qui aderant, omnibus, unus inuentus eſt* Midas, *qui* Panem Apollini *præferre non dubitaret,* Tmoliq́; *ſententiam, tanquam iniuſtam repræhenderet.* Quamobrem *indignatus* Apollo, *aſininas ei auriculas addidit: quas tam ſcitè occultauit, ut nemo ſciret, præter ſolum tonſorem: qui cùm rem inauditam tacere non poſſet, foſſam ingreſſus proclamauit,* Aures *aſininas habet rex* Midas. Deinde *foſſam terra adoperuit: eoq́; in loco temporis proceſſu creuerunt arundines, quæ commotæ uocem, quam tonſor infoderat, reddiderunt: ut latius fabulatur* Ouid. 11. Metam. Alij *tamen malunt,* Midam *inter* Apollinem *&* Marſyam *decertantes iudicem conſtitutum, cùm pro* Marſya *ſententiam tuliſſet, auriculis aſininis à*

nis à Phœbo fuiſſe donatum. Hinc natum eſt prouerbiũ, Auriculas aſini Midas habet: quo utimur in ſtolidos, & craſsis auribus, pinguiq; iudicio homines. Alij rurſus ſic narrant: Cùm præteriret aliquando Midas Liberi patris aſinos, atq; eos afficeret iniuria, iratum Bacchum auriculas ei aſininas addidiſſe. Sunt qui dicant huic aures natura prælongas fuiſſe, & aſininarum inſtar prominentes, atq; hinc fabulæ locum ortum eſſe. Quanquàm pluribus placet, hac allegoria ſignificatum Midam, utpote tyrannum, corycæos ac ſubauſcultatores dimittere ſolitum, per quos, quæcunq; per omnem regionem uel fierent, uel dicerentur, cognoſceret, nimirum illis utẽs aurium uice. Proinde cùm uulgus admiraretur, ab illo reſciri etiam ea, quæ clàm, ac procul fierent, occaſionem fabulæ datam eſſe, ut Midas diceretur auriculas aſini habere: uel quòd nullum aliud animal acrius audiat, quàm aſinus, excepto mure: uel quòd aures habeat omnium longiſsimas.

Milêtus, (μίλητος) filius fuit Apollinis, & Argeæ Cleochi filiæ, uel, ut Ouid. habet, Deiones, qui cùm Minoa Crètenſium regem iam ſenem regno priuare uellet, à Ioue territus, in Samum, deinde in Cariam Aſiæ regionem fugit, ibiq; oppidum condidit, quod de ſuo nomine Miletum appellauit, eiusq; incolas Mileſios. Ouid. lib. 9. Metam.

Tunc erat inualidus, Deïonidenq; iuuentæ
Robore Miletum, Phœboq; parente ſuperbum
Pertimuit, credensq; ſuis inſurgere regnis,
Haud tamen eſt patrijs arcere penatibus auſus.
Sponte fugis Milete tua, celeriq; carina
Aegæas metiris aquas, & in Aſide terra
Mœnia conſtituis poſitoris habentia nomen.

Alij tamen Miletum conditum malunt à Sarpedone Iouis

filio, & Minois ac Rhadamanti fratre, & ab eo Miletũ appellatam fuiſſe, ab altera eiuſdem nominis urbe, quam in Creta reliquerat. Vide Strabonem lib. 14. *Vrbem hanc præſtantiſſimæ lanæ prouentus nobilitauit, ex qua fiebant Mileſia ſtragula, & ueſtes Mileſiæ, ob inſignem mollitiẽ in matronarum delicijs habitæ.* Verg. 3. Georg.

– Quamuis Mileſia magno
Vellera mutentur Tyrios iniecta colores.

Milo, onis, (μίλων) *ciuis* Romanus *fuit ex municipio Lanuuino, qui cùm* P. Clodium *Tribunum plebis multa ſeditioſè in repub. molientem occidiſſet, fruſtrà à* Cicerone *defenſus elegantiſſima illa oratione, quæ etiam hodie omnium manibus teritur, Maſſiliam damnatus in exilium profectus eſt.* De hoc Iuuenalis Sat. 2.

Quis cœlum terræ non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, *homicida* Miloni?

Fuit *alius hoc nomine athleta* Crotonienſis, *qui taurum in* Olympico *certamine ictu nudæ dextræ occidiſſe dicitur, & ſine fatigatione per ſtadij ſpatium in humeris portaſſe, totumq; eo die comediſſe.* Huic *malum tenenti digitis nemo poterat extorquere: dum conſtitiſſet, nemo ueſtigio educere. Cùm autem nimia neruorum fiducia arborem in parte media hiantem diducere uellet, brachijs hinc inde conſtrictis, & deficiente conatu retentus, lupis fuit præda.* De *hoc intelligendum eſt illud* Ouidij *in* Ibin:

Vtq; *Milo robur diducere fiſſile tentes,*
Nec poſſis captas inde referre manus.

Mimállones, (μιμαλλόνες Straboni) *mulieres* Liberi *patris orgia celebrantes, quæ &* Thyades *dicuntur, & Mænades, &* Bacchæ. *Mimallones autem dictæ putantur, à Mimante* Ioniæ *mõte,* Baccho *ſacro: uel à uerbo* Græco

μιμεῖ

μιμεῖσθαι,quod eſt imitari,eò quòd thyrſos & cornua ferentes,Indicam Bacchi expeditionem uiderentur imitari. Eædem & Mimallonides dicuntur.Ouid.1.de Arte:

Ecce Mimallonides ſparſis in terga capillis,&c.

Hinc Mimalloneus,a,um. Perſius Sat.1.

Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Mimas,antos,*(μίμας)mons Ioniæ in minori Aſia,teſtibus Plin.& Strabone,ſacris Bacchi certaminibus quotannis frequentatus.Ouid.2.Metamor.*

Et tandem Rodope niuibus caritura,Mimasq́;.

Mimas etiam gigantis nomẽ fuit,quem Iupiter fulminauit.Hor.lib.3.Carm.

Sed quid Typhoëus,& ualidus Mimas,&c.

Mimermnus, *(μίμερμν☉ Suidæ)Ligyrtiadæ filius, Poëta Colophonius,aut(ut alij malũt)Smyrnæus, Elegiarum ſcriptor,Olympiade XXVII.natus:quanquam nõ deſunt qui eodem tempore uixiſſe uelint, quo in Græcia ſeptem Sapientes floruerunt.Propertius lib.1.Eleg.9.*

Plus in amore ualet Mimermni uerſus Homero:

Carmina manſuetus lenia quærit amor.

Mincius*(μίγκι☉ Straboni)Venetorum fluuius, qui ex Benaco lacu profluens, alium prope Mantuam lacum efficit:& inde rurſus, multis torrentibus auctus,influit in Padum.Vergilius 4.Georg.*

-Tardis ubi Mincius errat,

Flexibus.

Ab hoc Vergilius Minciades dictus Iuuenali:

Illos Minciadæ celebrat dulcedo Maronis.

Minerua,*(ἀθηνᾶ)ſapientiæ & bonarum omnium artiũ Dea,ex Iouis cerebro ſine matre procreata. Ferunt enim Iouem, cùm Iunonem ſterilem uideret, ne prorſus ſine*

proleeſſet,cerebrum ſuum percußiſſe, indeq́; Mineruam proſilijſſe. Quo commento illud ſignificare uoluerunt Poëtæ,*bonarum artium diſciplinas, humani ingenij non eſſe inuentum,ſed ex* Iouis *cerebro,hoc eſt,ex inexhauſto diuinæ ſapientiæ fonte in humanū uſum eſſe depromptas.* Dictam *autem* Mineruam *quidam exiſtimant à minando,quaſi uim minetur.*Solet *enim ſimulacrum eius fingi ægide & haſta formidabile.*Vnde & Pallas *à* Græcis *dicitur,ἀπὸ τοῦ πάλλειν,propterea quòd haſtam tenens eam ueluti uibrare uideatur.* Eadem & Tritonia *appellatur, eò quòd* Ogygis *regis temporibus, circa* Tritonidem Africæ *paludem uirginali facie dicatur apparuiſſe.*Ab Homero *peculiari epitheto γλαυκῶπις dicitur, à glauco oculorum colore: unde &* Cæſiam *noſtri cognominant.* Hæc *prima lanificij inuentrix creditur extitiſſe, deq́; artis eius præſtãtia cū* Arachne *puella* Lydia *cõtendiſſe: cùmq́; iam penè ab ea uinceretur, radio percuſſam in araneam eam commutaſſe.*Olei *quoque uſum prima putatur oſtendiſſe, diuinosq́; ob id honores meruiſſe: dignamq́; ideo iudicatam eſſe,quæ* Athenarum *urbi nomen imponeret, reiecto* Neptuno, *qui edito equo naſcenti urbi potentiam bellicam promittebat.* Vulcani *nuptias conſtantißime fertur repudiaſſe, uirginitatemq́; perpetuò illibatam ſeruaſſe: unde &* Innuptã *peculiari epitheto appellant* Poëtæ.Vergilius 2.Aen.

Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Mineruæ.

Minio, *fluuius eſt* Tuſciæ, *non procul à* Cære *oppido.* Verg.10.Aen.

Qui Cærete *domo,qui ſunt* Minionis *in aruis.*

Minos,(*μίνως*) *Cretenſium rex,* Iouis & Europæ *filius, qui ex* Paſiphaë *uxore* Androgeum *ſuſcepit: quē cùm* Athenien

thenienſes, Megarenſesq; per inuidiam occidiſſent, ægrè id ferens Minos, bellum illis intulit: atq; Megarã quidem Scyllæ puellæ proditione cepit, quæ amore Minois capta Niſum patrem fatali capillo ſpoliauit: Athenienſes autem eò neceßitatis compulit, ut ſeptem quotannis iuuenes in Cretam mittere cogerentur, Minotauro monſtro obijciendos. Dædalum quoque Athenienſem patria exulantem hoſpitio ſuſcepit: qui cùm ingenio, artisq; fabrilis peritia plurimum ualeret, labyrinthum ei extruxit innumeris uiarum ambagibus inextricabilẽ: cui & Minotaurũ incluſit, monſtrum ex tauro & Paſiphaë uxore ſuſceptum. Verùm cùm poſtea didiciſſet, Dædalum uxori ſuæ in tam nephando concubitu adiutorem ſeſe præbuiſſe, uaccamq; ligneam fabricaſſe, cui illa incluſa tauro fuerat cõmiſta, ipſum quoque unà cum Icaro filio eidem labyrintho incluſit: cumq; illi alis cera conglutinatis inde euolaſſent, claſſe eos in Siciliã uſq; eſt perſecutus: ubi à Cocali regis filiabus interfectus fuit (ut Ariſtoteles refert) iuxta Camerinã urbem, & apud inferos propter inſignem iuſtitiam iudex animarum conſtitutus. Verg. 6. Aen.

Quæſitor Minos urnam mouet.

A Minos, fit Minoïus, a, um, (μινώϊος) poſſeßiuum: ut, Minoia regna. Verg. 6. Aen.

Dædalus (ut fama eſt) fugiens Minoia regna.

Item Minous, a, um, (μινῶς) Ouid. in Ibin:

Si tua contigerit Minoas puppis arenas.

Item Minois, idis, patronymicum fœm. Ouid. 8. Metam.

Protinus Aegides rapta Minoide Diam
Vela dedit.

Minotaurus, *(μινώταυρος) monſtrũ biforme, ex portentoſo Paſiphaës cũ tauro concubitu prognatum: quod*

iuſſu Minois (ut fabulantur Poëtæ) Labyrintho incluſum, humanis carnibus ueſcebatur. Huic quotannis Athenienſes ex præſcripto fœderis ſeptem ex ſuis liberis mittebant deuorandos. Sed tertio anno Aegei filius Theſeus ſorte miſſus, Minotaurum occidit, & ab Ariadne accepto fili glomere, fuga euaſit. De hoc Vergil. 6. Aeneid.

Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaq; furto
Paſiphaë, miſtumq; genus, proleſq; biformis
Minotaurus ineſt, Veneris monumenta nefandæ.

Seruius interpretatur Taurum, ſcribam fuiſſe Minois, qui abſente rege, cum Paſiphaë concubuit in domo Dædali: & quia Paſiphaë eodem tempore gemellos peperit, quorum alter Minoi, alter Tauro eſſet ſimilis, factum eſſe locum fabulæ, ut Minotaurũ biforme monſtrum peperiſſe dicatur.

Minthe, (μίνθη) *à Poëtis Cocyti filia fuiſſe fingitur, quã cùm Perſephone cum Plutone depræhendiſſet, in herbam ſui nominis commutauit. Nam* μίνθη *à priſcis Græcis dicebatur herba, quæ poſtea ab odoris ſuauitate* ἡδύοσμος *appellata fuit. Latini unius tantùm literæ immutatione Mentham uocãt. Hanc fabulam tangit Ouid. 10. Metam. ad finem:*

– An tibi quondam
Fœmineos artus inolentes uertere menthas
Perſephone licuit?

Minturnæ, (μιντουρναὶ *Ptolemæo) oppidum in Campania inter Sinueſſam, & Formias, ad Lyrim fluuiũ: habens propinquas paludes, in quibus Marius delituit, fugiens perſecutionem Syllæ. Horat lib. 1. Epiſt.*

Vina bibes iterum Tauro diffuſa, paluſtres
Inter Minturnas, Sinueſſanumq; petrinum.

Minyæ

Minyæ,(μινύαι)*populi fuerunt* Theſſaliæ,*aut certè* Ma*gneſiæ, quæ eſt regiuncula* Theſſaliæ *ab ortu annexa: qui* Iaſonē *in* Colchos *proficiſcentē ſecuti ſunt.* Dicti Mi*nyæ,à* Minya Orchomeni *rege,* Chryſæ *filio.* Oui.li.7.Me.

Iamq; *fretum* Mymiæ Pagaſæa *puppe ſecabant.*

Minyêus,*ſiue* Minyéius, (μινυήιος Homero)*fluuius eſt* Theſſaliæ, *poſtea* Orchomenus *dictus,ut ſcribit* Plin. *li.4.cap.8.*Hūc Strabo *li.8. eundē facit cū* Anigro. Hom. *libr.11.Iliad.iuxta* Arenē *in mare defluere tradit,cùm ait,*

Ἔστι δέ τις ποταμὸς Μινυήϊος, εἰς ἅλα βάλλων
Ἐγγύθεν Ἀρήνης.

Miſenus, (μισηνὸς) *promontorium eſt* Campaniæ, *non procul à* Cumis,*nomen habens à* Miſeno Aeneæ *tubicine illic ſepulto.* Vergil.6.Aeneid.

At pius Aeneas *ingenti mole ſepulcrum*
Imponit,ſuaq; arma uiro,remumq; tubamq;
Monte ſub aërio,qui nunc Miſenus *ab illo*
Dicitur,æternumq; tenet per ſecula nomen.

Horat.*lib.1.Serm.Sat.4.*

Oſtrea Circeijs,Miſeno *oriuntur echini.*

Mithridátes, (μιθριδάτης) *rex* Ponti *fuit,ui tanta & animi,& corporis, ut ſexiuges equos regeret, duarum & uiginti gentium ore loqueretur.* Hic *diſsidentibus* Romanis *ſociali bello,*Nicomedem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia *expulit:*Græciam,*inſulasq; omnes, excepta* Rhodo,*occupauit.*Ciues Romanos *tota* Aſia *negotiantes, nocte una occidendos curauit:* Q. Oppium *Proconſulem, &* Apuleium *legatum in uincula coniecit. Poſt hæc cum* L. Lucullo *apud* Cyzicum *congreſſus, tanta ſuorum clade ſuperatus eſt,ut rebus ſuis diſſidens,ad* Tigranem Armeniæ *regem confugerit: cuius ope cùm bel-*

lum

lum inſtauraſſet, denuo infeliciter cum Sylla dimicauit: Syllaq́; aduerſus Marianam factionem in Italiam reuocato, Pompeioq́; in locum eius ſubmiſſo, omnibus prorſus uiribus eſt exutus, tandemq́; à Pharnace filio in regia obſeſſus, ueneno uitam abrumpere tentauit. Verùm cùm ea uia parum proficeret, quòd corpus multis antea antidotis aduerſus uenena firmauiſſet, à Gallo milite adiutus, ferro ſibi necem conſciuit. De hoc Martialis lib. 4.

Effecit poto Mithridates ſæpe ueneno
Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.

Mitylene, nes, (μιτυλήνη) ſeu Mitylenæ, arũ, *urbs in Leſbo iuxta Methymnã, à cuius nomine hodie uniuerſa inſula Mitylene appellatur.* Martial. lib. 10.

Quum tibi nõ Epheſos, nec ſit Rhodos, aut Mitylene.

Mnemóſyne, (μνημοσιώνη) *Nympha fuit Pieria, quæ Ioui nouem Muſas peperit.* Heſiodus in Theogonia:

Μοῦσαι ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
Τὰς ἐμ Πιερίῃ Κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
Μνημοσιώνη.

Latinè Memoriam interpretari poſſumus, quam ideo Muſarum matrem fingunt Poëtæ, quòd omnium ſcientiarum theſaurus memoriæ beneficio & acquiratur, & conſeruetur.

Molorchus, (μόλορχος) *paſtor ſeniculus fuit in agro Cleonæo, qui Herculem illac iter facientem comiter hoſpitio ſuſcepit. Cuius beneficij gratiam ut hoſpiti ſuo rependeret Hercules, leonem Nemeæum interfecit, qui circuniectã regionẽ latiſsimè deuaſtabat.* Statius 4. Thebaid.

Sacra Cleonæi cogunt uineta Molorchi.

Molóſsia, (μολοσσία) *pars Epiri, à Moloſſo Pyrrhi, & Andromaches filio nominata, quam poſtea Helenus, de nomine*

nomine Chaonis fratris ſui quē in uenatione imprudens occiderat, Chaoniam appellauit. Hinc Molloſſus, a, um. Ouid. 1. Metamorph.

Nec contentus eo, miſſi de gente Moloſſa
Obſidis unius iugulum mucrone reſoluit.

Hæc regio præſtantiſſimos educabat canes, qui & eodē, quo gens ipſa, uocabulo Moloſſi dicebantur. Hos canes, Poëtæ fabulātur originē traxiſſe à cane æneo, à Vulcano fabricato, quem ille Ioui, Iupiter Europæ, Europa Procridi, Procris Cephalo dono dedit. Vide Iul. Pollucem lib. 5. cap. item 5. Verg. 3. Georg.

Nec tibi cura canum fuerit poſtrema: ſed unà
Velocis Spartæ catulos, acremq; Moloſſum
Paſce ſero pingui.

Moly, (μῶλυ) herba eſt Homeri carmine celeberrima: de qua ſic ſcribit Plin. lib. 25. cap. 4. Laudatiſſima herbarum eſt, Homero teſte, quam à dijs uocari putat Moly: & inuentionem eius Mercurio aſſignat, contraq; ſumma ueneficia demonſtrat. Naſci eam hodie circa Pheneum, & in Cyllene Arcadiæ tradunt, ſpecie illa Homerica, radice rotunda, nigraq;, magnitudine cæpæ, folio ſcillæ. Effodi autem difficulter. Græci autores florem eius luteum pinxere, cùm Homerus candidum ſcripſerit. Nomen habere putatur παρὰ τὸ μωλύειν τὰς νόσους, hoc eſt, à ſedandis mitigandiſq; morbis.

Momus, (μῶμος) Deus quidam à Poëtis fingitur, Nocte matre (ut inquit Heſiodus) ac Somno patre progenitus, cuius naturæ propriū eſſe ferūt, ipſum quidē nihil operis edere, ſed aliorum deorū opera curioſis oculis cōtemplari, & ſi quid eſt omiſſum, aut perperam factum, id ſumma cum libertate carpere: unde & nomen accepit.

Nam

Nam μῶμος Græcè repræhenſionem ſonat. Vide de eo fabulam apud Lucianum in dialogo de hæreſibus.

Monēta, *Iunonis cognomentum apud Romanos, à monendo impoſitum, ut docet Cicero lib.1. de Diuinat. Nam cùm urbs maximo terræmotu concuteretur, nec quiſquā noſſet qua uictima id mali poſſet expiari, uox ex Iunonis templo audita eſt, quæ ſacerdotes monuit, ſue grauida terræmotum eſſe procurandum. Lucan. lib. 1.*

Numina miſcebit caſtrenſis flamma Monetæ.

Monœcus, *(μόνοικος) portus & ſtatio Liguriæ, paucarum nauium capax, ab Albinga oppido diſtans ſtad. quadringentis & octoginta. Nomen ab Herculis æde accepiſſe putatur, quòd is in ea ſolus coleretur, quaſi μόνου ἡρακλέος οἶκος. Arcem habet munitiſsimam, non procul à Nicea: quam hodie Itali uocant Monicho. Lucanus libro quarto:*

—Solus ſua littora turbat
Circius, & fida prohibet ſtatione Monœci.

Mónychus, *(μώνυχος) Centaurorum fortiſsimus fuit, corporis robore intantum pollens, ut uel proceriſsimas arbores humo eucelleret, & pro telis in hoſtes uteretur. Iuuenal. Sat. 1.*

—Quantas iaculetur Monychus ornos.

Ductum eſt autem hoc nomen à Græco μώνυξ, quod perinde eſt, acſi Latinè ſolungulum dicas. Hoc autem proprium equorum eſt epitheton, qui unica eaq; ſolida ungula pedes habent calceatos. Quò fit, ut & Centauris tribuatur, quibus Poëtarū fabulæ equinos tribuerunt pedes.

Mopſus, *(μόψος) uates Theſſalus fuit, Ampyci & Chloridis filius, unus ex Argonautis: ut eſt autor Hyginus Fab. poëtic. cap. 14. Fuit & alius eiuſdem nominis,*

Apoll

Apollinis & Mantûs filius, à quo Colophonem conditam uolunt. Hic cùm in Calchantem uatem incidiſſet, de artis peritia cum eo certauit, uictorq; euaſit. Quam rem tam ægrè tulit Calchas, ut ex dolore ægritudine contracta uitam finierit: ut latius ſuprà docuimus in dictione Calchas.

Mórini, (μόρινοι) populi ſunt inter Belgas ad Oceanum Britannicum, Caletibus, & Neruijs uicini, quorum oppidum mediterraneum, Ptolemæo teſte, fuit Taruanna, (ταρουάννα) etiam hodie nomen retinens. Hi à Vergilio 8. Aeneid. Extremi hominum appellantur, quòd (ut iam diximus) Oceano ſint proximi, breuiſſimusq; ab eis, uel ipſo Cæſare teſte, in Britanniam ſit traiectus.

Morpheùs, (μορφεὺς) Somni miniſter, qui (ut in fabulis eſt) iuſſu domini quoſcunque uultus hominum fingit, uerba ipſa, mores item & geſtus imitans. Ouidius lib. 11. Metamorph.

Excitat artificem, ſimilatoremq; figuræ
Morphea, &c.

Moſa, (μῶσα) fluuius inſignis Galliæ Belgicæ, ex Vogeſo monte, non procul à Lingonum finibus profluens, & per Eburonum, Menapiorum, ac Sicambrorum agrum labens, tandemq; in finibus Batauorum accepto Rheno in Oceanum ſe exonerans. Meminerunt huius fluuij Plinius lib. 4. cap. 14. & 15. Tacitus lib. 2. & 20. & Cæſar de Bello Gall.

Moſchi, (μόσχοι) populi ſunt Aſiæ, Albanis, & Iberibus finitimi: à quibus pars Tauri montis in Septentrionem declinans, Moſchij nomen accepit. Vide Plin. libr. 5. cap. 27. & lib. 6. cap. 10. Lucanus lib. 3.

–Sæuisq; affinis Sarmata Moſchis.

Múlcib

Múlciber,(κύφαιςος) *idem qui Vulcanus, deus ignis præſes, à mulcendo dictus, quòd ignis omnia mulceat, id eſt, molliat, uincat, ac domet.* Ouidius 2. de Arte:

Mulciberis capti Marsq; Venusq; dolis.

Apud Ciceronem libro 2. *Tuſcul. ex uetuſto aliquo poëta legitur genitiuus Mulcibri ſecundæ declinationis, & trium ſyllabarum:* Iouisq; *numen Mulcibri adſciuit manus.* Donatus *putat Vulcanum Mulciberem dictum à mutilando, quòd claudus à poëtis fingatur, & mutilatus. Fuit enim Mulciber Iouis ex Iunone filius, quem cùm parentes infeliciſsima forma eſſe uidiſſent, ex cœlo in Lemnũ inſulam præcipitarunt: ex qua ruina intorto pede fertur claudicationem contraxiſſe.*

Munda,(μοῦνδα) *oppidum eſt Hiſpaniæ Bæticæ, memorabili illo prælio, inter Cæſarem & Pompeij liberos geſto nobilitatum, quo quidem in prælio tanta utrinq; edita eſt ſtrages, ut Cæſar uictor, hoſtes, qui fuga ſeſe in urbem receperant, obſidens, congeſtis corporibus uallum extruxerit. Lucanus lib.* 1.

Vltima funeſta concurrant prælia Munda.

Munychia,æ, (μουνυχία) *tumulus eſt in Cherrhoneſi formam curuatus, ingreſſum habens anguſto ore, à quo murus* 40. *ſtadiorum longitudine protendebatur, Athenarum urbem cum Piræeo, duobusq; alijs portubus connectens. Hinc Munychius, a, um, poſſeſsiuum.* Ouidi. 6. Metamorph.

Munychiosq; uolans agros, gratamq; Mineruæ
Deſpiciebat humum.

Fuit item Munychia Dianæ cognomen, quæ apud Pygellam, non procul ab Epheſo colebatur: ut refert Strabo libro 14.

Murtia,

Múrtia, æ, *Veneris cognomentum, à myrto arbuſcula illi ſacra impoſitum: unde primũ Myrtea dicta eſt, & deinde corrupto nomine Murtia. Plin. lib. 15. cap. 29. Ara fuit Romæ uetus Veneris Myrteæ, quam nunc Murtiam uocant. Feſtus hanc deam Murceam appellat, & ſub Auentino eam ſacellum habuiſſe tradit. Murceam autem dictam uult, ſiue quòd homines murceos, hoc eſt, ignauos, & inertes redderet, ſiue quòd Auentinus, ſub quo ſacellũ habuit, olim Murcus fuerit appellatus.*

Muſæ, (μοῦσαι) *Iouis & Mnemoſynes filiæ, in Pieria natæ, ſedemq́; habentes in Helicone, qui mons Bœotiæ eſt, Phocidi uicinus: à quo Heliconides, & per epentheſim Heliconiades appellantur. Diſtat autem Helicon non procul à Parnaſſo Phocidis monte, æmulus illi & altitudine, & ambitu, rupẽ ut ille ſaxeam habens. Quin & Parnaſſum habitare dicuntur. Vnde & Parnaſsides dictæ: Et quoniam Phocidi confinis Aonia eſt, etiam Aonides appellantur. Alio etiam nomine dicuntur Cithærides, uel Cithæriades, à Cithærone, Atticæ regionis monte, quem ſimiliter Muſis ſacrum eſſe dicunt. Pierides item dictæ ſunt à Pieria, quæ regio eſt Macedoniæ, Emathia antè dicta. Hæc Muſarum patria, domusq́; eſt, à nemore ita appellata, cui nomen eſt Pieris. Item dicuntur Theſpiades, à Theſpia oppido Heliconi propinquo. Item Pegaſides, & Hippocrenides, ab Heliconis pulcherrimo fonte, qui à Græcis Hippocrene, à noſtris Fons Caballinus uocatur, & Pegaſeius, quòd Pegaſus eo loco ſaxum ungula feriẽs, fontem dicatur aperuiſſe. Rurſus Muſæ Libethrides uocatæ ſunt, à fonte Libethra, Muſis ſacro, in ea Theſſaliæ parte, quæ Magneſia dicitur. Item Pimpleides, ſeu Pimpleæ, à Pimpla Thraciæ monte, uel à fonte Pimpleo*

in radice eius montis ſito. Item *Caſtalides, à fonte Caſtalio, in radicibus* Parnaßi, *Muſis ſacro, qui à Caſtalia Nympha nomen aſſumpſit.* Nouem *autem Muſæ finguntur, quibus hæc nomina impoſita fuere.* Primam *enim à bonitate uocis dixere Calliopen. Secundam Clio, à gloria, & celebritate rerum geſtarum, quas canit.* Tertiam *Erato, uel à canendis amoribus, uel quòd cantus ab omnibus deſideretur. Quartam à uoluptate, ac laſciuia cantus* Thaliam : θάλλειν *enim uirere, germinare, florere eſt. Quintam* Melpomenen *à* Græco μέλπεσθαι, *quod eſt canere ſeu modulari : unde &* Tragœdijs *præſidere putabatur.* Sextam *Terpſichoren,* ἀπὸ τοῦ τέρπειν τοὺς χορούς: *hoc eſt, à delectandis choreis: unde à quibuſdam dicitur Cithariſtria. Septimam* Euterpen, *à ſuauitate concentus.* Hæc *ab aliquibus* Tibicina *dicta eſt, & peculiariter tibiarum cantui creditur præſidere. Octauam* Polyhymniam, *à multitudine cantus : ſiue* Polymneiam, *à magnitudine memoriæ.* Nonam *Vraniam, quaſi cœleſtem, uel à cœleſtium rerum cantu, uel à cantus diuinitate. Vnde autem dictæ ſint* Muſæ, *inter ſcriptores nõ ſatis cõuenit.* Plato *in Cratylo* ἀπὸ τοῦ μῶσθαι *dictas putat, hoc eſt, ab inquirẽdo: unde ab antiquis interdum uocatæ ſunt* Moſæ. *Alij* Muſas *dictas putãt, quaſi* ὁμοιοῦσας, *quòd inter omnes diſciplinas ſimilitudo ſit, & quoddam quaſi cognationis uinculũ, quo inter ſe omnes cõiunguntur, & copulantur: unde &* Muſæ *ita pingi ſolent, ut ſe mutuò tenentes, choros ducant. Sunt etiã qui* Muſas *dictas putẽt* ἀπὸ τοῦ μυεῖν, *quod ſignificat, bona, honeſtaq́; diſciplina inſtituere.* Muſarũ *nomina & inuenta exequitur* Vergil. *hoc carmine:*

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.
Melpomene Tragico proclamat mœſta boatu.

Comica

Comica laſciuo gaudet ſermone Thalia.
Dulciloquis calamos Euterpe ſtatibus urget.
Terpſichore affectus citharis mouet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, uultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Vranie cœli motus ſcrutatur & aſtra.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu.
Mentis Apollineæ uis has mouet undiq; Muſas.
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

Muſæus, (*μουσαῖος*) *Poëta Græcus antiquiſſimus, Eumolpi filius, cuius extat elegantiſſimum carmen de amoribus Erûs & Leandri. De hoc Vergilius lib. 6. Aen.*

Muſæum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet, atq; humeris extantem ſuſpicit æquis.

Hunc quidam inter Argonautas annumerant: alij eodem tempore floruiſſe uolunt, quo Ancus Romæ regnauit: qua de re circunfertur uetus diſtichon,

Ancus erat Romæ quo Martius optimus æuo,
Muſæus Græcis floruit in patribus.

Sed hoc de alio Muſæo intelligi poteſt: nam tres eodem nomine recenſentur à Suida.

Mútina, (*μουτίνη Straboni*) *ciuitas eſt Galliæ Ciſalpinæ in Flaminia, Romanorum colonia, in qua Antonius D. Brutum obſedit, quem tamen Hircius & Panſa Conſules, uicto Antonio, liberarunt. Luca. lib. 1.*

His Cæſar Peruſina fames, Mutinæq; labores
Accedant fatis.

Vulgus hodie Modenam appellat.

Mútius, (*μούτιος*) *nobilis Romanus, qui accepta poteſtate à Senatu, in caſtra Porſenæ regis, tum temporis Romanos obſidentis, ſolus intrauit, eo animo, ut regem occi-*

deret. Sed cùm regem non cognoſceret, unum ex purpuratis pro rege occidit. propter quod compræhenſus, & ad regem perductus eſt: qui cùm extrema illi ſupplicia comminaretur, Mutius *iniecta in foculum dextera, ſponte ſibi eam exußit: partim ut eo ſpecimine doceret, ſe uel exquiſitißima ſupplicia facilè poſſe contemnere: partim ut pœnam eam à dextera ſua exigeret, quæ in cæde aberrans, ſatellitem purpuratum pro rege occidiſſet.* Hinc *poſtea* Scæuolæ *cognomen traxit, quòd ſiniſtra manu pro dextera uteretur.* σκαιὰν *enim Græci ſiniſtram uocant.* Admi*ratus itaq; hominis fortitudinem* Porſena*, liberum eum dimiſit.* Cuius *beneficij nomine cùm regi gratiæ aliquid uellet rependere, indicauit illi trecentos iuuenes ſimili modo in eum cōiuraſſe.* Qua *re territus* Porſena*, acceptis obſidibus, bellum pace mutauit.* Martialis *lib. 1.*

Vrere quam potuit contempto Mutius *igne,*
Hanc *ſpectare manum* Porſena *non potuit.*

Mutuſcæ, *Sabinorum ciuitas, quæ &* Trebula, *&* Tre*bia, &* Suffena *appellata eſt: circa quam* Annibal Roma*nos maxima clade affecit.* Hæc Seruius *in illud* Vergilij *libro 7.* Aeneid.

–Oliuiferæq; Mutuſcæ, *&c.*

Mycénæ, arum, *(μυκῆναι) urbs* Peloponneſi, *non procul ab* Argis, Perſei *opus, & regia* Agamemnonis. Verg. *6.* Aeneid.

Eruet ille Argos, Agamemnoniasq́; Mycenas.

Hinc Mycenæus, *a, um, (μυκηναῖος.)* Idem *11.* Aen.

Ipſe Mycenæus *magnorum ductor* Achiuûm
Coniugis infandæ prima intra limina dextra
Oppetijt.

Item Mycenis, *idis, (μυκηνὶς) gentile fœm. quo* Poëtæ *utuntur*

tuntur pro Iphigenia Agamemnonis Mycenarum regis filia. Ouid. 12. Metamor.

Victa Dea eſt, nubemq́; oculis obiecit, & inter
Officium, turbamq́; ſacri, uocésque precantum,
Suppoſita fertur mutaſſe Mycenida cerua.

Mycone, es, *ſeu* Myconos, ni, (μύκονος) *inſula eſt maris Aegæi, una Cycladũ, ſub qua Poëtæ fabulãtur ſepultos eſſe Gigãtes, poſtremò ab Hercule interfectos: unde factus eſt locus prouerbio, Omnia ſub unam Myconon cõgerere: quod in eos dici conſueuit, qui res natura diſiunctas, eodẽ libro uel titulo conãtur cõplecti. Vergilius tertio Aeneidos de Delo inſula loquens:*

Quam pius Arcitenens oras & littora circum
Errantem, celſa Gyaro, Myconeq́; reuinxit.

Statius 1. Achill.

Cyclades hinc ſpretæ, Myconos, humilisq́; Seriphos.

Huius inſulæ incolæ Myconij dicti ſunt, de quibus literis proditum eſt caluos eſſe ſolere. Hinc factum eſt, ut Myconiũ prouerbiali metaphora pro caluo accipiamus.

Mydon, (μύδων) *Atymnis filius, & Pylamenis ducis Paphlagonum auriga, ab Antilocho Neſtoris filio in bello Troiano interemptus, teſte Homero libro 5. Iliad.*

Mygdónia, (μυγδονία) *regio Macedoniæ in Thraciam uergens, trans Axium fluuium, teſte Plinio lib. 4. cap. 10. Huius incolæ Mygdones dicuntur, qui in Aſiam tranſgreſſi in ea parte Myſiæ conſederũt, quæ Troadi ſuperiacet, Rhyndaro amni, & Daſcylitico lacui propinqua, eamq́; regionẽ de nomine relictæ patriæ Mygdoniam appellarunt. In hac regione Nioben natam uolunt Poëtæ, quæ cùm Amphioni Thebanorum regi nupſiſſet, & filios ſeptem, totidemq́; filias ei peperiſſet, Latonæ ſe præferre nõ*

dubitauit. Quam rem ægrè ferens Dea, *primùm liberos eius* Apollinis *&* Dianæ *ſagittis interficiendos curauit: deinde ipſam turbine raptam, in patriã tranſtulit, ibidẽq; eam in ſaxum commutauit.* Autor Ouid. 6. Metam.

Mynes, etis, (*μύνης*) *Lyrneßi princeps fuit, & maritus* Briſeidis, *quẽ* Achilles *capta urbe occidit, uxoremq; eius abduxit, quæ poſtea ab* Agamẽnone *ei erepta, implacabilis inter eos odij cauſa extitit.* Huius *meminit* Hom. 3. Ili.

Myrinus, (*μύρινος*) Apollinis *cognomentum, à* Myrina *Aeolidis urbe, in qua religioſißimè colebatur.* Vnde *&* Myrini *campi appellati.*

Myrmídones, (*μυρμιδόνες*) *Theſſaliæ populi fuerunt, ex Aegina inſula oriundi, qui* Peleum *patria profugum ſecuti, in* Theſſalia *ſedes fixerunt, uetuſq; nomẽ retinuerunt.* Aeginetas *autem* Myrmidonas *dictos conſtat, teſte* Strabone *libro ſeptimo, quòd agricolæ ſtrenui eſſent, per petuóq; in fodienda terra formicarum more uerſarentur.* Ouidius *libro* 7. Metamor. *nominis rationem ad huiuſmodi refert fabulam: Cùm peſtilentia in* Aegina *crudelißimè eſſet graſſata, eamq; inſulam uiris propemodum exhauſiſſet:* Aeacus, *cùm ad radicem quercus infinitum propemodum formicarum numerum conſpexiſſet,* Iouem *traditur oraſſe, ut ſibi parẽ uirorum numerum concederet: precibuſq; eius uix abſolutis, formicas in uiros fuiſſe commutatas.* Hi *poſtea ad* Troiam *ſub* Achille *militarunt, ſummamq; ex* Græcis *fortitudinis gloriam ſunt con ſecuti.* Vergil. 2. Aeneid.

-Quis talia fando
Myrmydonum, Dolopúmue, *aut duri miles* Vlyßi
Temperet *à lacrymis.*

Myrõ, (*μύρων*) *ſtatuarius inſignis fuit,* Ageladis *diſcipulus,*

lus, qui cũ multis alijs operibus, tum præcipuè bucula ex ære ueræ uaccæ ſimilima claruit, multis Poëtarum uerſibus celebrata. Ouid. 3. de Ponto:

Vt ſimilis ueræ uacca Myronis opus.

Myrrha (*μύῤῥα*) *Cinyræ Cypriorum regis fuit filia, quæ nefando patris amore capta, cùm aliquot noctes auxilio nutricis cum illo concubuiſſet, tandem illato lumine agnita, cùm illã pater uellet occidere, noctis beneficio elapſa, in Arabiam profugit, ubi poſtquam Adonin peperiſſet, in arborem ſui nominis eſt conuerſa. Vide fabulam apud Ouidium 10. Metamor.*

Myrtilus, (*μύρτιλος*) *Mercurij ex Phaëthuſa, ſeu Myrto Amazone filius, auriga Oenomai, qui à Pelope curuli certamine cũ Oenomao certaturo pollicitis corruptus, axi uectẽ nõ obiecit, ut ea ratione Oenomai currus diſſolueretur, & Pelops uictor euaderet. Quæ res cùm Pelopi ex ſententia ſucceßiſſet, Oenomaus curru delapſus, ceruicem fregit, iamq; animã agẽs, Pelopẽ obſecrauit, ut uicem ſuam ulciſceretur. Quare cùm pactum ſibi perfidiæ præmium à Pelope repoſceret, ab eodẽ in mare proiectus eſt, quod ab eo Myrtoum eſt appellatum. Claudianus lib. 2. de raptu Proſerpinæ:*

–Nam perfidus obijce regis
Prodidit Oenomai deceptus Myrtilus axem.

Myrtôum pelagus, (*μυρτῶον πέλαγος*) *pars maris Aegæi, ſeu eius quod eſt inter Aegæum & Ionium, nomen habens à Myrtilo Mercurij filio, qui cùm Oenomai auriga eſſet, herumq; in certamine curuli prodidiſſet, à Pelope uictore, cùm perfidiæ præmiũ repoſceret, in hoc mare præcipitatus eſt. Plinius tamen libr. 4. cap. 11. appellatum mauult à Myrto exigua inſula, non procul à Cariſto Eu-*

bœæ oppido ſita, quæ cernitur à Gereſto Macedoniam petentibus. Incipit à Megarico ſinu, Cretamq́; abluit, & Atticam, Occiduā́q; Cariæ oram: habetq́; inſulas plurimas, Cythera, Calauriam, & quæ Aeginam cingunt, & Salaminem, & ex Cycladibus pleraſq;. Ouidius in Ibin:

Proditor ut ſæui perijt auriga tyranni,
Qui noua Myrtoæ nomina fecit aquæ, &c.

Myſia, (μυσία) regio eſt minoris Aſiæ ad Helleſpontum, Troadi contermina: cuius incolæ Myſi dicti ſunt, abiectiſſimæ cōditionis homines, ſortisq́; adeò contemptæ, ut ceſſerint in prouerbium. Quoties enim hominem nullius pretij uolebāt denotare, Myſorum ultimū eſſe dicebant: ut eſt autor Cicero in oratione pro L. Flacco. Strabo etiā Myſos conſtituit in Europa, in confinio Pannoniæ ad Danubium fluuium, putatq́; Myſos Aſiæ populos ab his ut originem, ita & nomen duxiſſe. Sed hi à Plinio non Myſi, ſed Mœſi appellantur.

N

NAbathæa, (ναβαθαία Dionyſ. ναβαταιοι Steph.) regio eſt Arabiæ, Syriæ contermina, populoſa in primis, & paſcuis abundans: cuius metropolis eſt Petra, trium aut quatuor dierum itinere diſtans ab Hiericunte, teſte Strab. li. 16. Hinc Nabathæus, a, um, (ναβαθαῖος.) Iuuenalis,

Et quos depoſuit Nabathæo bellua ſaltu.

Et quia Nabathæa regio orientem ſpectat, factum eſt, ut Nabathæus accipiatur pro orientali. Ouid. 1. Metamor.

Eurus ad auroram, Nabathæaq́; regna receſsit.

Naiades, ſiue Naïdes, (νηϊάδες) nymphæ fontium, & fluuiorum: ἀπὸ τοῦ νάειν, quod eſt fluere. Vergil. Ecloga 6.

Aegle Naïadum pulcherrima, &c.

Calph

Calphurnius Eclog.2.

Adſuerunt ſicco Dryades *pede*,Naiades *udo*,&c.

Hinc Naicus,a,um.Propert.lib.2.

Suppoſita excipiens Naica *dona manu.*

Eſt item Nais , *Nymphæ proprium nomen apud* Vergil. 2. Eclog.

-*Tibi candida* Nais
Pallentes uiolas,& ſumma papauera carpit.

Napææ,(ναπάιαι) *ſyluarum* Deæ,*quæ &* Dryades *dicuntur*.Nam νάπη,*ſiue* νάπος *ſaltum ſignificat.*Vergilius 4. Georg.

-*Faciles uenerare* Napæas.

Nar,(νάρυος Step.) *Sabinorum fluuius,in* Fiſcello *monte naſcens,qui per urbem* Narniam *fluens*, Tiberi *immiſcetur*. Lucan.lib.1.

-Quà Nar Tiberino *illabitur amni.*

Vergil.lib.7. Aen.

Sulphurea Nar *albus aqua.*

Narbo,(ναρβὼρ) *cognomento* Martius, *olim ampliſſimũ fuit* Galliæ Braccatæ *emporium,teſte* Strabone *lib.*4. *hodie tutiſſimum* Galliarum *aduerſus* Hiſpanos *propugnaculum:à quo tota ea pars* Galliarum,*quæ olim* Romanorum *fuit prouincia,nomẽ accepit.* Martium *autem* Narbonem *ex eo dictum putant,quòd eò* Cæſar *ex* Martia *legione colonos deduxerit.*

Narciſſus,(νάρκισσος) *puer fuit formoſiſſimus*, Cephiſſi *amnis , &* Liriopes *Nymphæ filius : quo recens nato* Cephiſſus Tireſiam *uatem de pueri fato conſuluit , reſponſumq; accepit,tam diu uicturum, quàmdiu à ſui conſpectu abſtineret.* Quod *reſponſi genus quamuis primùm ridiculum uideretur,euẽtu tamen ipſo eſt approbatum.* Nam

cùm Narciſſus iam adultus, à Nymphis compluribus & præcipuè ab Echo adamaretur, mira omnes conſtantia eſt aſpernatus. Verùm cùm aliquando æſtu defatigatus, ad limpidiſsimum fontem bibendi gratia ſe contuliſſet, imagine ſua in fonte conſpecta, ſui amore captus eſt: cumq́; nulla potiundi amoris ſpes eſſet, nimio deſiderio contabuit, & in florem ſui nominis eſt commutatus. Fabula hæc latius refertur ab Ouidio lib.3. Metam.

Narycium, (ναρύκιον) *quod & Naryx* (νάρυξ) *& Naryce* (ναρύκη) *dicitur, oppidum fuit Locrorum uetuſtiſsimum: à quo Aiax Narycius, & populi Narycij dicti ſunt. Vergil.3. Aeneid.*

Hîc & Narycij poſuerunt mœnia Locri.

Abundat autem pice optima, quæ inde Narycia dicitur. Verg.2. Georg.

Et iuuat undantem buxo ſpectare Cytorum,
Naryciæq́; picis lucos.

Naſamônes, (νασαμῶνες) *populi Libyæ, nauium Syrtibus inuolutarum ſpoliatores. Lucan. lib.9.*

Hoc tam ſegne ſolum, raras tamen exerit herbas,
Quas Naſamon, gens dira, legit, qui proxima ponto
Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit. nam littoreis populator arenis
Imminet, & nullas, portus tangente carina,
Nouit opes: ſic cum toto commercia mundo
Naufragijs Naſamones habent.

Náuplius, (ναύπλιος) *rex fuit Eubœæ, & pater Palamedis, qui cùm filium Vlyſsis opera iniquo iudicio circũuentum, & ab exercitu lapidibus obrutum audiſſet, necis eius ulciſcẽdæ auidus, per totam Græciam uagari cœpit, uxoréſque principum, qui ad Troiam militabant, in iuuenum*

uenum adulteria pellexit: futurum ſperans, ut grauiſſimis ea de cauſa inimicitijs inter ipſos exortis, mutua cæde Palamedis necem expiarent. Nec eo contentus, Græcis *capta iam* Troia *in patriam redeuntibus, & tempeſtate laborantibus, ex* Caphareo *monte ignem oſtendit, bonãq; claßis partem ad ignem, tanquam ad uicinum portum, adnauigantem, in aſperrimos ſcopulos pellexit, miſerandoq́; perdidit naufragio.* Poſtea *uerò cùm intellexißet* Vlyſſem *&* Diomedem, *quibus eas inſidias potißimum ſtruxerat, incolumes euaſiſſe, doloris impatientia ſeipſum in mare præcipitem dedit.*

Nausícaë, (ναυσικάη) Alcinoi Phæacum *regis filia, &* Aretes, *quæ cùm fortè cum pediſſequis ſuis extra ciuitatẽ ſe contuliſſet, ueſtes in flumine ablutura, incidit in* Vlyſſem *naufragum in littore ſedẽtem, nudum, arborum ramis circumtectum: cui ſupplici & ueſtes dedit, & in regiam patris ſui eum perduxit.* De *hac* Martialis *lib.* 2.

Si mihi Nauſicaë *patrios concederet hortos:*
Alcinoo poſſem dicere, malo meos.

Nausíthous, (ναυσίθοος) *rex* Phæacum, Neptuni *filius, &* PeribϾæ Eurymedontis *filiæ, & pater* Alcinoi: *ut eſt autor* Homerus *lib.* 7. *Odyß.*

Naxos, (νάξος) *inſula in mari* Aegæo, *una ex* Cycladibus, *diſtans à* Delo XVIII. M. *paß. antea* Strongyle *dicta, deinde &* Dia, *&* Dionyſias, *à uini earum fertilitate, à quibuſdam etiam* Sicilia minor, *&* Callipolis, *ut eſt autor* Plinius *lib.* 4. *cap.* 12. Verg. 3. Aeneid.

Bacchatamq; *iugis* Naxon, *uiridemq;* Donyſam.

Verùm *cùm* Cares *ex* Lamia *profecti, duce* Naxo *eam occupaſſent, à duce* Naxon *appellarunt.* Hinc Naxius, *a, um,* (νάξιος.) Vnde Naxius *ardor, apud* Columel. *pro ſidere*

dere Ariadnes coronæ. Nam (ut ferunt poëtæ) in inſula Naxo relicta Ariadne à Theſeo, nuptias cum Baccho fecit, coronamq́; quàm à Venere, & Horis dono acceperat, inter ſidera relata fuit.

Neæra, (νέαιρα) *Nympha fuit formoſißima, ex qua Apollo Lampetien, & Phaëthuſam ſuſcepit, quas gregibus ſuis in Sicilia paſcendis præfecit: ut fabulatur Homerus Odyß. lib. 12.*

Neápolis, (νεάπολις) *Campaniæ urbs clarißima, ſecundùm maris littus in longitudinem extenſa, à Cumana iuuentute condita, primumq́; Parthenope appellata, de nomine unius Sirenum, eo in loco ſepultæ. Verùm cum frequentius habitari cœpiſſet, ueriti Cumani, ne patria ſua deſereretur, Parthenopen diruerunt. Non multò tamen pòſt graſſante peſtilentia, cùm oraculum ea de re conſulerent, reſponſumq́; accepiſſent, ut nouam urbem inſtaurarent, ſplendidius eam reſtituerunt, & ex uerbis oraculi accepto omine, Neapolin, id eſt, nouam urbē appellarūt.*

Neleùs, (νηλεὺς) *Neptuni filius ex Tyro Nympha Salmonei filia, qui à Pelia fratre Theſſalia pulſus, in Laconiam uenit, ubi Pylon urbem condidit: teſte Homero Odyß. 11. Huic uxor fuit Chloris, Amphionis Orchomeni regis filia, ex qua duodecim filios ſuſcepit, quos poſtea omnes, præter unicū Neſtorem, tum fortè ablegatū, Hercules euerſo Pylo interfecit. Ouid. 12. Metam.*

Bis ſex Nelidæ fuimus conſpecta iuuentus,
Bis ſex Herculeis ceciderunt, me minus uno,
Viribus, &c.

Némea, æ, *ſeu* Némee, es, (νεμέη) *ſylua eſt Achaïæ, ſeu regio ſyluoſa, inter Cleonas & Phliuntem, in qua Hercules miræ magnitudinis leonem interfecit, qui à loco*

cognom

cognominatus eſt Nemeæus. *Vnde ibidem in honorem eius inſtituta ſunt ſolennia quædam certamina, quæ & ipſa à loco* Nemeæa *dicta ſunt. Quanquam non deſunt, qui ea potius in honorem* Archemori *inſtituta uelint,* Lycurgi Nemeæ *regis filioli, quem cùm* Hypſipyle *nutrix,* Argiuis Langiam *fontem oſtenſura, in gramine depoſuiſſet, ſerpens è proximis uirgultis arrepens interfecit.* Martialis *libro* 1.

Non *Marathon taurum,* Nemee *frondoſa leonem,*
Arcas Mænalium *non timuiſſet aprum.*

Némeſis, (*νέμεσις*) *dea ſcelerũ ultrix, & bonorũ remuneratrix,* Iouis & Neceßitatis *filia, cuius ſedẽ* Theologi Aegyptij *ſupra* Lunam *conſtituêre, ut inde, ueluti è ſpecula, hæc inferiora deſpectaret.* Stat. 13. Thebaid.

Eſt dea, quam Nemeſim *dicunt, dea magna, potensq́;,*
Quæ bona cœleſtum conceſſu cuncta deorum
Poßidet.

Hæc & Adraſtea *cognominatur ab* Adraſto Argiuorum *rege, qui primus ei templum erexit. Eadem &* Rhamnuſia *dicitur, quòd* Rhamnũte Atticæ *oppido templum habuerit,* Phidiaco *ſimulacro nobilitatum.* Hoc *etiam nomine dicta fuit* Tibulli Poëtæ *amica.* Martial. *lib.* 4.

Vßit amatorem Nemeſis *laſciua* Tibullum.

Neobûle, (*νεοβούλη*) Lycambis Thebani *filia, quam cùm pater* Archilocho Poëtæ *deſpondiſſet, poſteaq́; facti pœnitens tradere eã recuſaret, tam acri* Iambo *ab* Archilocho *fuit perſtrictus, ut doloris impatientia mortem ſibi laqueo credatur conſciuiſſe: ut latius ſuprà docuimus in dictionibus* Archilochus, & Lycambes.

Neoptólemus, (*νεοπτόλεμος*) *cognomen eſt* Pyrrhi Achillis *filij, inde impoſitum, quòd admodum adoleſcentulus*

tulus primum tyrocinium in bello Troiano *poſuerit.* νεοπτόλεμος *enim* Græcis *tyronem ſonat, ſeu militem nouitium.* Verg. 2. Aeneid.

Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.

Néphele, (νεφέλη) *uxor fuit* Athamãtis, *mater* Phryxi *et* Helles: *à qua* Oui. 11. *Met.* Hellē Nepheleïda *cognominat:*

Anguſtum circa pontum Nepheleïdos Helles.

Neptúnus, (ποσειδῶν) *Saturni &* Opis *filius, cui in orbis totius diuiſione maris regnũ obtigit: unde & tridẽtem geſtat, peculiare eius regni ſceptrũ. Vxorem habuit* Amphitriten, *multarũ* Nympharũ *matrem, quarum nomina exequitur* Heſiodus *in* Theogonia. Hinc *deducitur* Neptunine, *patronymicũ fœmininũ.* Catul. *in* Argonaut.

Téne Thetis *genuit pulcherrima* Neptunine?

Neréïdes, (νηρηΐδες) *maris* Nymphæ, Nerei, *&* Doridis *filiæ, humanam effigiem habentes, quarum nomina ſunt* Neſæe, *&* Cymothoë, *& infinita alia, quæ uide apud* Heſiodum *in* Theogonia. Nominatiuus *ſingularis eſt* Nereis, *penult. indifferente.* Ouid. 13. Metamor.

Nereis *his contra reſecuta* Crateïde *natam eſt.*

Idem 11. *Metamorph.*

Sed memor admiſſi Nereïda *colligit orbam.*

Néreus, (νηρεὺς) *Deus maris eſt (ut docet* Heſiodus *in* Theogonia) Oceani *&* Tethyos *filius, qui ex* Doride *uxore, eademq; ſorore, maximam* Nympharum *turbam ſuſcepit, quæ à nomine patris* Nereïdes *appellantur.* Hunc Orpheus *in* Argonaut. *deorum antiquiſsimum appellat: unde &* Grandæuus *à* Vergilio *dicitur* 4. Georg.

-Hunc *&* Nymphæ *ueneramur, & ipſe*
Grandæuus Nereus.

Figuratè *accipitur pro mari.* Perſius Satyr. 1.

Et

Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

Nerio, enis, *uel* Neriene, es, *& apud antiquiſſimos* Neria, æ, (νηρεΐνη) *Martis uxor. Plautus in Trucul.*

Mars peregrè aduenieus ſalutat Nerienẽ uxorem ſuam. Gellius libro 13. cap. 21. docet Sabinum eſſe uocabulum, quo ſignificatur uirtus & fortitudo: unde & pro ui, poteſtate, & maieſtate Martis accipitur. Vide plura de hoc apud Gellium eo, quem modò citauimus, loco.

Néritus, ti, (νήριτος) *mons eſt in Ithaca inſula: teſte Strabone lib. 10. & Plin. li. 4. cap. 12. à quo Vlyſſes Neritius paßim cognominatur à Poëtis. Eſt item Neritus, ſiue (ut apud Pliniũ legitur) Neritis, peninſula Acarnaniæ adhærens, alio nomine Leucadia appellata, opere accolarũ olim à cõtinenti abſciſſa, denuoq́; reddita uentorum flatu congeriem arenæ accumulantium. Verg. 3. Aeneid.*

Dulichiumq́; Sameq́; & Neritos ardua ſaxis.

Neritus item, ſiue Neritum, neut. generis, peninſulæ huius oppidum eſt, quod recentiores Leucaden appellarũt: teſte Plinio libro 4. cap. 1.

Nérui, *populi Galliæ Belgicæ, Ambianis & Belgis uicini, Belgarum omnium fortißimi, & maximè feri, nec ſine ſummo diſcrimine à Cæſare ſuperati. Lucan. lib. 1.*

–Nimiumq́; rebellis Neruius.

Néſium, (νησίον) *inſula in Campano littore, inter Pauſilypum & Puteolos, quæ alio nomine dicitur Neſis, (νησίς.) Lucan.*

–Tali ſpiramine Neſis.

Huius nominis obliquos producit Papin.

Syluaq́; quæ fixam Pelago Neſida coronat.

Item Accius Eclog. 1.

Huc illuc dum Pauſilypi latus omne pererro,

Piſco

Piſcoſamq; lego celeri Neſida phaſelo.

Neſſus,(*νέσσος*) *unus ex* Centauris, Ixionis *&* Nubis *filius,qui cùm* Herculi *ad* Euenum *fluuium operam ſuam obtuliſſet ad* Deianiram *in ripam ulteriorem traijciendam,iamq; traiectæ uim inferre pararet,ab* Hercule *ſagittis eſt confoſſus. Quare cùm iam mortem imminentem uideret,*Deianiræ *ueſtem tradidit,ſanguine ſuo infectam, uim amatorij illi ineſſe ſimulans,uirumq; alterius fœminæ amore captum,ad ipſius amorem poſſe reuocari. Cuius uerbis illa temerè fidem adhibens,* Herculi *in* Oeta *monte ſacrificanti,per* Licham *puerum ueſtem eam miſit: quam cùm ille induiſſet, ueneno ſtatim per uiſcera ſerpente,doloris impatientia in ardentem ſeſe rogum cõiecit.*Hinc Neſſeus,a,um.Ouidius *in* Epiſtol.Deianiræ *ad* Herculem,

Illita Neſſeo *miſi tibi texta ueneno.*

Neſtor,(*νέστωρ*) *filius fuit* Nelei *&* Chloridis, *teſte* Home. *lib.* Odyß.11. *qui adhuc adoleſcens bellum geßit, etiam tum uiuo patre, aduerſum* Epeos, Peloponneſi *populos,qui poſtea* Elij *dicti ſunt: & deinde cum* Pirithoi *nuptijs intereſſet, aduerſus* Cẽtauros, *qui* Hippodamiam *rapere conabantur,ſtrenuè pugnauit.*Poſtremò *belli* Troiani *tempore, iam ſenior effectus, ut idem* Homerus *lib.* 2.Iliad.*ſcribit, quinquaginta nauibus cum reliquis* Græcis *principibus ad* Troiam *uenit,cùm iam tertiam hominis ætatem uiueret,ut ipſe refert apud* Ouidium *libr.12.* Metamorph. *ubi conſilij dexteritate tantùm* Græcorum *rebus profuit,ut* Agamemnon *profiteri non dubitaret, breui ſe* Ilium *fuiſſe expugnaturum,ſi decem ſibi contigiſſent* Neſtores. *Nam præter ſummam prudentiam ætatis diuturnitate collectam,tanta præterea eloquentia excelluit,*

*celluit,ut ex eius ore melle dulcior fluere diceretur oratio. Vxorem habuit Eurydicen Clymeni filiam, ex qua ſeptem filios,& unicam filiã ſuſcepit.*Horat.*lib.*1. Epiſt. *ad* Lollium:

–Neſtor *componere lites*

Inter Pelidem *feſtinat,& inter* Atriden.

Nilus,(νεῖλος) Aegypti *fluuius, à* Nileo *rege ſic dictus, uel à nouo luto,quo totam feracem reddit* Aegyptum. *Vnde Seruius* Nilum *dici exiſtimat, quaſi* νέαν ἰλὺν, *hoc eſt, nouum trahentem limum, quòd oblimet,hoc eſt,limo obturet* Aegyptum, *& oppleat.Naſcitur in monte inferioris* Mauritaniæ,*non longè ab* Oceano, *ſtagnante ibi lacu,quem uocant* Nilidem *: deinde condit ſe itinere aliquot dierum,rurſumq; erumpit alio lacu maiore in* Mauritania Cæſarienſi*:iterũmque arenis receptus, per deſerta uiginti dierum ſpatio fertur ad proximos* Aethiopas, *& denuo proſilit fonte, qui* Nigris *dicitur.* Tandem *ſeptem oſtijs in mare ſe exonerat: unde modò* Septemgeminum, *modò* Septemfluum *uocant* Poëtæ.Vergilius 6. Aeneidos:

Et *ſeptemgemini turbant trepida oſtia* Nili.

Ouid.1.Metamorph.

Sic ubi deſeruit madidus ſeptemfluus agros

Nilus,*&c.*

*Oſtiorum nomina ſunt,*Canopicum, Bolbiticum, *Sebennyticum,*Pharniticum,Mendeſicum, Taniticum,*&* Peluſiacum.*Autor* Plin.*lib.*5.*cap.*9.

Niobe,(νιόβη) *filia* Tantali, *& ſoror* Pelopis,*uxor autem* Amphionis, *regis* Thebanorum, *quæ cùm uiro ſuo ſex filios,totidemq; filias peperiſſet,animo elata,*Latonæ *ſeſe præferre non dubitauit.Quamobrem indignata* Dea,

K Apoll

Apollinis & Dianæ ſagittis liberos eius ad unum omnes interficiendos curauit: Niobenq́; ipſam ſibi conuitiantem turbine uenti in Aſiam rapuit, & iuxta Sipylum urbem (quæ illi patria erat) in ſaxum transformauit. Vide latius hanc fabulam apud Ouidium ſexto Metamorphoſeos.

Niphe,es,(νίφη) *una ex comitibus Dianæ, à niueo candore appellata. Ouid. 3. Metamor.*

Excipiunt laticem Nipheq́;, Hypanisq́;, Rhanisq́;.

Nireus,(νιρεὺς) *Charopi & Aglaïæ filius, Græcorum omnium formoſiſsimus, quemadmodum Therſites omnium maximè deformis. Ouidius libro 4. de Ponto:*

Tam mala Therſiten prohibebat forma latêre,
Quàm pulchra Nireus conſpiciendus erat.

Niſus,(νῖσος) *Megarenſium rex fuit, purpureo capillo inſignis, à quo cùm regni ſui fatum pendêre noſſet, diligentiſsimè eum aſſeruabat. Verùm cùm poſtea Megarenſes unà cum Athenienſibus, inuidia correpti, Androgeon Minois filium, palæſtritem inſignem interfeciſſent, Minosq́; eam ob cauſam Megarenſibus bellum inferret, Scylla Niſi filia hoſtis amore correpta, patrem purpureo capillo ſpoliauit: unáq́; (ut erat in fatis) patriam hoſti tradidit. Quam rem tam iniquo animo tulit Niſus, ut doloris impatientia extabuerit, deorumq́; miſeratione mutatus ſit in haliæetum auem, ex genere accipitrum. Scylla autem cùm ſeſe præter ſpem à Minoë (quem patriæ proditione ſatis ſe demeruiſſe putabat) deſertam uideret, in Cirin auem criſtatam conuerſa eſt, cum qua haliæetus etiam hodie internecinum odium exercet. Vide latius hanc fabulam apud Ouidium 8. Metam.*

Niſyros,(νίσυρος Homero) *inſula eſt in mari Carpathio,*

thio,una Sporadum: quam Poëtæ fabuluntur olim Coo-adhæſiſſe, Neptuniq; ſceptro inde fuiſſe auulſam. Vide Strabonem libro 10.

Nixus,xi,(*ἐγγόνασις*) *ſidus eſt cœleſte, quod Iulius Firmicus Ingeniculum uocat.Cicero in Arato:*

Iam dextrum genus, & decoratam lumine ſura
Erigit,ille uagans uulgato nomine Nixus:
Quem nocte extinctum atque exortum uidimus una.

Et paulò pòſt:

Hic ille exoritur conuerſo corpore Nixus,
Aluum,crura,humeros,ſimul & præcordia luſtrans,
Et dextræ radios læto cum lumine iactans.

Hunc Hyginus Herculem eſſe ait,qui dextro genu nixus, ſiniſtro pede capitis Draconis dexteram partẽ opprimere conatur.

Noctiluca,(*νυκτολαμπὴς*) *Lunæ cognomen,quòd noctu luceat.Horat.4.Carm.Ode 6.*

Leſbium ſeruate pedem,meiq;
Pollicis ictum,
Ritè Latonæ puerum canentes,
Ritè creſcentem face Noctilucam,
Proſperam frugum,celeremq; pronos
Voluere menſes.

Nómades,(*νομάδες*) *Africæ populi, inter Zeugitanam regionem,& Mauritaniam ſiti,qui poſtea literis aliquot mutatis Numidæ appellati ſunt. Hos ſcribit Salluſtius ex Perſis ortum traxiſſe, qui Herculem in Hiſpaniam ſunt comitati:eoq; mortuo, in Africam traieciſſe, locaq; occupaſſe Oceano proxima, alueosq; nauium inuerſos pro tugarijs habuiſſe:deinde paulatim per connubia ſibi Gætulos miſcuiſſe:poſteaq; Numidiæ nomo propter multi-*

tudinem à parentibus digreſſos, poſſediſſe ea loca, quæ proxime Carthaginem Numidia appellatur. Hæc ille. Dicti ſunt autem Nomades, ἀπὸ τ̃ νέμειν, hoc eſt, à paſcendo, quòd paſtionibus præcipuè uacarent, herbisq; uno in loco depaſtis, papiliones ſuos curribus aliò tranſueherent. Verg. 4. Aeneid.

Te propter Libycæ gentes, Nomadumq́; tyranni
Infenſi odêre.

Sunt & alij Nomades in Scythia ſupra Mæotim, Agathyrſis & Baſilidis finitimi, quorum meminit Plinius lib. 4. cap. 12.

Nomentum, (νώμεντον Stephano) oppidum in Latio, non procul à Roma à Nomento conditore nomen habens. Vergil. 6. Aeneid.

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemq́; Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces.

Habuit autem urbs hæc colles uitiferos, uino non omnino peßimo nobilitatos. Martial. lib. 10.

Nomentana meum tibi dat uindemia Bacchum.
Si te Quintus amet, commodiora bibes.

Nómius, (νόμιος) Apollinis eſt cognomentum, inde tractum, quòd cœlo exulans (ut fabulantur poëtæ) Admeti regis pecus pauerit, ſiue (ut ſe habet rei ueritas) quòd Solis calore omnia hæc inferiora paſcantur & uegetentur.

Nonácris, (νώνακρις) mons eſt Arcadiæ, Stygem fontem ad radicem habens, cuius aquæ ob frigus immoderatū nullo neq; aureo, neq; argenteo uaſe, neq; æneo, neq; ferreo contineri poſſunt, neq; alia ulla re, quàm ungula mulina. Hinc Nonacrius, a, um. Ouid. 2. Faſt.

Et matri & uati paret Nonacrius heros.

Item Nonacrinus, a, um. Idem 1. de Arte:

Quid

Quid ſuit aſperius Nonacrina Atalanta.

Nóricum,(*νωρικία*) *regio eſt Germaniæ,quam nunc bona ex parte Bauariam appellant,habens ab Occaſu Aenũ fluuium, qui medius eſt inter Vindelicos & Noricos: à Septentrione Danubium:ab Ortu Solis montem Cecium, qui Pannoniam ſuperiorem diſterminat à Norico:à Meridie montem Curuancam, qui eſt ſupra Iſtriam. Hinc Noricus,a,um,*(*νωρικός.*) *Horatius lib.1.Carm.*

-Quas neq; Noricus
Deterret enſis.

Vergil.3. Georgic.

Tunc ſciat aërias Alpes,& Norica ſi quis
Caſtella in tumulis,&c.

Numa Pompílius,(*νουμᾶς πομπίλιος*) *ex Curibus Sabinorum urbe ortus,ſecundus à Romulo Romanorum rex,iuſtitia & pietate inſignis, qui pacatis finitimorum odijs, quò truces efferatósq; longa militia animos ad pacis artes traduceret, ad deorum cultum animum adiecit: primumq; ad infimum Argiletum Iani templum condidit, quod apertum bellum,clauſum pacem indicaret. Deinde Dialem, Martialem, & Quirinalem Flamines creauit: Salios item duodecim Marti aßignauit:uirgines Veſtales ſacrauit:Pontificem maximum primus declarauit:dies faſtos,nefaſtósq; condidit:annum in duodecim menſes diuiſit. Quæ omnia quò maiore apud imperitam plebem in ueneratione eſſent,ſimulauit ſibi cum Aegeria Nympha nocturnos congreſſus eſſe, eiusq; ſe monitu, quæ acceptißima Dijs eſſent,ſacra inſtituere.Poſtremò ubi maxima cum reuerentia & ſuorum, & finitimorum quadraginta annis regnaſſet, diem ſuam obijt. Vide Liuium libro primo ab urbe cond.*

Numántia, (νομαντία, ἢ νουμαντία Stephano) Celtiberorum inſignis fuit urbs: quæ cùm à Romanis fruſtra obſeſſa fuiſſet per annos quatuordecim : tandem ab Africano minore fame potius, quàm uiribus, eſt deleta. Cùm enim rerum omnium penuria laborarent, nec eis daretur iuſti certaminis copia, omnia ſua, & ſeipſos igni immiſerunt. Vide Florum lib. 2.

Numícius, (νουμίκιος) fluuius fuit in Latio, in quo repertum fuit cadauer Aeneæ, & in quo Anna ſoror Didûs ſeſe ſubmerſit. Hic poſtea decreuit, & in fontem redactus fuit, qui & ipſe poſtea exiccatus eſt, ſacris etiam Veſtæ (cui nõ niſi ex hoc fluuio libari fas erat) unà interceptis. Ouid. 3. Faſtor.

Corniger hanc tumidis rapuiſſe Numicius undis
Creditur. Vergil. 7. Aeneid.
-Hæc fontis ſtagna Numici.

Numídia, (νομαδικὴ) pars Aphricæ, inter Cæſarienſem Mauritaniam, & Carthaginienſem regionem, cuius populi à Latinis Numidæ, à Græcis Nomades (νομάδες) dicuntur, quaſi in paſcuis inter armenta degentes: ἀπὸ τοῦ νέμειν, quod eſt paſcere. Erat enim ea gens rei pecuariæ in primis ſtudioſa, & ob id ad lætiora pabula ſubinde magalia ſua transferebat: quemadmodũ & Hamaxobitæ, qui plauſtris domos ſuas circunferebant. Plinius libro 5. cap. 3. Numidæ uerò, Nomades, à permutãdis pabulis, mapalia ſua, hoc eſt, domos, plauſtris circunferentes. Hi à Vergil. libr. 4. Aeneid. Infræni Numidæ appellantur, quòd equos non fræno, quemadmodum nos conſueuimus, ſed uirgula duntaxat regerent.

Numitor, filius Procæ, Albanorum regis, quẽ Amulius frater minor natu regno pepulit, Lauſumq; filium eius interfe

interfecit, filiamq; eius Rheam Syluiam uirginem Veſtalem legit, ut ſub ſpecie honoris perpetua uirginitate ſpem partus ei adimeret. Verùm cùm illa ex Marte (ut Romani credi uoluerunt) grauida facta eſſet, ipſam quidem in Tiberis ripa uiuam defodit: pueros autem in fluuio mergi iußit: quos cùm in ſicco deſtitutos Fauſtulus inueniſſet, Accæ Laurentiæ uxori ſuæ educandos tradidit. Hi poſtea adulti Amulium interfecerunt, regnumq; auo ſuo Numitori reſtituerunt. Ouid. 2. Faſt.

Ilia cum Lauſo de Numitore ſati.

Núrſia, (νουρσία Ptolemæo) urbs antiqua Sabinorum, ex qua Q. Sertorius, uir rei militaris ſciëtißimus ortus eſt. Verg. 7. Aeneid.

- Quos frigida miſit
Nurſia, & Hortinæ claſſes, populiq; Latini.

Hinc Nurſinus, a, um, adiectiuum. Martialis lib. 13.

Nurſinas poteris parcius eſſe pilas.

Nyctélius, (νυκτέλιος) unum eſt ex Bacchi cognominibus, tractum ab eo quòd nocturno tempore eius ſacra celebrabantur, quæ Nyctelia (νυκτελεῖα) dicta ſunt. Oui. 4. Metamor.

Nycteliuſq;, Eleleuſq; parens, & Iacchus, & Euan.

Nycteus, (νυκτεὺς) Neptuni fuit filius ex Celæne Atlãtis filia, quem ex Amalthea Cretenſi Nympha Antiopam & Nyctimenen ſuſcepiſſe ferunt. Ex his Nyctimene fœdo patris amore capta, opera nutricis cum eo fertur concubuiſſe, tãdemq; agnita, cùm pater eam occidere uellet, Mineruæ miſeratione in noctuã eſſe conuerſam: ut latius eſt uidere apud Oui. 2. Meta. & infrà in dictione Nyctimene.

Nyctímene, (νυκτιμένη) filia Nyctei, ex Amalthea Cretenſi Nympha: quæ nephando patris ſui amore capta, o-

pera nutricis cum illo concubuit : tandemq́; agnita, cùm pater eam uellet occidere, fuga ſe ſubduxit : imploratoq́; Mineruæ auxilio, transformata eſt in auem ſui nominis, quæ à Latinis Noctua dicitur: Græci νυκτιμένην, et γλαῦκα appellant: quæ etiam nunc ſceleris ſui conſcia, lucem fugit, nec niſi noctu uolat. Ouid. 2. Metamor.

An quæ per totam res eſt notiſſima Leſbon,
Non audita tibi eſt, patrium temeraſſe cubile
Nyctimenen? auis illa quidem, ſed conſcia culpæ
Conſpectum lucemq́; fugit, tenebriſq́; pudorem
Celat, & à cunctis expellitur æthere toto.

Nymphæ, (*νύμφαι*) *aquarum deæ, quaſi lympharum numina: quamuis etiam latius Nymphæ nomen accipiatur pro montium deabus, quas Oreades uocant: & pro ijs, quæ arboribus & ſyluis putabantur præſidere, quas Dryades uocabant, & Hamadryades, & Napæas. Nymphæ Libetrhides, Muſæ dicũtur à Libethro Thraciæ monte Muſis conſecrato. Vergil. 7. Eclog.*

Nymphæ noſter amor Libethrides.

Nyſa, (*νύσα*) *urbs eſt in ea parte Arabiæ, quæ Aegypto contermina eſt, apud quam Bacchus ut (Diodoro placet) à Nymphis eſt educatus: unde & Dionyſius dictus eſt, ex Ioue & Nyſa cõflato uocabulo. Nyſa itẽ ciuitas eſt Indiæ, à Libero patre (ut Strabo refert lib. 15.) condita, ſub radicibus montis, quem incolæ Merum appellant. Plin. lib. 8. cap. 13. Nyſam Indiæ montẽ eſſe tradit, lacertas immenſæ magnitudinis alentem. Verg. 6. Aen.*

Liber agens celſo Nyſæ de uertice tigres.

Nyſeus, (*νυσεὺς*) *Bacchi cognomentum, à Nyſa urbe (ſiue ea Arabiæ ſt, ſiue Indiæ) impoſitum, in qua illum Nymphæ educarunt. Ouid. 4. Metamor.*

Addit

Additur his Nyſeus,*indetonſusq́;* Thyoneus.

O

OAxis (ὄαξις) *fluuius* Cretæ *inſulæ, ab* Oaxe *Apollinis filio ſic uocatus: unde & Oaxia tellus, Creta appellatur.* Verg. Eclog. 1.

Pars *Scythiam, & rapidum Cretæ ueniemus Oaxem.*

Oaxus, (ὄαξος) *ciuitas Cretæ, ab Oaxo Minois ex Acalli de filia nepote: uel à ſitu loci, quòd crepidines Græci Axos uocent.* Herodotus *quoq́; lib. 4. Oaxum urbem Cretæ facit, in qua Etearchus pater Phronimæ matris Batti regnauit, qui Cyrenen Libyæ urbem ædificauit.*

Ocálea, æ, *ſiue* Ocálee, es, (ὠκαλέη) *Bœotiæ oppidum eſt, cuius meminit* Homerus *in Catalogo nauium:*

Ὠκαλέην, μεδέωνα τ', εὐκτίμενον πτολίεθρον.

Occaſio, *à Poëtis Dea fingitur, rerum gerendarum opportunitati præſidens, Græci* καιρὸν *apellant, Deumq́;, quàm Deã, facere maluerũt. Huius ſimulacrũ ita fingebatur, ut pẽnatis pedibus uolubili rotæ inſiſteret, uertigine quadã uelociſsima ſe in orbem circumagens, priore capitis parte capilloſa, poſteriore glabra. Quo cõmento occaſionis breuitatem, & inconſtantiã uoluerunt denotare, quæ niſi, cùm primùm ſeſe offerat, arripiatur, ſtatim elabitur è manibus: nihilq́; nobis remanet, præter Pœnitentiam, quæ perpetua Occaſionis fingitur eſſe comes. De Occaſionis effigie extat elegans Epigramma apud Auſonium, quod quoniam dignum uiſum eſt, quod non tantùm ibi legeretur, hîc etiam adſcripſimus:*

Cuius opus? Phidiæ, qui ſignum Pallados eius,
Quiq́; Iouem fecit: tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quæ rara, & paucis Occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? Stare loco nequeo.

Quid talaria habes? Volucris ſum: Mercurius quæ
Fortunare ſolet, trado ego cùm uolui.
Crine tegis faciem. Cognoſci nolo. Sed heus tu
Occipiti caluo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi. Dic rogo quæ ſis?
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea, quæ facti, non factiq; exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat: ſic Metanœa uocor.
Tu modò dic quid agat tecum. Siquando uolaui,
Hæc manet: hanc retinent, quos ego præterij.
Tu quoque dum rogitas, dum percontando moraris,
Elapſam dices me tibi de manibus.

Océanus, (ὠκεανὸς) *Cœli & Veſtæ filius, maris Deus, maritus Tethyos, fluuiorum fontiumq; omnium pater. Vergil. 4. Georg.*

Oceanumq; patrem rerum, Nymphasq; ſorores.

Propriè tamē Oceani nomine intelligimus, uaſtiſsimū illud mare, quo uniuerſus ambitur terrarū orbis. Idem 1. Aen.

Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris.

Hinc deducitur patronymicum fœmininum Oceanitis, idis. Idem 4. Georg.

Clioq;, & Beroë ſoror, Oceanitides ambæ.

Ocnus, (ὄκνος) *Tiberis filius fuit ex Manto muliere fatidica, Tireſiæ Thebani filia, qui in regione Tranſpadana urbem condidit, & à nomine matris Mantuam appellauit. Vergilius 10. Aen.*

Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantus, & Tuſci filius amnis,
Qui muros, matrisq; dedit tibi Mantua nomen.

Eſt etiam Ocnus nomen cuiuſdam apud inferos, multis inſignium artificum picturis celebrati, quem effinxerunt

perpetuò

perpetuò torquentem funem, aſtante aſella, quæ quantum ille torſiſſet, ſtatim præroderet. Inde *ortum eſt prouerbium,* Ocnus *funiculum torquet: quod cùm in eos omnes competat, qui non profuturam in re aliqua operam collocant, tum in eos præcipuè, qui cùm nihil neq; laboris, neq; induſtriæ ad augendam rem familiarem prætermittant, nihilo tamen redduntur ditiores, quòd domi habeãt aſellam, hoc eſt, uxorem prodigã, quæ quicquid miſellus multis ſudoribus corraſit, ſtrenue profundit.* Ad *hanc pi cturam alludit* Proper.*lib.* 4.Eleg.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternumq; tuam paſcat aſella famem.

Ocypete, (ὠκυπέτη) *una* Harpyiarum, *à celeri uolatu nomen habens.* Sorores *habuit* Aëllo, & Celæno, *cum quibus* Strophadas *inſulas fertur incoluiſſe, ut latius ſuprà docuimus in dictione* Harpyia.

Ocyrhoë, (ὠκυρόη) Nympha *fuit,* Chironis Centauri & Chariclûs Nymphæ *filia, ita dicta à celeriter fluẽdo.* Oui. 2. *Metamorph.*

–Quam quondam nympha Chariclo
Fluminis in rapidi ripis enixa uocauit Ocyrhoën.

Odítes, (ὀδίτης) *unus ex* Centauris, Ixionis *ex* Nube *filius, à* Mopſo *interfectus in nuptijs* Pirithoi. Oui. 12. Met.
Occubuit, fruſtraq; loqui tentauit Odites.

Odryſæ, (ὀδρύσαι) *populi ſunt* Thraciæ, *teſte* Plin. *lib.* 4. *cap.* 11. *quorum olim ampliſs imum fuit regnum, ab* Abderis Thraciæ *urbe uſq; ad* Pontum Euxinum, & Iſtrum *fluuium extenſum.* Vide Thucydidem *libro* 2.

Oeagrus, (οἴαγρος) *pater fuit* Orphei, *à quò* Hebrus *fluuius* Oeagrius *cognominatur, epitheto ſatis longè petito, ab* Orpheo *nimirum* Oeagri *filio, quem cùm* Cico-

num

num matronæ diſcerpſiſſent,caput eius in Hebrum *fluui-um proiècerunt.* Verg. 4. Georg.

Tum quoque marmorea caput à ceruice reuulſum
Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus, *&c.*

Oebalia, (οἰβαλία) regio Pelopõneſi, Laconiæ *pars: ita dicta ab* Oebalo Arguli *filio,* Lacedæmoniorũ *rege.* Hinc Oebalius, *a, um,* (οἰβάλιος.) *Stat.* 1. Achill.

Soluerat Oebalio *claſſem de littore paſtor*
Dardanus.

Agri quoque Tarentini *tractum* Poëtæ *nonnunquam* Oebaliam *appellant, reſpicientes nimirum ad urbis eius originem, quæ à* Lacedæmonijs *condita putatur.* Vergil. 4. Georg.

Nanq; ſub Oebaliæ *memini me turribus altis*
Corycium *uidiſſe ſenem.*

Ab Oebalia Laconiæ *regiuncula* Caſtor *&* Pollux Oebalidæ *dicuntur.* Ouid. 5. Faſt.

Effugere Oebalidæ *curſu potuere ſequentes.*

Oechália, (οἰχαλία) *urbs* Bœotiæ, Euryti *regia, ab* Oechaleo *fluuio eam præterfluente ita dicta.* Hanc Hercules *funditus euertit, cùm* Eurytus, *pactam ipſi certaminis lege filiam tradere recuſaſſet, ut refert* Homeri interpres lib. 5. Iliad. Verg. 8. Aeneid.

Vt bello egregias idem diſiecerit urbes
Troiamq;, Oechaliamq;.

Fuit & alia eiuſdem nominis urbs in tractu Meſſeniaco: *cuius meminit* Plinius *lib.* 4. *cap.* 9. *Item alia in* Eubœa *inſula, poſteà* Chalcis *dicta, teſte eodem* Plinio *libro quarto, capite* 12.

Oédipus, (οἰδίπους) Laij Thebanorum *regis, &* Iocaſtæ *filius, quem pater, cùm ex* Apollinis *oraculo futurum intellex*

tellexiſſet, ut à filio occideretur, paſtori occidendum tradidit: qui miſericordia commotus, cùm inuitus regiæ ſtirpi manus inferret, neq; tamen regis imperium auderet detrectare, perforatis gladio plantis, uimineq; traiecto, ex arbore ſuſpendit, futurum putans, ut ita inedia moreretur. Cæterùm cùm Phorbas Polybij *Corinthiorum regis paſtor illàc iter faceret, audito uagitu, eò accurrens, puerum ſeruauit, reginæ'que, quæ liberis carebat, magni muneris loco obtulit: à qua, ueluti puer cœlitus miſſus, filij loco eſt educatus, & à pedibus ex uulnere tumentibus,* Oedipus *eſt appellatus. Grandior deinde natu factus, cùm forte* Thebas *ueniſſet,* Laium *patrem ſuum imprudens in turba occîdit,* Iocaſtamq́; *matrem duxit uxorem.* Poſtea *uerò re cognita, tantorumq́; à ſe ſcelerum pœnam repetens, utrunq; ſibi eruit oculum,* Athenasq; *in uoluntarium conceßit exilium. Declinatur autem* Oedipus, *odis, per tertiam declinationem: uel* Oedipus, Oedipi, *per ſecundam: ut apud* Plau. *in* Pœn. Oedipo *eſt coniectore opus, qui* Sphingi *interpres fuit. Pro eodem etiam legimus* Oedipodes, *æ, per primam declinat.* Stat. *libro* 1. Thebaid.

Oedipodæ confuſa domus.

Oeneus, (οἰνεὺς) *Calydoniæ rex fuit, filius* Parthaonis, *qui ex* Althæa Theſtij *filia* Meleagrum, Tydeũ, & Deianiram *genuit,* Herculis *poſtea uxorem. Hic cùm* Dianam *in ſacrificijs ſuis per contemptum præterijſſet, indignata* Dea, *miræ magnitudinis aprum ei immiſit, qui regionem uniuerſam latiſsimè deuaſtauit, donec* Meleager *collecto iuuentutis flore eum interfecit. Refertur latius hæc fabula ab* Ouidio *lib. 8.* Metamor.

Oenomâus, (οἰνόμαος) *Hippodamiæ pater,* Elidis *rex,*

& Piſæ,

& Piſæ, ex Marte & Harpina Aſopi, ſeu, ut alij tradunt, Eurythoë Danai filia progenitus, qui cùm ex oraculo ſe à genero interfectũ iri didiciſſet, & illa tamen à multis procis ob formæ præſtantiam ambiretur, curule certamen procis propoſuit, ea lege, ut filia uictori in matrimonium cederet, uictus mortem ſubiret. Tredecim igitur uictis & occiſis, Pelops Tantali filius amore eius captus, Myrtilum eius aurigam pretio corrupit, ut axes infirmos & fragiles currui ſubiungeret. Quo facto, Oenomaus unà cum curru corruit, membriſq; omnibus ea ruina colliſis, iamq; morti uicinus, Pelopen precatus eſt, ut uicem ſuam ulciſceretur. Quare cùm Myrtilus pactum ſibi perfidiæ præmium à Pelope contumelioſius exigeret, ab eodem in mare eſt præcipitatus: eoq; modo & puella & regno potitus Pelops, totam Cherroneſum de nomine ſuo Peloponneſum appellauit.

Oenóne, (οἰνώνη) Nympha fuit Idæa mutuo amore Paridis capta, cùm ille adhuc incognitus, circa Idam Phrygiæ pecus paſceret. Hæc mulier fatidica fuiſſe fertur, Paridiq; in Græciam nauiganti prædixiſſe futurum, ut inde patriæ incendium ſecum referret. Extat Epiſtola Oenones ad Paridem inter Ouidianas, qua illum ad ſui amorem conatur reuocare. Autor eſt Dictys Cretenſis, Paridis interempti cadauer ad Oenonen fuiſſe relatũ, ut ab illa ſepulturæ mandaretur: illam uerò priſtini amoris recordatione ad primum ſtatim cadaueris conſpectum mortuam concidiſſe, eodemq; cum illo funere ſepultam fuiſſe.

Oenótria, (οἰνοτρία) Italiæ pars maritima, à freto Siculo ad Tarentinum uſq;, & Poſidoniaten ſinum extenſa: à præſtantia uini (quod οἶνον Græci uocant) nomen ſortita: quanquam temporis proceſſu id nominis uniuer-

ſæ

ſæ Italiæ ſit communicatum: ut eſt autor Strabo libro 5. Huius incolæ Oenotrij dicuntur. Verg. 1. Aeneid.

Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt:
Oenotrij coluere uiri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine gentem.

Oeta, (οἴτη) mons in finibus Theſſaliæ, Doridi à tergo incumbens, morte & ſepulcro Herculis nobilitatus: unde factum eſt nomen Tragœdiæ Senecæ, quæ Hercules Oetæus inſcribitur. Ouid. 9. Metamor.

Impleuitq; ſuis nemoroſam uocibus Oetam.

Ogyges, (ὠγύγης) Thebanorũ rex, qui Thebas Bœotias condidit, circiter mille & quingentos annos ante urbem conditã. Sub hoc rege fuit diluuiũ magnũ, teſte Auguſtino de Ciuitate Dei, non illud quidẽ maximum, quod Noë tẽporibus contigiſſe ſacræ literæ teſtãtur: ſed tamen maius eo, quod Deucalionis ſeculo bonã terræ partẽ inũdauit. Hinc Ogygius, a, um: ut, Thebæ Ogygiæ. Autor carminis de Aetna, quod Vergilio à quibuſdã adſcribitur:

Nunc iuuat Ogygijs ciircundata mœnia Thebis &c.

Ogygia, (ὠγυγία) inſula inter Phœniciũ & Syriacũ mare, ab Ogyge Thebanorũ rege, qui in ea regnauit, appellata: Calypsûs Nymphæ ſedes, quæ Vlyſſem tẽpeſtate eo adactum hoſpitio & lecto excepit, eiusq; amore capta, ſeptẽ annos apud ſe detinuit, tandemq; Ioue iubente eum dimiſit: ut latius eſt uidere apud Homer. lib. 1. Odyß.

Ogyris, (ὤγυρις) inſula eſt ante felicem Arabiam, Erythræi regis monumento nobilitata. Autor Plinius lib. 6. cap. 28. Rufus ex Dionyſio:

Ogyris inde ſalo promit caput, aſpera rupes
Carmanidis, quà ſe pelagi procul inuehit undis
Regis Erithræi tellus, &c.

Oïcles,(ὠϊκλῆς) *filius fuit Antiphatis, Melampodis filij, & pater Amphiarai, uatis Argiui, teſte* Homero *lib. 15. Odyßeæ.*

Oïleus, (ὀϊλεὺς) Locrorum *rex fuit, & pater Aiacis, quē ab illius nomine Vergil. Oïleum cognominat Aen. libro primo,*

Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oïlei.

Olenus,(ὤλενος) *oppidum Achaïæ propriè dictæ, non procul à* Patris *&* Araxo *promontorio: ubi Iouem Amaltheæ capræ lacte, quæ inde Olenia dicta eſt, educatum ferunt. Ouid. 5. Faſt.*

Naſcitur Oleniæ ſignum pluuiale Capellæ.

Oliaros,(ὠλίαρος) *maris Aegæi inſula eſt, una Cycladum: de qua Verg. 3. Aeneid.*

Oliarum, niueamq́; Paron, &c.

Olympia, orum,(ὀλύμπια) *ludi ab Hercule inſtituti in honorem Iouis, circa Olympiam Eleæ regionis urbē: à qua & nomen habent. Hercules enim Augea Elidis rege ſuperato, repurgatoq́; eius ſtabulo, in campis Olympiæ uicinis iuxta Alpheum fluuium, ſacrum certamen inſtituit, quod quinto quoque anno, uel (ut Lycophronis interpres aſſerit) quinquageſimo menſe celebraretur: idq́; eo conſilio, ut in illo certamine Græciæ iuuentus ſeſe pentathlo, ſiue quinquertio exerceret, cæſtibus ſcilicet, curſu, ſaltu, diſco, & palæſtra: ijsq́; ueluti meditationibus uero certamini præluderet. Huic certamini quinto die finis imponebatur: & uictor, qui Olympionices uocabatur, oleaſtro, uel, ut Ariſtoteli placet, olea, quæ philoſtephanos dicitur, coronabatur: tantumq́; ei honoris habebatur, ut non per portas urbis, ſed per ruinas murorum, ſublimis in curru in patriam reueheretur.* Horat. 1.

Epiſt

Epiſtolarum primo,

Quis circum pagos, & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia.

Hinc Olympiacus,a,um. Verg.3.Georg.

Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ
Paſcit equos.

Item Olympicus,a,um. Horat.1.Carm.Ode 1.

Sunt, quos curriculo puluerem Olympicum
Collegiſſe iuuat.

Olympus, (ὄλυμπος) *mons editißimus, in ea parte Theſſaliæ, quæ in Macedoniam uergit, cuius uertex uſqueadeo attollitur, ut nubes penetrare, cœlumq́; ipſum attingere credatur. Quo factum eſt, ut Olympum Poëtæ pro ipſo accipiant cœlo.* Luca.lib.2.

-Nubes excedit Olympus.

Dictus Olympus, quaſi ὅλος λαμπρὸς, eò quòd claros habeat ſolares radios, nulliſq́; omnino nubibus offuſcetur. Sunt & alij eiuſdem nominis montes, quos quoniam ad noſtrum inſtitutum magnopere non attinent, ex Geographis petendos relinquimus.

Olynthus, (ὄλυνθος) *urbs Thraciæ, Macedoniæ contermina, Athenienſium olim ſocia, quam cùm Philippus Amyntæ filius diu fruſtra obſediſſet, præſidium pecunia corrupit, eaq́; ratione ditioni ſuæ eam ſubiecit.* Iuuenal. *Satyra 12.*

Adde & Baſcandas, & mille eſcaria, multum
Cælati, biberat quo callidus emptor Olynthi.

Omphale, (ὀμφάλη) *Lydiæ regina fuit, quæ Herculem amore ſui captum ad lanificium compulit, cùm ipſa calathum & colum, cultusq́; fœmineos, ſagittis & claua, leoniſq́; tegmine mutaſſet. Non deſunt tamen, qui Hercu-*

lem ob Iphiti Euryti regis filij cædem, à Mercurio iuſſu Iouis Omphalæ in ſeruitutem uenditũ tradant, & inde eſſe, quòd illi ſeruiſſe, & calathos ſubminiſtraſſe dicatur.

Oncheſtus, (ὀγχηστὸς) Bœotiæ urbs eſt, non procul à lacu Copaide, ubi Amphyctionum concilium cogi ſolet, teſte Strabone lib. 9. Condita putatur ab Oncheſto heroë, Neptuni filio, & ab eo nomen accepiſſe. Meminit huius urbis & Homerus in nauium Catalogo.

Opheltes, (ὀφέλτης) filius fuit Lycurgi regis Nemeæ, & alumnus Hypſipyles, alio nomine Archemorus appellatus: quem cùm nutrix Argiuis Langiam fontem indicatura, in gramine depoſuiſſet, ſerpens ex proximis uirgultis arrepens, eum interemit. In cuius honorem Argiui Nemeæa certamina inſtituerunt: quorum uictores apio coronabantur. Vide Statium 5. & 6. Thebaid.

Ophiúchus, (ὀφιοῦχος) ſidus eſt cœleſte, ſtellarũ ſedecim, quod Poëtarum Latinorum nõnulli uerbum uerbo reddentes, Anguitenentem appellarunt. Qui Aſtronomicum poëticum conſcripſerunt, Herculem eſſe putant, qui adhuc in cunis uagiens, angues à Iunone immiſſos manibus præfocauit.

Ophiûſa, (ὀφιοῦσα) inſula eſt in mari Baleárico, teſte Ptolemæo, ex duabus Pityuſis minor (nam maior Ebuſus dicitur) propter ſerpentum copiam inculta: unde & Colubraria à Latinis appellatur. Rhodus quoq; inſula, aliquando propter ſerpentum copiam Ophiuſa dicta fuit: ut tradit Strabo lib. 14. Hinc Ophiuſius, a, um: ut, Ophiuſia arua. Ouid. 10. Metamor.

> Ipſa ſuas urbes, Ophiuſiaq; arua parabat
> Deſerere alma Venus.

Opis, (ὦπις) nympha Dianæ comes, de qua Verg. libr. 11:

Velo

Velocem interea ſuperis in ſedibus Opin
Compellabat.

Vbi prima producitur,cùm in Opis *ab* Ops *corripiatur.*

Ops,Opis, *filia Cœli ex Veſta, & ſoror, & coniux Saturni, quæ &* Ῥέα *dicitur Græco uocabulo,* ἀπὸ τ̃ ῥεῖν, *quod eſt fluere : propterea quòd terra rebus omnibus affluat.* Eadem *Cybele appellatur, uel à monte atq; oppido* Phrygiæ *Cybelo, ubi ſacra eius primò inſtituta ſunt: uel* ἀπὸ τῶν κυμβάλων, *quibus in ſacris eius utebantur ſacerdotes.* Ops *autem idcirco dicta putatur, quòd terræ ope uita hominum ſuſtentetur. Vel ab antiquo adiectiuo* Ops, *quo ueteres pro diuite utebantur, quemadmodum contrà inopem dicimus pauperem & egenum. Veteres enim,quorum opes præcipuè in re pecuaria,& agricultura conſiſtebant, terram huiuſmodi opum largitricem diuinis proſecuti ſunt honoribus,* Opemq;*, hoc eſt, opulentam nuncupauere.*

Opus,untis,(ὀπόεις, ὗς) *ciuitas* Locrorum Epicnemidiorum,*non procul ab* Aſopo *fluuio.* Ouidius *libro* 1. *de* Ponto,

Facta cæde puer Patroclus Opunta *reliquit.*

Hinc Opuntij *populi dicuntur,*(ὀπόεισιοι,καὶ ὀπȣ́ντιοι)*& propinquus ſinus* Opuntius.

Orcades,(ὀρκάδες Ptolemæo) *inſulæ* Oceani Septentrionalis,*ultra* Britanniam, Aquilonem *ſpectantes, numero triginta,ſecundùm* Pomponium, *parum inter ſe diſtantes.*Iuuenal.*Sat.*5.

–Arma quid ultra
Littora Iuuernæ *promouimus,& modò captas*
Orcadas,*& minima contentos nocte* Britannos.

Orchamus,(ὄρχαμος) *Aſſyriorũ rex fuit, qui* Leuco=

theam filiam ab Apolline *uitiatam uiuam defodit. Vide fabulam apud* Ouidium *lib.* 4. *Metam. & ſuprà in dictione* Leucothoë.

Orchómenus, (ὀρχόμενος) *Theſſaliæ fluuius, antea Minyëus appellatus, teſte* Plinio *lib.* 4. *cap.* 8. Orchomenus *item, ſiue* Orchomenum, *Theſſaliæ oppidum eſt, ad ſui nominis fluuium ſitum, olim potentiſſimum, utpote cui &* Thebani *aliquando tributum pependerint (ut teſtatur* Strabo *lib.* 9.) *præſertim ſub* Eteocle *tyranno, qui primus* Gratijs *templum extruxit.*

Orcus, (ᾅδης) *à ueteribus inferorum deus eſt exiſtimatus. quem &* Plutonem *&* Ditem *patrem uocabant.* Cicero 6. *Verr.* Hic *dolor erat tantus, ut* Verres, *alter* Orcus *ueniſſe* Ennam, *& non* Proſerpinam *aſportaſſe, ſed ipſam abripuiſſe* Cererem *uideretur. Aliquando tamen figurate pro ipſo inferorum loco ponitur: unde à* Propertio *lib.* 3. Elegiarum Minos *uocatur arbiter* Orci, *quaſi inferorum iudex & moderator.* Plautus *in* Aſinar. Bene *uale: apud* Orcum *te uidebo.* Homerus 2. Iliad. *indicat* Orcum *Theſſaliæ fluuium eſſe, è* Stygia *palude profluentem, aquis adeò pinguibus, ut* Peneo *fluuio, in quem illabitur, olei in modum ſupernatet.* Hinc *factus eſt locus fabulæ, ut* Orcus *inferorum fluuius eſſe dicatur, cuius apud deos ſanctiſſimum ſemper habitum ſit iuramentum.* Feſtus Orcum *ab urgendo dictum putat, quòd ad mortem homines urgeat.* Alij ἀπὸ τοῦ ὅρκου, *hoc eſt, à iuramẽto, dictũ malũt, quòd nullum iuramentum apud ſuperos firmius eſſet, aut religioſius, quàm cùm per* Stygiam *paludem iurabãt, aut per* Orcum *fluuium, qui ex* Styge *profluit.*

Oréades, (ὀρεάδες, ἢ ὀρειάδες) *montium* Nymphæ. Nam ὄρος *Græcis montem ſignificat.* Vergil. 1. Aeneid.

Exerce

Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ
Hinc atq; hinc glomerantur Oreades.

Oreſítrophus, (ὀρεσίτροφος) *unus ex canibus Actæonis, ita dictus ἀπὸ τῶν ὀρέων, καὶ τρέφειν, quaſi in montibus educatus. Ouid. 3. Metamorph.*

Prima Melanchætes in tergo uulnera fecit,
Proxima Theridamas: Oreſitrophus hæſit in armo.

Oréſtes, (ὀρέστης) *Agamemnonis, & Clytæmneſtræ filius, ſic appellatus, ob ferinam atque agreſtem, & quaſi montanam naturam: cui ſoror Electra necem parari ab Aegiſtho, qui patrem Agamemnona interfecerat, matremq; conſtuprauerat, præuidẽs, ipſum per pædagogum in Phocidem clàm ablegat ad Strophium Phocẽſium principem, qui Agamemnonis ſororem duxerat. Illic* XII. *annos moratus, cum pædagogo ſuo Argos rediјt: ubi ſub ſpecie hoſpitum Phocenſium, quos Strophius miſerat, ut Oreſtis obitum nuntiarent, intromiſſus ad Clytæmneſtram, eandem cum Aegiſtho adultero conſcia Electra in ultionem patris occîdit, ut ſcribit Sophocles in Electra, & Euripides in Oreſte. Deinde Pyrrhum quoq; Macarei ſacerdotis ope in Apollinis templo interficit, eò quòd Hermionen Menelai filiam, ſibi prius deſponſatam, rapuiſſet. Propter quæ ſcelera agitatus eſt furijs, quibus non antè purgari potuit, quàm ad aram Dianæ Tauricæ, illuc à Pylade perductus, perpetrata facinora expiaſſet: ut latius docuimus ſuprà in dictione Iphigenia. Amicũ habuit Pyladem, perpetuum omnium ſuarum profectionum comitem, periculorumq; omnium ſocium, cum quo tam ſanctè amicitiam coluit, ut alter pro altero mori non recuſarit. Cicer. de Amic. Qui clamores tota cauea nuper in hoſpitis & amici mei Pacuuij fuerunt noua fabula, cùm ignorante rege,*

L 3 uter

uter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, ut pro illo necaretur: Oreſtes autem, ita ut erat, Oreſtem ſe eſſe perſeueraret.

Orétæ, (ὀρέιται) gens Indica, *poſt Arbim fluuium Ariano rum, non Indorum, ſed peculiari ſua lingua utentes. Lucanus libro 3.*

Tum *furor extremos mouit* Romanus Oretas.

Orgia, orum, (ὄργια) *apud* Græcos, *teſte Seruio, primum dicta fuerunt quæuis ſacra.* Erat *enim Orgiorum appellatio generalis, quemadmodum apud* Latinos Cæremo *niarum. Poſtea tamen abuſiuè factum eſt, ut peculiariter hoc nomine Liberi patris ſacra nominarentur,* ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *hoc eſt, à furore, ut quidam putant, quòd hæc præcipuè ſacra à mulieribus furore correptis celebrarentur: uel* ἀπὸ τῶν ὀρέων, *hoc eſt, à montibus, in quibus potiſſimùm fiebant, idq́; tertio quoq; anno: unde Trieterica dicta ſunt, id eſt, triennalia.* Verg. 4. Aeneid.

–*Vbi audito ſtimulant* Trieterica Baccho
Orgia.

Oricos, *ſiue* Oricum, (ὠρικὸς) *ciuitas* Epiri, *à Colchis condita, in confinibus* Macedoniæ, *teſte* Plinio *lib. 3. cap. 23. iuxta quam naſcitur terebinthus, nigrum lignum habens, & ſolidũ in buxi ſpeciem.* Vnde *Oricia terebinthus, apud* Verg. 10. Aeneid.

–*Aut quale per artem*
Incluſum *buxo, aut* Oricia *terebintho*
Lucet *ebur.*

De *hac &* Lucan. *lib. 3.*

Tunc *qui* Dardaniam *tenet* Oricon, *& uagus altis*
Diſperſus *ſyluis* Athamas, *&c.*

Orion, onis, (ὠρίων) Iouis, Neptuni, *&* Mercurij *filius,*

ex

ex urina procreatus: de cuius ortu ſic fabulantur poëtæ: tres hoſce Deos, *cùm terras peragrarent, ſuperueniente nocte ad pauperem quendam,* Hyreum *nomine, diuertiſſe: qui cùm benignè eos hoſpitio excepiſſet, bouemq́; , quem unicum habebat, ijs mactaſſet,* Iouē *hominis pietatem admiratum, optionem ei feciſſe petendi, quicquid uellet: cūq́; ille reſpondiſſet, ſe nihil æquè cupere, ac filium, uxorem tamen ducere nolle, quòd defunctæ coniugi fidem dediſſet, cœlibem ſe in poſterum uitam acturum:* Deos *hoſpitis ſui uotis obſequentes, in bouis paulò antè immolati tergus lotium reddidiſſe, iuſſiſſeq́; ut id terra obrueret, nec ante legitimum tempus retegeret: itaq; decimo tandem menſe puerum natum eſſe, quem à re ipſa* Vrionem *uocauit, qui deinde literæ unius mutatione dictus eſt* Orion. Hic *poſtea adultus, ſtrenuus uenator extitit,* Dianæq́; *adhæſit.* Verùm *cùm corporis robori plus ſatis fidens, iactitaret nullā eſſe feram, quam conficere non poſſet,* Terra *hominis inſolentiam non ferens, ſcorpionem peperit, cuius ictu* Orion *interijt.* Diana *autem comitis ſui necem ægrè ferens, in cœlum eum tranſtulit, & iuxta* Tauri *ſydus conſtituit.* Contrà *tamen* Lucanus *ſcorpionem hunc à* Diana *immiſſum tradit, aliorumq́; deorū miſeratione in cœlū fuiſſe trāſlatum.* Horatius *autem* Dianæ *eum uim inferre uoluiſſe tradit, ideoq́; telis eius confoſſum occubuiſſe. Conſtat autem* Orionis *ſidus ſtellis omnino ſedecim, quarum tres in capite ſitæ ſunt, in utroque humero ſingulæ, in cubito dextro una, in manu una, in zona tres, in gladio item tres, ſed obſcuriores, in utroq; genu ſingulæ lucidæ, in pedibus quoq; ſingulæ, ſed obſcuræ.* Creditur *autem hoc ſidus exortu ſuo maximas cōcitare tempeſtates: unde* Nimboſum Orionem *appellat* Verg. 1. Aeneid.

Cum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion.

Apud Catul.de Coma Berenices,legitur nominat. **Oarion:**

Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.

Orithyia,(ὠρειθύια Homero) *filia fuit Erichthei Athenarũ regis,quam cùm Boreas adamaret,neq; bona cũ gratia nuptias eius poſſet impetrare, ui eam rapuit, raptamq; tulit in Thraciam, & ex ea Zethen & Calain ſuſcepit, qui cum Argonautis in Colchos nauigauerunt, & Harpyias fugauerunt:ut latius docuimus ſuprà in dictione Calais.Proper.li. 2.*

Iam Pandioniæ ceſſet genus Orithyiæ.

Dicta autẽ putatur Orithyia,ab eo quòd in mõtibus malefica ſua ſacra ſoleat peragere. & quamuis ἀπὸ τοῦ ὄρεος *deduci putetur,quod per o paruũ ſcribitur, tamen propter tot breuium ſyllabarum concurſum o, mutatur in* ω.

Ornêus,ei,(ὀρνειὸς) *unus ex Centauris,Ixionis & Nubis filius.Ouid.12.Metam.*

Fugit & Ornêus,Lycabaſq;,& ſaucius armo
Dexteriore Medon.

Orontes,(ὀρόντης) *fluuius eſt Cœloſyriæ, qui nõ procul à Seleucia Pieria,& Libano monte naſcens,deinde terra abſorptus, rurſus emergit in agro Apameno, & præter Antiochiam flueus,in mare Seleuciæ proximum defertur. Dictus Orontes de nomine eius, qui primus ponte eum conſtrauit,cùm antea Tryphon diceretur,teſte Strabone libro 14. Ouidius libro 2.Metamor.*

Arſit & Euphrates Babylonius, arſit Orontes.

Hinc Orontêus,a,um,(ὀρόντειος.)*Propertius lib.1.*

Aut quid Orontea crinem perfundere myrrha,&c.

Fuit item Orontes, Lyciorum dux in bello Troiano,qui capto Ilio cum Aenea in Italiam nauigans, naufragio perijt.

rijt. Vergil. 1. Aeneid.

Vnam, quæ Lycios, fidumq́; uehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens à uertice pontus
In puppim ferit. *Idem libro 6.*
Cernit ibi mœſtos, & mortis honore carentes
Leucaſpim, & Lyciæ ductorem claßis Orontem.

Orpheus, (ὀρφεὺς) *Muſicus, & Poëta inſignis, genere Thrax, Calliopes & Apollinis filius, quanquam non deſunt, qui Oeagri filium faciant, quem à Mercurio, ſiue ut alij habent, à patre Apolline lyram accepiſſe ferunt, eaq́; tãtum ualuiſſe, ut illius cantu ſyluas & ſaxa mouerit, fluuiorum curſum inhibuerit, ferasq́; mitiores reddiderit. Euridicen uxorem habuit, quæ Ariſtæum uim ſibi inferre uolentem fugiens, à ſerpente occiſa eſt. Cuius mortẽ ægerrimè ferens Orpheus, accepta lyra ad inferos deſcendit, Plutonemq́; & Proſerpinam ſuo carmine tantopere demulſit, ut Eurydicen ſibi reſtituerent, id tamen ea lege, ne ante eam, quàm ad ſuperos perueniſſet, intueretur. Quam legem cùm ille amoris impotentia eſſet præuaricatus, Eurydice rurſus ad inferos retracta eſt. Quã iacturã ægre ferens Orpheus, cœlibem deinde uitam agere ſtatuit, cumq́; iam multas nuptias reieciſſet, aliosq́; inſuper à mulierum conſortio deterreret, atq; in puerorum amores pelliceret, à Mænadibus inter Bacchi ſacrificia iuxta Hebrum fluuium occiſus, & diſcerptus eſt: cuius membra paßim per agros ſparſa Muſæ collegerunt, dederuntq́; ea ſepulturæ: lyra uerò & caput in Hebrum deiecta, ad Leſbon inſulam delata ſunt, ubi caput ab incolis ſepulturæ mandatum eſt, lyra autem in cœlum aſſumpta. Vergil. Eclog. 4.*

Nõ me carminibus uincet nec Thracius Orpheus &c.

Orphnæus, (ὀρφναῖος) *unus ex equis Plutonis, à tene-*

bris nomẽ habens. Claudianus li.1. de Raptu Proſerpinæ,

Orphnæus crudele micans, Aethonq́; ſagitta
Ocyor, & Stygij ſublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditisq́; nota ſignatus Alaſtor.

Orsílochus, (ὀρσίλοχος) *filius fuit Idomenei, qui patrẽ ſecutus ad expeditionem Troianam, cùm per totum bellum ex uoto omnia ei ſucceßiſſent, in exitu rei ob inſolẽtiam, dum obſtaret totis uiribus, ne ex præda capti Ilij ſors debita daretur Vlyßi, ab eo occiſus eſt.*

Ortygia, (ὀρτυγία, δῆλος) *inſula in mari Aegæo, omniũ Cycladum clarißima, Apollinis alumna, templo & mercatu nobilis. Dicta Ortygia ab Aſterie Latonæ ſorore, primùm in coturnicem, quam Græci ὄρτυγα uocant, & deinde in hanc inſulam commutata. Nicander, ab Ortygia oppido dictam putat. Vergil.3. Aeneid.*

Linquimus Ortygiæ portum.

Hæc etiam dicta eſt Delos, (ut docet Ariſtoteles) quòd cùm antea ſub aquis merſa eſſet, Latonæ ſorori ſuæ tutum pariendi locum quærenti ſubitò ſe oſtẽderit: nam δηλόω, oſtẽdo ſignificat. Ab aliquibus præterea Pyrpile nominatur, ab igne ibi primùm reperto: ab alijs Cynthia, ab alijs Aſteria, ab alijs Cynætus, teſte Plinio lib.4.cap.12.

Eſt & alia Ortygiæ nomine inſula in Sicilia, Syracuſarũ pars, reliquæ urbi ponte coniuncta, quæ fontem habet Arethuſam. Hæc ex oppoſito Plemmyrij Siciliæ amnis ſita eſt: de qua Verg.lib.3.

Sicanio prætenta ſinu iacet inſula contra
Plemmyrium undoſum, nomen dixere priores
Ortygiam, Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe uias ſubter mare, quæ nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur undis.

Oſîris,(ὄσιρις)Iouis filius, ex Niobe Phoronei filia, qui Phoroneo in regnum Arginorum ſucceßit. poſtea tamen Agialeum fratrem præfecit regno Achaiæ, & illuſtrandi nominis cauſa in Aegyptum traiecit. Quos cùm ſubegiſſet, Iſidem (quæ & Io uocabatur) Inachi primi regis Argiuorum filiam duxit uxorem. Vbi, quum illa literas, Oſiris uarias artes Aegyptios docuiſſet, uterq; diuinos honores meruerunt. Tandem à Sityphone Aegyptio, uel (ut Seruius ait) à Typhone fratre, clàm occiſus, ab Iſide diu quæſitus, poſtremò apud Phialam iuxta Syenen laceratus repertus eſt: curauitq; eum Iſis ſepeliendum in Abato, inſula eius paludis, quæ Memphi proxima eſt: quam etiã Stygem, id eſt, mœrorem appellauit: nec niſi ſacerdotes, certis diebus, eosq́; mitratos eò accedere uoluit. ſed cùm apparuiſſet Aegyptijs deinde bos quidam eximia ſpecie, Oſirim putarunt, adorauerũtq; ut Deum, & uocauerunt Apim, id eſt, bouem, eorum lingua. Tibullus libro 1. Eleg.

Te canit, atq; ſuum pubes miratur Oſirim
 Barbara, Memphiten plangere docta bouem.

Idem & Serapis dicitur. Martial. lib. 6.

-Non illam mille cataſtæ
 Vincebant, nec quæ turba Serapin amat.

Oſſa,(ὄσσα) mons in finibus Theſſaliæ, Centaurorũ ſtabulum, quem Seneca dicit Olympo olim fuiſſe coniunctum, Herculis autem opera fuiſſe abſciſſum, ab ea parte, ubi per Tempe fluit Peneus fluuius. Lucan. lib. 1.

-Et tantus in æthera clamor,
Quantus piniferæ Boreas cum Thracius Oſſæ
Rupibus incubuit.

Hinc Oſſæus, a, um, (ὀσσαῖος) denominatiuum. Idem li. 6.

Theſſaliam qua parte diem brumalibus oris

Attollit

Attollit Titan, rupes Oſſæa coërcet.

Othrys, (ὄθρυς) *Theſſaliæ mons eſt, non procul ab Oeta, Centaurorum olim ſedes. Lucanus lib. 6.*

Solſtitiale caput nemoroſus ſubmouet Othrys.

Otreus, (ὀτρεὺς) *Ciſſei filius fuit, frater Mydonis et Hecubæ, & patruelis Polymneſtoris: ut annotauit Porphyr. in lib. 3. Iliad.*

Otus, (ὦτος) *Neptuni filius ex Iphimedia Aloei uxore, & frater Ephialtis, quos Poëtæ fabulantur nono ætatis anno in nouem iugerum altitudinem excreuiſſe: quo corporis robore freti auſi fuerunt etiam Dijs bellum mouere, monteſq́; montibus imponētes cœlum ipſum oppugnare, donec Apollinis telis cōfixi, temeritatis ſuæ pœnas dedere. Vide Homerum 11. Odyß.*

P

PAchynus, *ſiue* Pachynum, (πάχυνον) *promontorium Siciliæ, Peloponneſum ſpectās: ab aëris craßitudine nomen habens. Nam παχὺ pingue & craſſum dicitur Verg. libr. 3. Aen.*

Præſtat Trinacrij metas luſtrare Pachyni.

Pácorus, (πάκορος *Suidæ*) *Orodis regis Parthorū filius, ei⁹ qui Craſſum dolo circumuentū interemit. Quā maculā poſtea Ventidius Baſſus Antonij legatus deleuit, Pacoro cū toto exercitu ad internecionē cæſo. Horatius 3. Carm.*

Bis iam Monæſos, & Pacori manus
Non auſpicatos contudit impetus Noſtros, &c.

Pactôlus, (πακτωλὸς) *fluuius Lydiæ, ex monte Tmolo naſcens, & per Sardianum agrum in Hermum influens. Alio nomine Chryſorrhoas dicitur, ab eo quòd aureas trahat arenulas, teſte Plin. lib. 5. cap. 29. Iuuenal. Sat. 5.*

Quod Tagus, & rutila Pactolus uoluit arena.

Pacúuius,(πακόυβιος)Brunduſinus Poëta, Tragœdiarũ ſcriptor, Ennij Poëtæ ex ſorore nepos. Romæ picturam exercuit, ac fabulas uenditauit: inde Tarentum tranſgreſſus, propè nonagenarius diem obijt. Eius epitaphium extat apud Gellium lib.1.cap.24. in hæc uerba:

Adoleſcens tametſi properas, hoc te ſaxum rogat,
Vt ſe aſpicias: deinde quod ſcriptum eſt, legas:
Hic ſunt Poëtæ Pacuuij ſita Marci
Oſſa: hoc uolebam, neſcius ne eſſes.

Pádua, Venetorũ urbs, à Padi uicinitate dicta, quæ & Patauiũ,(πατάβιον) dicitur quaſi Padauiũ. Vel ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, id eſt, à uolando, quòd captato augurio dicatur conditum. Vel à petendo, quòd telo auem Antenor petiſſe dicatur, eoq; in loco urbem condidiſſe. Primò Antenorea dicta eſt: unde Antenoridæ, poſtea Patauini & Paduani. Catull. de Cinna,

At Voluſi annales Paduam morientur ad ipſam.

Padus,(ἠριδανὸς) fluuius eſt gremio Veſuli montis, finibus Ligurum Gabıennorum, uiſendo fonte profluens, condensq; ſeſe cuniculo, & in Forouibienſium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior. A Græcis dictus Eridanus, pœna Phaëthontis illuſtratus. Augetur ad Canis ortus, liquatis niuibus, agris, quàm nauigijs torrentior. Hæc Plin. lib.3. cap.16.

Paduſa, æ, foſſa eſt ex Pado Rauẽnã uſq; ducta, quã Meſſaniciũ olim appellarũt, teſte Plin. li.3. ca.15. Claudian.

Eridani ripas, & raucæ ſtagna Paduſæ.

Pæan, anis,(παιὰν) hymnus erat in laudem Apollinis, ſicut Dithyrambus in laudem Bacchi, qui, teſte Polluce, poſt uictoriam, nonnunquam etiam auertendorum malorum cauſa cani ſolebat. Verg. 6. Aeneid.

-Lætumq;

-*Lætumq́; choro Pæana canentes.*

Καταχρηστικῶς *tamen pro omni deorum laude ponitur. Vnde opus ſuum Pindarus de Deorum omnium laudibus Pæana inſcripſit. Accipitur item quandoq; Pæan pro ipſo Apolline,* ἀπὸ τοῦ παίειν, *hoc eſt, à medendo. Medicinæ enim inuentum antiquitas Apollini tribuit. Iuuenal. Satyra ſexta,*

Parce precor, Pæan.

Pæſtum, (πᾶιστος *Straboni) oppidũ Lucaniæ, magno roſarum prouentu nobilitatum, tanta autem aëris temperie, ut agros hortosq́; biferos habere credatur. Vergil. 4. Georg.*

-*Biferiq́; roſaria Pæſti.*

Págaſa, *Plinio,* (παγασαὶ *Ptolemæo, & Straboni) oppidum Theſſaliæ, non procul à Pelio monte, à quo propinquus ſinus Pagaſicus appellatur à Plinio lib. 4. cap. 8. Iuxta hanc urbem Argo nauis ædificata fuit, quam inde Poëtæ Pagaſæam cognominant. Ouid. 7. Metamor.*

Iamq́; fretum Minyæ Pagaſæa puppe ſecabant.

Palæmon, (παλαίμων) *filius Athamantis, & Inûs, alio nomine Melicertes dictus. Huius mater cùm uirum tanto furore correptum uideret, ut Learchum alterum ex filijs ſaxo allideret, iamq́; ſibi ſimilem exitum uideret imminere, alterum filium nomine Melicertam ulnis complexa, in mare ſe præcipitauit: amboq́; dij marini facti ſunt: mutatisq́; nominibus, mater Leucothea, hoc eſt, alba dea, dicta eſt: crediturq́; eadem eſſe cum Aurora, quæ & Matuta à Latinis nominatur: ille uerò à Græcis Palæmon, à noſtris, quòd portubus præeſſe putetur, Portunus eſt appellatus. In Palæmonis honorem Iſthmia celebrabantur, à Theſeo primùm inſtituta, quorum præmia*

erant

erant coronæ ex pinu confectæ, quæ à Palæmone dictæ ſunt Palæmoniæ. Claudian. 8. Paneg.

Cuncta Palæmonijs manus explorata coronis
Adſit.

Erat autem hoc unum ex quatuor ſacris certaminibus, quæ magno totius Græciæ concurſu celebrabãtur: quorũ duo dicata erant dijs immortalibus, Ioui Olympia, Apollini Pythia: duo itidem mortalibus, Nemeæa Archemoro, Palæmoni autem Iſthmia. Circunfertur ea de re Epigramma Græcum nomine Archiæ poëtæ, in hæc uerba,

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων,
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο,
Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quod ſic Latinè reddi poteſt:

Quattuor Argiuis certamina ſacra feruntur.
Bina hominum natis, binaq; cœlitibus:
Phœbo, ipſiq; Ioui, puero Archemoro, & Melicertæ.
Poma, oleaſtra, apium, præmia pinus erant.

Palæſtîna, (παλαιστίνη) *regio Iudææ, & Arabiæ contermina, quam tamen Poëtæ non rarò pro ipſa accipiunt Iudæa. Hinc Palæſtinus, a, um. Ouid. 1. de Arte:*

Sancta Palæſtino ſeptima ſacra uiro.

Palamédes, (παλαμήδης) *Nauplij Eubœæ regis filius, acerrimus Vlyßis inimicus, à quo tandem iniquo iudicio circunuentus eſt, & ab exercitu lapidibus obrutus. Nam cùm omnes totius Græciæ principes ad bellum Troianũ conuocarentur, Vlyſſes, quem uxoris iuuenculæ amor domi retinebat, inſaniam ſimulauit, & quò melius rei fidem faceret, iunctis diuerſæ naturæ animalibus, ſalem ſerebat. Palamedes autem, ut uiri aſtutiam depræhenderet,*

ret, Telemachum filium arante obiecit: quo uiſo Vlyſſes aratrum ſubitò ſuſpendit, ne eum læderet. Quo argumento ſimulatione deprænenſa inuitus eſt pertractus. Deinde cùm in Thraciam frumentatū miſſus eſſet Vlyſſes, & nihil inde attuliſſet, neque quicquam ſeſe inueniſſe diceret: Palamedes eôdē miſſus, plurimū frumenti aduexit. Quamobrē Vlyſſes inuidiæ ſtimulis agitatus adulterinam Priami nomine epiſtolă ſcripſit, in qua agebat Palamedi proditionis gratias, commemorabatq́; ſecretum auri pondus eſſe tranſmiſſum, quod ipſe Vlyſſes per corruptos ſeruos in tabernaculo eius infodi curarat. His igitur literis in Græcorum conſilio recitatis, Palamedes proditionis accuſatur. Ibi Vlyſſes reo ſe adeſſe ſimulans, hoſtilibus literis nihil fidei habendum contendit: eaſq́; re ipſa facilè poſſe coargui, ſi Palamedis tabernaculum ſcrutaretur: in quo ſi aurum inueniretur, nullum illum ſupplicij genus recuſare. Miſsi itaq́;, qui tabernaculum eius perſcrutarentur, cùm aurum inueniſſent, Palamedes ueluti proditionis conuictus, lapidibus obrutus eſt. Ouid. libro decimotertio,

Vellet & infelix Palamedes eſſe relictus,
Viueret, &c.

Hic fertur Troiano bello quatuor literas inueniſſe, ſcilicet, θ, ξ, χ, φ. Præterea calculorum ludum, & menſurarum, & ponderum rationem excogitaſſe. Aſtrologiæ inſuper peritus fuiſſe dicitur, annumq́; ad curſum ſolis, & menſes ad curſum Lunæ accommodaſſe: primuſq́; in caſtris uiſam atq; reformidatam Solis eclipſim, naturalem, minimeq́; timendam eſſe docuiſſe. Præterea ordinem aciei & teſſaras, hoc eſt, ſymbolum bellicum, & uigilias inueniſſe. Quæ omnia à gruibus fertur didiciſſe. Illæ enim

nim non niſi acie inſtructa uolant, electo duce, quem ſequantur, diſpoſitisq́; in extremo agmine, qui gregem uoce contineant, & qui noctu, cæteris dormientibus excubias obeant. Inter uolandum etiam mutatis ſubinde ordinibus, literas quaſdam uidentur effingere, quas etiam ab eis primus obſeruaſſe fertur Palamedes. Hinc à poëtis *Palamedis aues, grues dicuntur.* Martialis *lib.*13.

Turbabis uerſus, nec littera tota uolabit,
Vnam perdideris ſi Palamedis *auem.*

Palantêum, (παλάντειον) *urbs in* Palatino *monte, à balatu ouium dicta, κατ' ἀντίστοιχον, quaſi* Balanteum, *ut* Varroni *placet : aut certè à* Pallante Euandri *proauo, ut* Vergilio *placet lib.*8.Aeneid.

Arcades his oris genus à Pallante *profectum,*
Qui regem Euandrum *comites, qui ſigna ſecuti,*
Delegêre *locum, & poſuere in montibus urbem,*
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

Palátium, (παλατῖνον ὄρος) *unus ex ſeptem urbis* Romæ *montibus, nomen habens ab eo, quòd ante urbem conditam pecus in eo paſcens balare conſueuerit (ſic enim uox eius animalis exprimitur) quaſi* Balatium: *qua etiam uoce utitur* Næuius. *Aut certè à palando, ſiue quòd ibi palare, id eſt, errare pecudes ſoleant: ſiue quòd palantes* Arcades *cum* Euandro *ibi conſederint. Alij à* Palantia Latini *matre, quæ ibi habitauerit,* Palatium *dictum uolunt. Alij à* Pallante Euandri *auo. Alij à filia* Euandri Palantia, *ab* Hercule *uitiata, & poſtea illic ſepulta : uel certè à* Pallante *eius filio illic ſepulto.* Plinius *à* Palantio Arcadiæ *oppido, & patria* Euandri *dictum exiſtimat. Ferunt enim* Euandrum *ob patris cædem domo profugum, in* Latium *ueniſſe, montemq́; in quo conſedit,* Pa-

latium appellaſſe. Alij à Pale paſtorali dea nomen inditũ autumant. Hinc Palatinus,a,um:*ut,* Palatinus mons, & Euander Palatinus. Verg. 9. Aen.

Sceptra Palatini,*ſedemq́; petiuit* Euandri.

Palæphatus,(παλαίφατος) *ſcriptor antiquus, patria* Parius,*aut (ut alij malunt)* Prienæus, Artaxerxis *tempore natus, teſte* Suida,*qui* ἀπίστων, *hoc eſt, rerum incredibilium uolumina quinque conſcripſit.* Hinc Palæphatius, a,um. Verg. in Ciri ad Meſſalam:

Docta Palæphatia *teſtatur uoce papyrus.*

Pales, Dea *paſtorum,cuius feſta* Palilia, *ſiue* Parilia *dicebantur, eodem die, qui urbi natalis fuerat, celebrari ſolita.* Verg. 3. Georg.

Te *quoque magna* Pales, & *te memorande canemus*
Paſtor *ab* Amphryſo.

Propertius lib. 4.

Vrbi *feſtus erat,dixere* Palilia *patres:*
Hic *primus cœpit mœnibus eſſe dies.*

Palici,(παλικοὶ) *gemini fratres fuerũt,* Iouis *filij,* & Thaliæ Nymphæ,*ſiue (ut alij uolunt)* Aetnæ:*quæ cùm grauida eſſet,* Iunonis *iram metuens,orauit ut terra ſibi dehiſceret,* & *à* Iunonis *ira ſeſe occultaret. Quibus precibus exauditis,terra molliter dehiſcẽs,intra uiſcera ſua eã recepit:ubi illa legitimo tempore gemellos peperit, quos terra denuo ſeſe aperiens in lucem edidit:unde &* Palici *dicti ſunt,*ἀπὸ τοῦ πάλιν ἵκεσθαι,*quòd in terrã demerſi, denuo ſint reuerſi. Oſtẽdũt accolæ duos lacus,ex quibus fratres hoſce putãt emerſiſſe,eosq́;* Dellos *appellãt: qui tãta olim in ueneratione habiti ſunt, ut circa eos iuramenta exigi ſoleant,ſi quis in furti ſuſpicionem incidiſſet, prius tamen accepto fideiuſſore,qui ſi iuranti quid accidiſſet,*

præſt

præſtaret, quod exitus oſtenderet. Vide Seruium in illud Vergilij 9. Aen.

-Genitor quem miſerat Arcens
Eductum Martis luco, Symæthia circum
Flumina, pinguis ubi, & placabilis ara Palici.

Palinûrus, (παλίνουρος) *Lucaniæ promontorium, haud longè à Velia, ita dictum à Palinuro nauis Aeneæ gubernatore, qui ſomno oppreſſus, unaq; cum gubernaculo in mare decidit, totoq; triduo fluctibus iactatus, quarto demum die ad littus Velinum adnauit: iamq; terram tenebat, cùm loci eius accolæ ſpe prædæ impetum in eum fecerunt, occiſumq; & ſpoliatum denuo in mare abiecerũt. Quod ob facinus cum Velini poſtea graui peſtilentia laborarent, oraculo moniti, ut Palinuri Manes placarent, lucum ei conſecrarunt, cenotaphiumq; ei erexerunt in promontorio, quod ab eo Palinuri nomen obtinuit. Ver. 6. Aeneid.*

Nam tua finitimi longè lateq; per urbes,
Prodigijs acti cœleſtibus, oſſa piabunt,
Et ſtatuent tumulum, & tumulo ſolennia mittent,
Aeternumq; locus Palinuri nomen habebit.

Dicitur autem Palinurus, quaſi iterum meiens. πάλιν *enim iterum,* οὖρος *urina. Ad quam etymologiam alludit Marti. lib. 3.*

Minxiſti Pauline ſemel currente carina:
Meiere uis iterum, ſic Palinurus eris.

Pallas, adis, (παλλὰς) *filia Iouis, ex cerebro eius prognata, ſapientiæ, diſciplinarumq; omniũ Dea, quã Latini Mineruã uocant. Dicta Pallas* ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *hoc eſt, à uibrando. Fiebat enim eius ſimulacrum galea & ſcuto terribile, & haſtam manu tenens, quam ueluti uibrare ui*

debatur. Verg. 1. Aeneid.

-Palláſne exurere claſſem

Argiuûm, atq; ipſos potuit ſubmergere ponto.

Pallas, antis, (πάλλας) *filius fuit Euandri, quem cùm pater ijs copijs, quas Aeneæ auxilio miſit, præfeciſſet, magna iam hoſtium ſtrage edita, à Turno eſt interfectus: ut latius exequitur Vergil. 10. Aeneid.*

Pamphylia, (παμφυλία) *regio minoris Aſiæ, ab Ortu Ciliciam, & partē Cappadociæ, ab Occaſu Lyciam habens, à Septentrione Galatiam, à Meridie mare, quod ab ea Pamphylium appellatur. Dicta Pamphylia, ut quidam putant, ab arborum copia, quaſi tota frondoſa. In ea (ut Pomponius refert) eſt fluuius Melas, nauigabilis, & Eurymedon, apud quem Cimon Athenienſis Perſas nauali pugna ſuperauit.*

Pan, Panos, (πὰν) *à poëtis paſtorum, atq; adeo totius naturæ deus eſſe fingitur: unde etiam à Græca dictione πᾶν, quæ idem ſignificat, quod totum uel omne, nomen accepit: quòd putabant uno naturæ nomine omnia complecti. Vnde etiam ita Pana pinxerunt, ut nihil ex toto uniuerſo in eo uideatur prætermiſſum. Habet enim cornua in radiorum Solis, & cornuum Lunæ ſimilitudinē; rubet eius facies ad ætheris imitationem: in pectore Nebridem habet ſtellam, ad ſtellarum imaginē. Pars eius inferior hiſpida, eſt, propter arbores, uirgulta, feras. Caprinos pedes habet, ut oſtendat terræ ſoliditatem. Hic Dæmogorgonis filius creditur fuiſſe, & fiſtulam compoſuiſſe ſeptem imparibus calamis ſimul cōiunctis, propter harmoniam cœli. Verg. 2. Eclog.*

Pan primus calamos cera coniungere plures

Inſtituit: Pan curat oues, ouiumq; magiſtros.

Pana

Panathenæa,(παναθήναια) feſta erant Athenis, à Theſeo inſtituta in honorem Mineruæ, quæ à Latinis Quinquatria appellantur. Hiſce ludis gymnicū certamen per præconem & tubicinem indicebatur: à cuius ſpectatione mulieres arcebantur. Pueri quoq; & puellæ ſeſe manibus complexi, Pyrrhicam in theatro ſaltabant. Erant autem duplicia, Maiora quinto quoque anno celebrari ſolita, & Minora, quæ quotannis peragebantur.

Pancháïa,(παγχαΐα) regio Arabiæ, tota arenoſa, in qua arbores ſponte natæ tus emittunt. Verg. 2. Aeneid.

Totaq; turiſeris Panchaïa pinguis arenis.

Pándion,(πανδίων) Erichthei Athenarum regis filius, qui patri ſucceſsit in regno. Huius filiæ fuerunt Progne & Philomela: quarum Prognen Tereo Thracum regi, cuius ope Ponti regem profligauerat, uxorem dedit: qui poſtea & Philomelam uiolauit, prætextu uiſendæ ſororis à patre abductam: ut latius docebimus infrà in dictionibus Philomela & Progne. Hinc Pandionius, a, um, idem quod Atticus. Lucanus de Pallade:

Et Pandionias quæ cuſpide protegit arces.

Pandôra, æ,(πανδώρα) ab Heſiodo fingitur fuiſſe prima mulier, à Vulcano Iouis iuſſu fabricata, quam ſinguli dij donis ſuis ornauerunt. Pallas enim ſapientiæ donum ei contulit, Venus formæ, Apollo muſices, Mercurius eloquentiæ. Inde dicta fuit Pandora, quaſi omnium donum, uel quaſi ab omnibus donata, uel omnium rerum genere dotata. Hanc poſtea cum pyxide clauſa miſſam fuiſſe tradunt ad Epimetheū (cùm humano generi malè cupiebat Iupiter, ob Promethei audaciam, qui ignem è cœlo furatus, ferulæ incluſum detulerat in terras) illūq; aperta pyxide orbem terrarum nullo non calamitatis genere

impleuiſſe.

Pangæus, gæi, *ſiue* Pangæa, orum, (πάγγαιον, ἢ πάγγαια, τά) *mons eſt Thraciæ, quà Macedoniæ cõnecti tur, non procul à* Neſsi *fluminis oſtio.Lucanus lib.1.*

-Video Pangæa niuoſis

Cana iugis,&c.

Panionium, (πανιώνιον) *locus eſt ſacer in Mycale promontorio, ad Septentrionem uergens, communiter ab uniuerſis Ionibus Neptuno Heliconio dicatus. Hunc in locũ quotannis conueniebant Iones ad peragenda ſacrificia, quæ & ipſa Panionia dicebantur. Autor Herodotus li.1.*

Pannónia, (παννονία Ptolemæo) *regio Europæ latiſsima, Danubio à Germania ad Septentrionem dirempta, ab Oriente habens Mœſiam, quæ & Seruia & Bulgaria dicitur: ab Occidẽte Noricum: ad Meridiem in Iſtriam uſq; & Illyricum extenſa. Diuiditur autem in ſuperiorem, & inferiorem. Pannonia ſuperior ab Occaſu Norico, à Septẽ trione Germania & Iſtro terminatur: ab Oriente habet Pannoniam inferiorem, à Meridie Illyrim. Hodie hæc Pannoniæ pars Styria & Auſtria appellatur, caput habens Viennam urbem celeberrimam, firmiſsimumq; orbis Chriſtiani propugnaculum. Inferior uerò Pannonia à Septentrione Germaniam, Danubiumq;, ab Occaſu Pannoniam ſuperiorem, à Meridie Liburniam, quam hodie Sclauoniã appellant, proſpicit: ab Ortu uerò Iazyges Metanaſtas: quem tractum hodie Septem caſtra uocant. Hæc Panno niæ pars hodie ferè uno nomine Hungaria dicitur. Vtriuſq; regionis populi Pannones, ſiue Pannonij appellantur. Statius lib.1. Thebaid.*

Pannoniusq; ferox, arcuq; horrenda fugaci

Armenia.

Panomph

Panomphæus,(πανομφαῖος) Iouis epitheton, à πᾶν, & ὀμφὴ uox, ſiue quod ab omni lingua colatur, ſiue quòd omnium uoces audiat. Ouid.lib.7. Metamorph.

Ara Panomphæo uetus eſt ſacrata Tonanti.

Panópe,es, (πανόπη) ſiue Panopéa,(πανόπεια) Nympha marina, Nerei & Doridis filia, ita dicta à perſpicuitate uiſus. Vergil.5. Aeneid.

-Phorciq; chorus, Panopeaq; uirgo.

Idem 1.Georg.

Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Heſiodus in Theogonia:

Δωρίς, καὶ πανόπη, καὶ εὐειδὴς Γαλάτεια.

Pantágias, (παντάγιας) fluuius Siciliæ rapidiſſimus, quem Poëtæ fabulantur, ante Proſerpinæ raptum, cùm pleno ferretur alueo, uicina loca ſtrepitu latè impleuiſſe. Verùm cùm Cereri, filiam raptam quærēti, moleſtus eſſet, Deam indignatam aquas eius imminuiſſe, & in poſterum ſilentio fluere iuſſiſſe. Hæc Seruius in illud Ver.3. Aeneid.

-Viuo prætereuehor oſtia ſaxo
Pantagiæ, Megaroſq; ſinus, &c.

Dictus autem uidetur Pantagias, παρὰ τὸ πάντ' ἄγειν, quòd rapiditate ſua obuia quæque proſternat, ac ſecum rapiat.

Pánthous, & per contractionem Panthus, (πάνθοος, ους) filius Otrei, fratris Hecubæ. Verg.2. Aeneid.

Quo res ſumma loco Pãthu? quam prendimus arcem?

Inde fit patronymicum Panthoïdes (πανθοΐδης) quo poëtæ utuntur pro Euphorbo, Panthoï filio. Ouid.15. Meta.

Paphlagónia,(παφλαγονία) regio minoris Aſiæ, ad Septentrionale littus uerſa, ſupra Galatiam, cuius eam Ptolemæus partem facit: ita dicta, teſte Stephano, à Paphlago

ne Phinei filio. Eius incolæ dicti ſunt Paphlagones: ex qui bus fuerunt & Heneti, qui per ſeditionem patria pulſi, & rege Pylemene ad Troiam amiſſo, Antenorem in Italiam ſequuti ſunt, & pro Henetis literæ unius immutatione Veneti ſunt appellati, teſte Liuio libro 1. ab urbe cond. Paphlagonia (ut Solinus ſcribit) à Cytoro mõte con ſurgit, porrecta in ſpatium trium & ſexaginta millium. In ea Mithridates Eupatoriam condidit, quæ ſubacta à Pom peio, Pompeiopolis nominata fuit.

Paphus, (πάφος) *filius Pygmalionis, filij Cilicis, ex ebur nea matre. Cùm enim olim Pygmalion in Cyprum inſulã perueniſſet, comperiſſetq; mulieres omnium libidini obſe quentes, cœlibem uitam ducere ſtatuit. Porrò cùm ingenio ualeret, eſſetq; ſculptor inſignis, dicitur ſibi ex candidiſsimo ebore muliebre ſculpſiſſe ſimulacrum, omnis uenuſtatis formæq; numeris, quoad fieri potuit, abſolutum. In quo cùm homo ingenioſus artem ſuã miraretur, in eius amorem incidit, orauitq; Venerem, quæ ſumma cum uene ratione id temporis in Cypro colebatur, ut uxorem ſibi cõ cederet ſtatuæ ſuæ eburneæ ſimilimam. Quibus precibus à Venere exauditis, Pygmalion domũ rediens, ſtatuã ſuã animatã inuenit, ſeruatisq; iiſdem lineamentis, eodẽq; can dore, in formoſiſsimam uirginem transformatã. Cuius poſtea concubitu uſus, ex ea Paphum filium ſuſcepit, qui & patri in regno ſucceſsit, condiditq; urbem in Cypro, quam de ſuo nomine Paphum appellauit, conſtructo etiam in ea templo & ara in honorem Veneris, quæ à loco Paphia eſt cognominata, cui diu ſolo thure ſacrificatum eſt. Vergil. libro 10.*

Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos, atq; Cythera &c.

Paratónium, (παραιτόνιον) *Libyæ Marmaricæ oppi-*

dum,

dum, ſtadijs ferè noningentis diſtans à Catabathmo, portumq́; habens ingentem, x l. ferè ſtadiorum. Autor Strabo lib.17. Hinc fit Parætonius,a,um. Lucan. lib.3.

Vſq; Parætonias Eoa ad littora Syrtes.

Silius item lib.3.

Perq́; Parætoniæ celebratum littora Syrtis.

Parcæ, (*αἶσαι, μοῖραι*) *deæ fatales, humanæ uitæ ſtamina diſpenſantes. Vergil. 4. Ecloga,*

Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.

Dictæ autē putātur Parcæ à partu, teſte Varrone, eò quòd naſcentibus hominibus bona malaq́; conferre cenſeantur. Alij à parcēdo κατ' ἀντίφρασιν, dictas putāt, propterea quòd nemini parcant. Hæ autem tres eſſe finguntur, Clotho, Lacheſis, & Atropos, Erebi & Noctis filiæ: quarum primam colum uolunt geſtare, ſecundam nendo humanæ uitæ terminum præfinire, tertiam filum incidere, hoc eſt, uitam tempore ſtatuto abrumpere. Hinc Sorores lanificæ à Poëtis appellantur. Martialis lib.6.

Si mihi lanificæ ducunt non pulla ſorores
Stamina, nec ſurdos uox habet iſta deos.

Apuleius ternarium Parcarū numerum à triplici tempore ductum exiſtimat. Nam quod in fuſo perfectum eſt, præteriti temporis habet ſpeciem, & quod torquetur in digitis, momenti præſentis indicat ſpatia: & quod nondū ex colo tractū eſt, futuri & cōſequentis ſeculi poſteriora uidetur oſtendere. Lacheſim dictam eſſe putant, ab eo quòd λαγχάνω Græcè, ſortio deſignat. Atropon, quia uerti, hoc eſt mutari aut flecti non poſſit, ab α priuatiua particula, & uerbo τρέπω, quod eſt uerto. Clotho, quoniā contorta & cōuoluta omnia teneat: à uerbo Græco κλώθω,

quod ſignificat neo,uel circumuoluo.

Paris,idis,(πάρις)*Priami* Troianorum *regis,& Hecubæ filius ſuit,alio nomine* Alexander *appellatus,cuius matri, cùm illa ſe facem ardentem parere ſomniaſſet,coniectores reſponderunt fore,ut filius quem in utero geſtabat, cauſa eſſet* Troiani *excidij.Qua re cognita*, Priamus *puerum, ubi primùm fuit natus*, Archelao *ſeruo exponendum tradidit.Contrà* Hecuba *tum materno affectu,tum infantuli forma commota,curauit ut furtim nutriretur à paſtoribus in* Ida *monte. Vbi cùm adoleuiſſet*, Oenonen *Nympham amauit,& compreſſit ,ſuſcepitq; ex ea duos filios. Porro quum in dirimendis controuerſijs eſſet æquiſſimus, maximam iuſtitiæ famam ſibi comparauit,adeò ut orta inter* Deas,Iunonem *,* Palladem *&* Venerē *diſceptatione de formæ præſtantia,propter aureum malum à* Diſcordia *ad* Peleï *nuptias illatum, in quo ſcriptum erat, Detur pulcherrimæ : iudex ſit conſtitutus .Quas cùm uidiſſet nudas,ſententiam tulit ſecundùm* Venerem *, quæ pulcherrimā fœminarū ſibi promiſerat,neglecto regno,quod pollicebatur* Iuno*,& contēpta,quam* Pallas *offerebat,ſapientia.Præterea cùm eſſet fortiſſimus , in agonali certamine, quod ad* Troiam *agebatur , cùm alios omnes ſuperauit, tum ipſum etiam* Hectorem*:qui cùm ægrè ferret,à paſtore ſe eſſe ſuperatum, gladiumq; in eum ſtringeret*, Paris *illi aperuit,ſe eius fratrē eſſe germanum , quod & allatis crepūdijs probauit. Sic igitur cognitus,à patre receptus eſt. Deinde cōſtructis uiginti nauibus ſub ſpecie legationis ad repetēdam* Heſionā*,in* Græciam *miſſus eſt:ubi à* Menelao *hoſpitio eſt ſuſceptus. Verū cū ille neceſſaria de cauſa in* Cretam *nauigare cogeretur*,Paris *ſibi occaſionē rei bene gerēdæ oblatā rat9,*Helenā *quā mutuo amore deperibat,*

rapuit

rapuit,& in Aſiam abduxit. Herodotus tamen autor eſt in Græciam ueniſſe abſente Menelao, Helenesq́; pulchritudine captum, Spartam expugnaſſe, illamq́; etiam renitētem, & omnes regios theſauros rapuiſſe, & ob id poſtea Helenam à uiro recipi meruiſſe. Ex quo raptu deinde ſecutum eſt bellum Troianum, in quo ſingulari certamine cum Menelao congreſſus, cùm penè uinceretur, à Venere pugnæ ſubtractus eſt. Poſtremò Hectore & Troilo fratribus occiſis, cùm ipſe ſumpto arcu & ſagittis, quibus plurimùm ualebat, Achillem ſub prætextu deſponſandæ Polyxenæ ſororis in templo Tymbræi Apollinis interfeciſſet, ipſe quoq; à Pyrrho, ſiue (ut aliorum eſt opinio) à Philoctete occiſus eſt, poſt cuius mortem Helena Deiphobo nupſit. Hunc Homerus ubiq; parũ ſtrenuum inducit, amoribusq́; & citharæ quàm tractandis armis, aptiorem. Vnde eſt illud apud Ouidium in Epiſtola Helenes,

Bella gerant alij, tu Pari ſemper ama.

Parnaſſus, (παρνασὸς) mons eſt Phocidis, Apollini & Muſis ſacer, duos uertices habens, quorũ unum Thitorea uocari, alterum Hyampeum, autor eſt Herodotus in Vrania. Cithæron autem & Helicon, quos Seruius malè putauit eſſe Parnaßi iuga, montes ab hoc diuerſi, & diſiuncti ſunt, ille circiter quindecim paßuum millia, Cithæron uerò triginta, ab eo diſtans. Ouid. 1. Metamor.

Separat Aonios Actæis Phocis ab aruis
Terra ferax. Mox addit:
Mons ibi uerticibus petit arduus aſtra duobus
Nomine Parnaſſus, ſuperatq́; cacumine nubes.

Lucan. libro 5.

-Quantum ſemotus Eoo
Cardine Parnaſſus gemino petit æthera colle.

A' Parn

A' *Parnaſſus fit* Parnaßius,a,um, (παρνάσιος, παρνασ-σιός.) Verg.6.Eclog.

Nec tantum Phœbo *gaudet* Parnaßia *rupes.*

Paros, (πάρ☉) *inſula eſt maris* Aegæi, *una* Cycladum XXXVIII.M. *paß.diſtãs à* Delo:*ita dicta à* Paro,Iaſonis *filio, cùm antea* Pactya, *&* Minois *diceretur, teſte* Plin. *lib.*4 *cap.*12.In *hac inſula marmor candidum prouenie-bat,ad* Deorum *ſimulacra maximè expetitum :idq; à loco* Parium *dicebatur.*Verg.1.Aen.

Quale manus addunt ebori decus,aut ubi flauo
Argentum, Pariúsue *lapis circundatur auro.*

Parrhásia, (παῤῥασία) Arcadiæ *oppidũ fuit teſte* Plin.*li.* 4.*cap.*6.*nõ procul à* Stymphalo, Lycaonis *patria: à quo uniuerſa* Arcadia *à* Poëtis *quãdoq;* Parrhaſia *appellatur.* Hinc Parrhaſius,a,um, (παῤῥάσι☉) *id eſt*, Arcadicus. Vergilius 8.Aeneid.

Parrhaſio *dictum* Panos *de more* Lycæi.

Item Parrhaſis, *gentile fœmininum : unde* Parrhaſidem Vrſam,*pro* Septentrionibus Poëtæ *uſurpant, reſpicien-tes nimirum ad* Caliſto Lycaonis Parrhaſiæ *regis filiam, in hoc ſidus conuerſam.*Lucan.*lib.*2.

–Sed nocte ſopora
Parrhaſis *obliquos* Helice *cùm uerteret axes.*

Parthénius, (παρθένι☉) *mons* Arcadiæ,*teſte* Plin.*li.*4. *cap.*6.*ita dictus à uirginibus, quæ in ea* Veneri *frequen-ter ſacra facere ſolebant.*Eſt *&* Parthenius, (παρθένι☉) *fluuius* Paphlagonum,*in* Pontum Euxinum *influens.*Oui. *libro* 4. *de* Ponto:

Partheniusq; *rapax, & uoluens ſaxa* Cynapes.

Parthenopæus, (παρθενοπαῖ☉) Martis *&* Menalip-pes *filius fuit,teſte* Seruio,*qui in bello* Thebano *perijt.*

Vergil

Vergilius 6. Aeneid.

Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis
Parthenopæus, & Adraſti pallentis imago.

Parthénope, (παρθενόπη) *una fuit Sirenum, quæ præ dolore, quòd prætereuntē Vlyſſem cum ſocijs in ſcopulos cantu pellicere non potuiſſent, in mare ſe præcipitauerunt. Harum aliæ alia in loca. Parthenope autē eò delata eſt, ubi poſtea condita fuit Neapolis, præclara urbs Campaniæ, quæ ab eius nomine etiam Parthenope eſt appellata. Neapolin autem poſtea dictam fuiſſe hanc urbem nōnulli putauerunt, quòd ab Auguſto fuerit inſtaurata: ſed hoc uerū eſſe non poteſt. Nam etiam apud Lycophronem, qui Ptolemæi Philadelphi temporibus multis ante Auguſtum annis claruit, Neapolis hæc urbs appellatur, & ciues ipſi Neapolitani: quos ſcribit, quotannis ad tumulum Parthenopes faces ferre conſueuiſſe. Veriſimilior eſt itaque aliorum opinio, qui hanc urbem à Cumanis conditam tradunt: qui quum in eo loco Parthenopes corpus in ueteri monumento conditum reperiſſent, nomen eius urbi indidere. Sed poſtquàm loci ubertate atque amœnitate maiorem in modum frequentari ciuitas cœpit, ueriti ne Cumæ deſererentur, diruendi Parthenopē conſilium iniuere. Quo facto, mox immani peſtilentia uexati, oraculo moniti ſunt, ut nouam urbem reſtituerent. Cui oraculo morem gerētes, urbem paulò antè dirutam, ſplendidius inſtaurarunt, & ex reſponſi uerbis arrepto omine, Neapolin, hoc eſt, nouam urbem appellauerunt: ut latius ſuprà docuimus in dictione Neapolis.*

Párthia, (παρθία) *Aſiæ regio, ab Occaſu Media, ab Aquilone Hyrcania, ab Ortu Ariana, à Meridie Carmaniæ deſertis terminata. Huius incolæ Parthi dicuntur, pertina-*

ciſsim

ciſsimi olim nominis Romani *hoſtes, qui* Craſſum *inſidijs circunuentum, cum uniuerſo exercitu ad internecionem ceciderũt.* Hi *arcu plurimum ualuerunt, quo uel fugientes hoſti plurimum detrimenti afferebant.* Verg. 12. Aen.

Parthus *ſiue* Cydon *telum immedicabile torſit.*

Paſiphaë, (πασιφάη) *filia Solis, & uxor* Minois *regis* Cretæ, *quam fabulæ ferunt tauri amore captam fuiſſe,* Dædaliq; *opera, qui ligneæ eam uaccæ incluſit, uoti compotẽ factã,* Minotaurũ *peperiſſe, media parte hominem, reliqua taurũ referentẽ: quod monſtrum poſtea in* Cretenſi *labyrintho* Theſeus *dicitur interfeciſſe,* Ariadnes *ope adiutus.* Seruius Minois *Scribã tradit nomine* Taurũ, *cũ* Paſiphaë *mutuo eius amore capta, in* Dædali *ædibus cõcubuiſſe: expletisq; legitimis menſibus, gemellos peperiſſe, quorum alter* Minoi, *alter* Tauro *Scribæ ſimilis extiterit: indeq; factũ eſſe locũ fabulæ, ut* Paſiphaë *monſtrũ biforme traderetur peperiſſe.* De *hac* Verg. 6. Eclog.

Et *fortunatam, ſi nunquam armenta fuiſſent,*
Paſiphaën, *niuei ſolatur amore iuuenci.*

Pasíthea, æ, *ſiue* Pasithee, es, (πασιθέη) *quæ &* Aglaia *à quibuſdam appellatur, una eſt Gratiarum, filiarũ* Iouis & Eurynomes, *ſoror* Thaliæ, & Euphroſynes. Statius *in Syluis:*

Non *hoc* Paſithee *blandarum prima ſororum, &c.*

Pasíthoë, (πασιθόη) Nympha *marina,* Nerei & Doridis *filia, apud* Heſiodum *in* Theogonia.

Páſſalus, (πάσσαλος) *filius* Sennonidis, *mulieris fatidicæ, & frater* Achemonis: *de quibus abundè multa ſuprà dicta ſunt in dictione* Achemon.

Pátara, (πάταρα) *urbs* Lyciæ, Patari *opus, teſte* Strabone *lib.* 14. *in qua* Apollo *hybernis ſex menſibus oracula*

edeb

edebat: ut tradit Seruius in illud Vergilij 4. Aen.

-Nunc augur Apollo, Nunc Lyciæ ſortes, &c.

Hinc Pataræus, a, um, (παταρεῦς) *Statius lib. 1. Theb.*

Phœbe parens, ſeu te Lyciæ Patarꝍa niuoſis
Exercent dumeta iugis. Ouid. 1. Metamor.
-Mihi Delphica tellus,
Et Claros, & Tenedos, Patarꝍaq́; regia ſeruit.

Patáuium, (πατάβιον) *ciuitas eſt Venetiæ, recentiore nomine Padua appellata. Hanc Antenor fertur cõdidiſſe, cùm capta iam Troia, unà cũ Henetis & Paphlagonibus in intimum maris Adriatici ſinum ſeſe contuliſſet. Vergilius libro 1. Aeneidos,*

Antenor potuit, medijs elapſus Achiuis,
Illyricos penetrare ſinus, atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontes ſuperare Timaui.
Hic tamen ille urbem Pataui, ſedesq́; locauit
Teucrorum.

Patræ, (πάτραι) *ciuitas Achaïæ propriè dictæ, iuxta Olenum, Patrei opus, antea Aroë dicta, teſte Pauſania. Ouid. 6. Metamor.*

Meſſeneq́; ferax, Patræq́;, humilesq́; Cleonæ.

Pátroclus, (πάτροκλος) *Menœtij fuit filius, & Stheneles, qui occiſo per ludum aſtragalorum Cleonymo, ſeu, ut alijs placet, Aeane Amphidamantis filio, ſolum uertẽs in Phthiam uenit, ubi à Peleo propter generis propinquitatem ſuſceptus eſt, & unà cum Achille apud Chironem educatus, cum eodem arctiſsima amicitia iunctus uixit: poſtea etiam cum Achille ad expeditionem Troianam profectus eſt, ubi armis Achillis indutus cum Hectore pugnans, ab eodem confoſſus, occubuit. Quod cùm reſciuiſſet Achilles, tametſi propter ereptam ſibi ab Agamemno*

memnone Briſeida bello abſtinere omnino conſtituiſſet, nihilominus mutato propoſito, acceptis etiam à Thetide matre alijs armis à Vulcano fabricatis, ad bellum rediit, nec prius quieuit ex animo, quàm ſocij mortem quàm crudeliſſimè uindicaſſet: ut latius tradit Homerus *poſtremis libris* Iliad.

Paúſias, (παυσίας) *pictor Sicyonius*, Brietis *filius, & Pamphili Macedonis diſcipulus, qui Glyceram corollarum textricem adamauit, eamq; depinxit humi ſedentem, & coronas ex floribus plectentem: quod opus ex argumento Stephanoplocon appellauit.* Hinc *Pauſiacus, a, um.* Horat. 2. Serm. Sat. 7.

Vel cùm Pauſiaca torpes inſane tabella.

Hoc *eſt, tabula à* Pauſia *depicta.*

Pauſilypum, (παυσίλυπον) *uilla eſt* Campaniæ, *ſic dicta ab amœnitate, non procul à* Neapoli, ἀπὸ τῆς παύσιος τῆς λύπης, *hoc eſt, à curæ mœrorisq; ceſſatione.* Actius Syncerus Eclog. 1.

Huc illuc dum Pauſilypi latus omne pererro.

Pédaſus, (πήδασος) Bucolionis *filius fuit, & frater* Aeſepi, *ex* Abarbarea *Nympha: ut eſt autor* Homerus *ad principium lib. 6.* Iliad. *Fuit item* Pedaſus, *unus ex equis* Achillis, *quē euerſis* Thebis Eetioneis, *equis ſuis immortalibus comitem addidit: ut placet eidem* Homero *lib. 16.*

Pegaſus, (πήγασος) *equus alatus, ex* Meduſæ *ſanguine procreatus, ita dictus* ἀπὸ τῆς πηγῆς, *id eſt, à fonte, quòd iuxta* πηγὰς, *id eſt, fontes* Oceani *natus ſit, ubi* Gorgones *habitabant.* Hic *cùm in* Helicona *euolaſſet, ſaxum ungula feriens, fontem aperuit, qui ex eo* Hippocrene, *id eſt, fons equinus eſt appellatus.* Poſtea *uerò cùm ex* Pirene Corinthio *fonte biberet, à* Bellerophonte, *qui id temporis*

poris expeditionẽ in Chimærã parabat, captus eſt. Cunq́; is rerum terreſtrium tædio ductus, in cœlum euolare conaretur, indeq́; terram deſpiciens, timoreq́; perculſus, è ſublimi decidiſſet, Pegaſus nihilominus curſum ſeruans, in cœlum dicitur euolaſſe, ibiq́; inter ſidera conſtitutus, Arcticum circulum ſpectare, pedibusq́; æſtiuo orbi adnixus: extremo ore caput Delphini *tangere, & Aquarij manum dextram ceruici ſuæ adiungere.* Hinc *Muſæ ipſæ* Pegaſides *dictæ ſunt, à fonte nimirum* Hippocrene, *Muſis conſecrato, quem* Pegaſus *ungula ſua dicitur aperuiſſe.* Ouid. *in* Epiſt. Sapphus:

At mihi Pegaſides *blandiſsima carmina dictant.*

Pelaſgi, (πελασγοὶ) *populi ſunt Græciæ uetuſtiſsimi, qui ex Arcadia oriundi, in cõfinio Macedoniæ conſederunt, in eo* Theſſaliæ *tractu, quẽ ab illis aliquandiu* Argos Pelaſgicum *conſtat appellatum.* Dicti *Pelaſgi, ut nonnulli putant, quaſi* πελαργόι, *hoc eſt, ciconiæ, quòd more ciconiarum, antequam ſedem ſibi deligerent, bonam partem orbis peruagarint.* Poëtæ *tamen* Pelaſgos *indifferenter uſurpant pro quibuſuis* Græcis. Verg. 2. Aeneid.

-Quem *falſa ſub proditione* Pelaſgi
Demiſere *neci.*

Pelethrónij, (πελεθρόνιοι) *cognominati ſunt* Lapithæ, *à* Pelethronio *oppido,* Pelio *monti ſubiecto.* Hi *primi omnium frænorum uſum inueniſſe dicuntur, & domandorum equorum artem: ut annotauit* Seruius *in illud* Vergilij 3. Georg.

Fræna *Pelethronij* Lapithæ, *gyrosq́; dedere.*

Péleus, (πηλεὺς) *Aeaci filius ex* Aegina, *qui ex* Thetide *uxore genuit* Achillem, *quem de illius nomine* Poëtæ Peliden *appellant.* Stat. 2. Syluar.

Semifer Aemonium uincebat Pelea Chiron.

Pélias,æ,(πηλίας) *filius* Neptuni, & Tyrûs, *Salmonei regis filiæ, frater* Aeſonis, & *Theſſaliæ rex, qui* Iaſo*nem fratris ſui filium,cuius indolem formidabat,cùm eum perditum uellet, ad* Colchicam *expeditionem incitauit. Quod tamen conſilium tantum abeſt ut illi ex ſententia ſucceſſerit, ut aureo uellere potitus* Iaſon, *magna cum gloria in patriam redierit.* Pelias *autem tandem filiarum ſuarum manibus fuit interfectus, idq́; inſtinctu* Medeæ, *quæ integræ ætati ſe illum reſtituturum ſimulabat.* Vide Ouid.7.*Metamor.*

Peligni, (πηλιγνοὶ) *populi in quarta regione* Italiæ, *Marſis finitimi,quorum caput fuit* Sulmo, Ouidij Poëtæ *patria.* Inde Pelignus,a,um.Ouid.3.Amor.

Pelignæ dicar gloria gentis ego.

Pélion,(πήλιον) *Theſſaliæ mons eſt,in ſinum* Pelaſgicum *incumbens, uerticem habens pineto, reliquam partem querneo nemore tectam.*Ouid.5.*Faſtor.*

Pelion Aemoniæ mons eſt obuerſus in Auſtros:
Summa uirent pinu:cætera quercus habet.

Pella,(πέλλα) *urbs Macedoniæ fuit,in littore* Aegæi *ma ris, illuſtrata maximè natalibus* Philippi *Macedonum regis,&* Alexandri. *Vnde uterq́;* Pellæus *à* Poëtis *cognominatur.*Lucanus *lib.*10.

Illic Pellæi *proles ueſana* Philippi
Felix *prædo iacet.*

Iuuenal.*Satyr.*10.

Vnus Pellæo *iuueni non ſufficit orbis.*

Pelopéa,(πελόπεια) *Thyeſtis filia,quæ à patre grauida facta, inſigni forma infantulum peperit:quē recenter natum, ne turpitudo ſua palàm fieret, feris deuorandum in*

ſyluis

ſyluis reliquit. Euenit tamen dijs ita uolentibus, ut paſtor quidam illac iter faciens, in puerum incideret, qui miſericordia motus, domum ſuam illum detulit, lacteq; caprino educauit: unde & Aegiſthus appellatus eſt. Hic poſtea cùm in uirum adoleuiſſet, Atreũ patruũ ſuum Thyeſtis inſtinctu interfecit. Clytæmneſtram quoq; abſente Agamemnone per adulterium polluit: uirumq́; eius è Troiano bello redeuntem, ab illa adiutus, interemit. Hinc Pelopêus, a, um, (πελόπειος.) Propert. lib. 3.

Infamis ſtupro ſtat Pelopea domus.

Peloponneſus, (πελοπόννησος) nobiliſsima eſt totius Europæ peninſula, Iſthmo anguſtiſsimo Græciæ annexa, inter duo maria Aegæum, & Ionium platani folio ſimilis, anguloſis receſsibus duos efficiens ſinus, ab ortu Saronicum, Criſſæum, ſiue Corinthiacum ab Occaſu, ſex millium anguſtijs diremptos. Olim Apia & Pelaſgia appellata. Poſtremò Peloponneſus dicta à Pelope Tantali filio, qui cùm Oenomaum Eleorum regem curuli certamine ſuperaſſet, Hippodamiam filiam eius uxorem duxit, regnumq́; dotale accepit: totamq́; illam peninſulam Peloponneſum appellauit: ut latius docebimus in dictione ſequenti.

Pelops, opis, (πέλοψ) Tantali Phrygiæ regis, & Taygetes filius, cuius pater cùm deos in terris peregrinantes hoſpitio excepiſſet, ut certo aliquo argumento diuinitatem eorum experiretur, filium ſuum illis epulandum appoſuit: à cuius eſu cùm Dij cæteri abſtinuiſſent, ſola Ceres humerum eius dextrum abſumpſit. Quem cùm Iupiter deinde ad uitam reuocaſſet, eburneum humerum ei reſtituit. Hic cùm poſtea adoleuiſſet, in Elidem ſe contulit, cui id temporis Oenomaus imperabat. Is cùm filiam unicam haberet, nomine Hippodamiam, eamq́; formoſiſsi-

mam, & regni totius hæredem, iisq́; nominibus multis procis ambitam, nulli tamen eam uoluit collocare, quòd à genero ſuo ſe interfectum iri intelligeret. Hanc *itaq; rationem excogitauit, ut procis curule certamen proponeret, (habebat enim equos uelociſsimos, ex uentorum flatu procreatos) eamq́; certaminis legem, ut uictor filiæ nuptijs potiretur, uictus mortem ſubiret.* Cunq́; *iam multos certamine uictos neci tradidiſſet, tandem* Pelops *amore* Hippodamiæ *incenſus, cùm equis ſuis parum fideret,* Myrtilum Oenomai *aurigam pecunia corrupit, ut axes fragiles currui ſubiungeret.* Quo *facto* Oenomaus *aurigæ perfidia fracto curru collapſus, membrisq́; omnibus ex ruina colliſis, cùm ſe morti uicinum eſſe animaduerteret,* Pelopem *orauit, ut uicem ſuam ulciſceretur.* Cui *ille morem gerens,* Myrtilum *perfidiæ præmium importunius exigentem in mare præcipitauit, quod deinde de nomine eius* Myrtoum *eſt appellatum.* Pelops *autem uxore & regno potitus, uniuerſam* Cherroneſum *à nomine ſuo* Peloponneſum *appellauit.* Vide *Strabonem lib.8.*

Pelôrus, (πέλωρος) *unum ex tribus* Siciliæ *promontorijs, quod in* Italiã *uergens,* Scyllæ *aduerſum eſt: ita dictũ à* Peloro Annibalis *gubernatore: quem is in* Syriam *fugam parans (ut* Pomponio Melæ *placet) ibi interemit, ſe ab eo proditum ratus, eò quòd procul intuenti continua uidebantur eſſe littora, pelagusq́; minimè peruium.* Valerius *lib.9. cap. de* Temeritate, Pelorum *hunc ab* Annibale *interfectum arbitratur eo tempore, quo is à* Petilia *ſoluens, in* Africam *reditum parabat, à ſuis reuocatus, ut patriæ periclitanti opem ferret aduerſus* Scipionem. Quæ *ſententia uidetur multò ueriſimilior.* Non *enim uideo quid ex* Africa Syriam *petenti in* Siculo *freto fuerit*

fuerit negotij: niſi quis hoc prætexat, ui tempeſtatis eò ſuiſſe appulſum. Verg. 3. Aen.

Aſt ubi digreſſum Siculæ te admouerit oræ
Ventus, & anguſti rareſcent clauſtra Pelori.

Pelúſium, ſii, (πηλούσιον) *oppidum in extrema Aegypti ora, quà Caſiotidi contermina eſt: à quo & extremum Nili oſtium, quo Aegyptus ab Aſia terminatur, Peluſiũ, ſeu Peluſiacum appellatum eſt. Hanc urbem condidit Peleus Achillis pater, monitu deorum, poſt fraternæ cædis luſtrationem. Hinc fit Peluſius, ſia, ſium,* (πηλούσιος.) *& Peluſiacus, a, um,* (πηλουσιακός.) Mart. in Xenijs:

Accipe Niliacam Peluſia munera lentem.

Verg. lib. 1. Georg.

Nec Peluſiacæ curam aſpernabere lentis.

Penátes, tium, (ἐφέστιοι θεοί) *Dij domeſtici, aut certè Dij patrij: ita dicti, teſte Cicerone* 2. de Nat. deor. *quòd penes nos nati ſint.* Verg. 1. Aeneid.

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans, uictosq; Penates.

Penélope, (πηνελόπη) *Icarij filia, & Vlyßis uxor, inexpugnabilis caſtitatis mulier, totiusq; pudicitiæ exemplar, quæ abſente totos uiginti annos marito, nullis aut parentum precibus, aut procorum pollicitationibus, adduci potuit, ut fidem quam uiro diſcedenti dederat, ſecundis nuptijs uiolaret. Cùm autem proci acrius inſtarent, atq; adeò uim illaturi uiderẽtur, tantum moræ ab illis ſibi pepigit, quantum telæ, quã tum in manibus habebat, abſoluendæ ſufficeret. Quod cùm impetraſſet, mulier aſtuta, quicquid interdiu texuerat, noctu retexebat: eoq; commento eorum cupiditatem in reditum mariti diſtulit: qui ab illa ſub mendici habitu hoſpitio ſuſceptus,*

procos ad unum omnes interemit: ut latius eſt uidere apud Homerum in Odyſſea. Dictam autem uolunt Penelopen ab auibus, quæ Penelopes dicũtur, ſiue Meleagrides, cùm antè Arnea diceretur, quaſi abiecta, & repudiata. Ferunt enim cùm ab Icario, Peribœaq́; parẽtibus eſſet expoſita, ab hoc auium genere fuiſſe educatam.

Penêus, (πηνειὸς) *fluuius Theſſaliæ, inter Oſſam, & Olympum decurrens, collibus dextra, læuaq́; molliter curuis. In eo curſu ſunt Tempe, ad quinq; millium paſſuum longitudinem, & fermè ſeſquijugeris latitudinem extenſa. Ouid. 1. Metamor.*

Eſt nemus Aemoniæ, prærupta quod undique claudit
Sylua: uocant Tempe, per quæ Penêus ab imo
Effuſus Pindo, ſpumoſis uoluitur undis.

Vide Strabonem lib. 7. 8. & 9. & Plinium lib. 4. cap. 8.
Hinc Penêus, a, um, (πήνειος.) Ouid. 1. Metamor.

Nympha precor Penea mane.

Item Peneïus, a, um, per quatuor ſyllabas, (πηνήϊος.) Idẽ paulò poſt:

Primus amor Phœbi Daphne Peneïa.

Penthesiléa, (πενθεσίλεια) *bellicoſiſsima Amazonum regina, quæ cùm Troiano bello Priamo aduerſus Græcos ſuppetias ferret, poſt multa egregiæ uirtutis documenta, ab Achille eſt interfecta. Verg. 1. Aeneid.*

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens.

Pentheùs, (πενθεὺς) *Echionis ex Agaue filius, qui cùm Bacchi ſacra cõtemneret, à matre & ſorore, numinis furore actis, eſt dilaceratus. Vide latius omnem fabulam apud Ouid lib. 3. Metamor. Inde Penthêus, a, um. Stat. lib. ſecundo Thebaidos:*

Pentheumq́; trahens, nondum te Phædimus æquo
Bacche, genus.

Percôte, es, (*Περκώτη*) *quæ & Percope olim dicta fuit, urbs eſt Troadis, autore Steph. Valer. Flac. 2. Argon.*

Iam iuga Percotes, Pariumq́; infame fragoſis
Exuperat, Phthiamq́; uadis.

Hinc Percoſius, (Περκώσιος) adiect. Idem 3. Argon.

Muneribus primas coniunx Percoſia ueſtes
Impoſuit.

Perdix, cis, (*πέρδιξ*) *auis nota, à Perdice Dædali nepote ita appellata, quem, cùm ſerræ uſum primus reperiſſet, à patruo inuidia percito ab excelſa quadam turri ferunt præcipitatum, deorumq́; miſericordia in auem ſui nominis fuiſſe transformatum: quæ etiam nunc ruinæ illius memor, uitat ſublimia, humi nidum conſtruens: ut latius fabulatur Ouidius lib. 8. Metamor.*

Pérgama, orum, (*πέργαμα, τὰ*) *arcium Troianorum nomen fuit, ut annotauit Seruius in illud Verg. 2. Aeneid.*

-Troiam incenſam, & prolapſa uidentem
Pergama.

Quanquam poſtea, ut idem fatetur, hoc nomen etiã cæteris arcibus locisq́; omnibus editis communicatum eſt. Ponitur item pro ipſa Troianorum urbe, quæ propriè Ilium fuit appellata. Verg. 1. Aeneid.

Namq; uidebat, uti bellantes Pergama circum, &c.

In eadem etiam ſignificatione legitur Pergamos, ſiue Pergamus. Autor Aetnæ,

Quis non Argolico defleuit Pergamon igni
Impoſitam?

Hinc Pergameus, a, um, hoc eſt, Troianus. Pro. li. 4. Ele. 1.

Aut ſi Pergameæ ſerò rata carmina uatis

Longæuum ad Priami uera fuere caput.

Periboea,(περίβοια) *Eurymedontis Gigantis filia fuit, ex qua Neptunus Nauſithoum ſuſcepit, Alcinoi patrem. Autor Homerus 7. Odyſſ.*

Periclymenus,(περικλύμενος Homero) *filius fuit Nelei frater Neſtoris, cui à Neptuno auo conceſſum erat, ut in quas ei uiſum eſſet, formas ſe poſſet transformare. Hercu le itaque bellũ gerente aduerſus Neleum, Periclymenus in aquilam conuerſus, faciem hoſtis unguibus, & roſtro lacerabat: donec ſagitta Herculis in aëre confixus, & in terram delapſus, altius corporis pondere adacta ſagitta, animam efflauit. Vide latius hanc fabulam apud Ouidium 12. Metamor.*

Perillus,(πέριλλος) *Athenienſis faber ingenioſiſsimus, qui Phalaridi Agrigentinorum tyranno taurum ex ære fabricauit, in quo dãnati includerẽtur, & ſubiecto igne bouis mugitum referrent. Cuius muneris nomine cùm amplißimum à tyranno (quẽ nouis ſemper tormentis ſciebat oblectari) antidoron ſperaret, ipſe præter expectationem tauro incluſus, ſuppoſitoq; igni, primus ſuæ artis præbuit experimentum. Ouid. 1. de Arte,*

Et Phalaris tauro uiolentus membra Perilli
Terruit: infelix imbuit autor opus.

Périphas, antis,(περίφας) *Theſſalus quidam fuit, pater Lapithæ, à quo Lapithæ nomen acceperunt. Autor Stephanus. Eſt item Periphas, apud Vergi. nomen cuiuſdam ex comitatu Pyrrhi, quem unà cum illo Priami regiam oppugnantem inducit libro 2. Aeneid.*

Vnà ingens Periphas, & equorum agitator Achillis, &c.

Permeſſus,(πέρμησσος) *fluuius Bæotiæ ex Helicone prouenient, Phœbo & Muſis ſacer, & iuxta Haliartum in lacum*

cum Copaidē influens, teſte Strabone lib. 9. Ver. in Sileno:

Tum canit errantem Permeßi ad flumina Gallum.

Declinatur etiam Permeßis, idis, uel idos.

Martial. lib. 1.

Quid tibi cum Cyrrha? quid cum Permeßidos unda?

Però, ûs, (πηρώ) Nelei filia ex Chloride filia Amphionis, ſoror Neſtoris et Periclymeni, eximia pulchritudine, quā cùm multi certatim proci uxorē ſibi depoſcerent, Neleus qui id temporis irreconciliabili odio ab Hercule dißidebat, negauit ſe cuipiam illam deſponſurum, niſi prius boues Herculis abactos ad ſe adduxiſſet. Quod cùm Bias Amythaonis, & Aglaïæ filius, à fratre Melāpode adiutus præſtitiſſet, uxorem eam accepit. Vide Homerū 11. Odiß.

Perrhæbi, (περῥαιβοὶ) populi fuerunt Theſſaliæ, qui Lapitharum potentia fracti, fugerunt in Aetoliæ montana, Pindo monti proxima: quæ regio ab ipſis Perrhæbia dicta eſt. Ouid. 12. Metam.

– At ipſe olim patientem uulnera mille
Corpore non læſo Perrhæbum Cænea uidi.

In hac regione eſt Pindus mons, qui inde cognominatus eſt Perrhæbus. Propertius lib. 3.

Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi?

Perſa, (πέρσι) Oceani & Tethyos filia, ex qua Sol Aeetam fertur ſuſcepiſſe: ut eſt autor Higynus in Fab. Poët.

Perſéis, idis, (περσηὶς) Nympha marina, Oceani & Tethyos filia, apud Heſiodum in Theogonia.

Perſéphone, (περσεφόνη) Iouis & Cereris filia, Latinis Proſerpina appellata, quā ab Orco in Sicilia raptā fuiſſe Poëtæ fabulantur. Ouid. 4. Faſt.

At neq; Perſephone digna eſt prædone marito.

Perſes, (πέρσης) rex fuit Macedonū, qui ab Aemylio ui-

ctus, & in acie captus, ductus eſt in triumphũ Romã *cum filijs: perijtq́; in carcere animi mœrore confectus: uel (ut alij tradunt) uigilijs maceratus.* Fuit *& alter* Perſes, So*lis et* Perſæ *nymphæ filius, pater* Hecates, *rex* Tauricæ *regionis crudeliſsimus.* Perſes *præterea autore* Herod. *libr. 7. filius fuit* Perſei Danaës *filij ex* Andromeda Cephei *filia, à quo* Perſas *originem duxiſſe ſcribit.* Hic *teſte* Plin. *lib. 7. cap. 5. primus ſagittas reperit.*

Perſeus, (περσεὺς) Iouis *filius fuiſſe fertur ex* Danaë, Acriſij Argiuorũ *regis filia, quã* Iupiter, *cõmutatus in ſpeciem aurei imbris, uitiauit.* Acriſius *enim, cùm ex oraculo didiciſſet, futurum aliquando, ut à nepote occideretur, filiam munitiſsimæ turri incluſit.* Iupiter *itaq;* Danaës *amore captus, cùm alius non pateret aditus, aſſumpta ſpecie aurei imbris, per tegulas turrim ingreſſus eſt, puellæq; fruſtra tam arcta cuſtodia ſeruatæ, ſtuprum intulit.* Quo *ex concubitu cũ illa grauida effecta eſſet, indignatus* Acriſius, *filiam unà cum nepotulo arcæ includi iuſsit, atq; in mare proijci, futurum ratus, ut uentis undiſq; obrueretur.* Quæ *res illi omnino cecidit præter opinionẽ. nã arca ad* Dauniæ *littus delata, & à piſcatore reperta eſt: in qua cùm* Danaën *cum filio inueniſſet, utrũq;* Pilumno *regi obtulit: qui cùm genus & patriam eius didiciſſet,* Danaën *quidem uxorem duxit:* Perſeum *uerò* Polydectæ Seriphi *inſulæ regi educandum tradidit: qui poſtea adultus, talaria & falcatum enſem, nomine* Harpen, *à* Mercurio, *à* Minerua *autem ægidẽ accepit: quibus fretus expeditionem aduerſus* Gorgonas *ſuſcepit.* Erant *autẽ eæ ſorores tres,* Meduſa, Sthenyo, *et* Euryale, Aethiopiæ *extrema incolẽtes, angues pro capillis habẽtes, oculũq; unicũ, quo uiciſsim utẽtes, quotquot eas aſpiciebant, in ſaxa uertebant.*

Id uer

Id ueritus Perſeus, *à* Pallade *Aegidem accepit, ex ære fulgentiſsimo, in quo, ueluti ſpeculo, effigiem eius impunè intueri poſſet. Adortus itaq; eam, cùm & ipſa & angues ſopiti eſſent, unico ictu illam peremit: caputq; eius abſciſsum in ægide collocauit: quo* Atlantem Mauritaniæ re*gem, hoſpitio ipſum excludentem in montem mutauit. Poſt hæc,* Andromedam *marino monſtro expoſitam, periculo liberauit, liberatamq; uxorem duxit,* Phineo, *eiusq; fautoribus, qui ſponſam ſibi præripere conabantur, partim occiſis, partim in ſaxa mutatis.* Poſtremò *cũ uxore in* Seriphum *inſulam reuerſus,* Acriſium *ibi offendit, quem iactu diſci imprudens interſecit.* Hyginus *tamen* Fabularum Poët. *cap. 63. autor eſt,* Danaën *unà cum filio non in* Italiam, *ſed in* Seriphum *inſulam delatã fuiſſe, ibiq;* Polydectæ *regi nupſiſſe: ubi cùm* Acriſium *auum ſuum iactu diſci (ut iam diximus) imprudens interemiſſet, dolorisq; impatiẽtia extabeſceret,* Iouis *patris ſui miſeratione in cœlum eſt translatus.* Hinc Persêus, *a, um.* Propertius *lib. 3.*

Sectaq; Perſea Phocidis *arua manu.*

Perſis, ídis, (περσίς) *Aſiæ regio celeberrima, à* Septentrione Mediam *habens, ab* Occaſu Suſianã, *ab* Ortu ſolis *duas* Carmanias, *à* Meridie Oceanum, *&* ſinus Perſici *partem.* Ouid. 1. Metamor.

Perſidaq;, *& radijs iuga ſubdita matutinis.*

Huius *regionis incolæ* Perſæ *dicuntur, à* Perſeo Iouis *&* Danaës *filio, qui hanc regionem ſubegit, nomen ſortiti.* Lucan. *lib. 10.*

Quæ tibi noſcendi Nilum Romane *cupido,*

Hæc Pharijs, Perſisq; *fuit,* Macedumq; *tyrannis.*

Hinc Perſicus, *a, um,* (περσικός.) Iuuenal. *Sat. 14.*

Nec

Nec Crœſi fortuna unquam, nec Perſica regna,
Sufficerent animo.

Perúſia, (περουσία) *Hetruriæ ciuitas, ab Achæis cõdita, in qua* L. *Antonius, ab Auguſto obſeſſus, cùm extrema fame laboraret, coactus eſt deditionem facere.* Hinc *Peruſinus, a, um,* (περουσινὸς) *Lucan. lib.* 2.

His Cæſar Peruſina fames, Mutinæq; labores
Accedant fatis.

Péſſinus, untis, (πεσινοῦς) *Phrygiæ oppidum, ab Attalicis regibus ſplendidè extructũ, Matris deûm templo, & porticibus ex candido marmore egregiè nobilitatum. Hinc Cybeles ſimulacrum Romani in urbem aduexerunt: unde & Peſſinuntia dicta eſt. meminit huius oppidi Plinius lib.* 5. *cap.* 32.

Petilía, *Plinio,* (πετηλία Ptolemæo, et Step.) *Magnæ Græciæ urbs fuit, non procul à Lacinio promõtorio, à Philoctete condita,* ἀπὸ τοῦ πέτασθαι, *id eſt, à uolãdo, quòd ex uolatu auium ſumpto augurio, ibi futuræ urbi locus ſit delectus. Verg.* 3. *Aeneid.*

–Hic illa ducis Meliboei
Parua Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

Peuce, (πεύκη) *parua eſt inſula in uno oſtiorum Iſtri, quod ab illa Peuces appellatur, teſte Plin. libro* 4. *cap.* 12. *Luc. lib.* 12.

–Et barbara Cone
Sarmaticas ubi perdit aquas, ſparſamq; profundo
Multifidi Peucen unum caput abluit Iſtri.

Val. Flac. lib. 8.

Danubij uiridemq; uident ante oſtia Peucen.

Phæáces, (φαίακες) *populi Phæaciæ, hoc eſt, Corcyræ inſulæ, otio olim luxuiq; dediti: unde Phæacem pro homine ben*

ne bene curato,uentriq́; ac gulæ addicto, uſurpat Horat. *lib.*1.Epiſt.

Pinguis ut inde domum poßis,Phæaxq́; reuerti.

Hinc Phæacius,a,um,& nonnunquam Phæacus, una minus ſyllaba.Propert.libr.3.

Nec mea Phæacas æquant pomaria ſyluas.

Phædra,(φαῖδρα) *Minois Cretenſium regis filia fuit, & uxor Theſei, quæ amore Hippolyti priuigni capta, cùm ipſum adducere non potuiſſet, ut paternum thalamum cõſpurcaret,apud patrem eum detulit,tanquam ſtuprum ſibi inferre uoluiſſet. Cui delationi temerè fidem adhibens Theſeus,Neptunum inuocauit,ut de filio ſupplicium ſumeret. Cuius precibus exauditis Neptunus Hippolyto in maris littore currum agitanti Phocas immiſit:quarũ conſpectu territi equi, relicta uia currum per ſaxa & auia traxerunt,Hippolytumq́; fruſtra renitentem, loriſq́; implicitum uarias in partes diſtraxerunt.* Extat inter Ouidianas Epiſtola Phædræ ad Hippolytum.

Phæſtus,*ſiue ut apud* Plinium *legitur* Phæſtum,(φαιςὸς Straboni) *urbs mediterranea Cretæ inſulæ.* Ouid.6. Metamor.

Proxima Gnoßiaco quem quondam Phæſtia regno
Progenuit tellus,&c.

Eſt item Phæſtus, *ſiue* Phæſtum,*oppidũ* Locrorum,*cognomento* Ozolarum,*ad ſinum* Criſſeum, *ſiue* Corinthiacũ, *ubi* Apollo *inſigne habuit templum,à quo &* Phæſtius *eſt cognominatus,teſte* Plinio *lib.*4.*cap.*3.

Pháethon,(φαέθων)*Solis filius ex* Clymene,*cui cum* Epaphus Iouis, & Iùs *filius,aliquando obieciſſet, falsò ipſum Sole patre gloriari: id enim à matre ipſius excogitatum fuiſſe,ut adulterij culpam autore honeſtiore uelaret,ægrè*

id ferens

id ferens Phaëthon, matris ſuaſu ad regiam Solis contendit: qui cùm filio muneris eligendi poteſtatem feciſſet, nihilq; ſe ei negaturum per Stygiam paludem iuraſſet, Phaëthon petijt, ut currus ſui regendi poteſtatem uno die ſibi permitteret. Quod quamuis Phœbus filio ſuo exitiale fore uideret, quoniam tamen diſſuadere ei non poterat, neque item pernegare, quòd per Stygiam paludem iuraſſet, monitis quibus potuit optimis inſtructum, currui eum impoſuit. Verum cùm ille aurigandi imperitus, cœlum & terram combureret, à Ioue fulmine è curru excuſſus, in Padum fluuium decidit. Ouid. 2. Meta.

Hic ſitus eſt Phaëthon, currus auriga paterni:
Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Phaëthontiádes, (*φαεθοντιάδες*) *Clymenes & Solis filiæ, ſorores Phaëthontis, quæ dum extinctum fratrem inſolabiliter deflent, conuerſæ ſunt in alnos arbores, ut fabulatur Verg. 6. Eclog. ut uerò 10. Aen. in populos.*

Phaëthûſa, (*φαέθουσα*) *una ex filiabus Solis ex Neæra nympha, & ſoror Lampetiæ, quæ in Sicilia patris ſui, id eſt, Solis armenta cuſtodiebant: ex quibus cùm ſocij Vlyſſis cõtra Circes monita boues aliquot mactaſſent, ad unũ omnes naufragio perierunt, ut libr. 12. Odyſſeæ fabulatur Homerus. Ouid. 2. Metam. Phaëthuſam, & Lampetien Solis & Clymenes filias fuiſſe tradit, & ſorores Phaëthontis, quæ cùm fratrem fulmine percuſſum ſupra modum lugerent, ad Eridani ripam in arbores conuerſæ ſunt, lacrymarum loco electrum exudantes.*

Phálantus, (*φάλαντος*) *Lacedæmonius quidam fuit, Tarenti in Italia conditor. Nam cùm eo in bello, quod Lacedæmonij cum Athenienſibus geſſerunt, utrinq; uires attritæ eſſent, Spartani iuuentute exhauſti, edixerunt, ut*

uirgin

uirgines quibuslibet nullo diſcrimine ſui copiam facerẽt. Sedatis autem bellis, iuuenes incertis parẽtibus nati, cùm & patriæ & ſibi eſſent opprobrio (nam Partheniatæ dicebãtur) accepto duce Phalanto, octauo ab Hercule, patriam reliquerunt, delatiq; ad breue oppidum Calabriæ, quod Taros Neptuni filius condiderat, id auxerunt, & priſco nomine Tarentum appellauerunt. Hæc ille. Eadem ferè cõmemorat Acron in illud Hora. lib. 2. Carm. Ode. 6.

Dulce pellitis ouibus Galeſi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalanto.

Phálaris, (φάλαρις) crudeliſsimus Agrigentinorum tyrannus, qui præter cætera nouorum ſuppliciorum inſtrumenta, taurum habuit æneum, Perilli arte fabricatum, in quem immiſsi damnati, igneq; ſubiecto, bouis mugitum edebant: cuius muneris nomine cùm artifex non leue munus ſperaret, iuſſu Tyranni in taurum coniectus, primus artis ſuæ ſpecimen præbuit. Ipſe quoque Phalaris, cùm nimia eius atrocitas ulterius ferri non poſſet, facto in eum uniuerſorum ciuium impetu, correptus, ei ipſi tauro, quo alios exuſſerat, incluſus, uiuus crematus eſt.

Phanæus, (φαναῖος) promontorium in Chio inſula, optimo uino nobiliſsimum: ut annotauit Seruius in illud Vergil. 2. Georg.

Sunt etiam Ammineæ uites firmiſsima uina,
Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus.

Pháon, (φάων) iuuenis fuit Leſbius, qui à Venere alabaſtrum unguenti dicitur accepiſſe, eoq; óblitus omnium formoſiſsimus euaſiſſe, eximiaq; pulchritudine cùm alias mulieres Mitylenæas, tum præcipuè Sappho Poëtriam ad ſui amorem allexiſſe. Extat Epiſtola Sapphûs ad Phaonem

inter

inter Ouidianas.

Pharnax,nacis, (φάρναξ) *Mithridatis filius fuit, qui patrẽ à Pompeio uictũ in regia obſedit, & ad necẽ ſpontaneã compulit.* Hic *poſtea cùm maiore ciuilis belli, quod tum inter Cæſarem, & Pompeij liberos gerebatur, quàm propriarum uirium fiducia, Cappadociam inuaſiſſet, à Cæſare fulminis in morem eſt obtritus, & (ut Cæſar gloriari ſolet) antequam hoſtem uidiſſet, uictus: unde etiam inter Pontici triumphi fercula (teſte Suetonio in Cæſare) tria hæc uerba fuerunt prælata, Veni, uidi, uici. non acta belli ſignificantia, ſed celeriter confecti notam. Lucanus lib. 2.*

Tigranemq́; meum, nec Pharnacis arma relinquas
Admoneo.

Pharos, (φάρος) *olim inſula fuit, Canopico Nili oſtio obiecta, dieiq́; unius nauigatione (ſi Homero credimus) à continente dirempta: hodie uerò Alexandriæ ponte coniuncta. Cuius mutationis cauſam quidam Nilo aßignant, cuius oſtia magnam perpetuò limi uim ad proxima aggerunt uada. Lucan. lib. 10.*

-Pharos inſula quondam
In medio ſtetit alta mari.

Habuit hæc inſula turrim ingentem ex candido marmore, in petra ſitã, octingentis talentis à Ptolemæo Philadelpho Soſtrati Gnidij architecti opera extructa, quæ & ipſa Pharos dicta eſt, in qua noctu accenſæ faces nauigantium curſum regebant. A cuius ſimilitudine cæteræ quoq; ſpeculæ ſimilem in uſum conſtructæ, Phari appellatæ ſunt. Papin.

Lumina noctiuagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

Hinc Pharius, a, um, id eſt, Aegyptius: ut, Pharij tyranni, pro

pro Aegyptiorum regibus, apud Lucanum libr. 10.

Pharsálos, (φάρσαλος) *Theſſaliæ oppidũ, in ripa Enipei fluminis ſitum: de quo Lucan. lib. 6.*

Emathis æquorei regnum Pharſalos Achillis.

Hinc uicini campi Pharſalici dicti ſunt, in quibus duorum ingentium bellorum ciuilium procellæ detonuerunt: primum inter Cæſarem & Pompeiũ, alterum inter Auguſtum & percuſſores Cæſaris Brutum & Caßium. Hi poſtea Philippici dicti ſunt, ſiue à Philippo rege, ſiue à Philippis uicina urbe, quam alio nomine Thebas Theſſalicas nominant.

Phaſis, (φάσις) *maximus Colchorum fluuius, ex Armeniæ montibus naſcens, & in pontum Euxinum illabens. Lucan. lib. 3.*

Colchorum qui rura facit ditißima, Phaſis.

Hinc Medea ipſa Phaſias à Poëtis cognominatur. Ouid. ſecundo de Arte:

-Maritum
Barbara per natos Phaſias ulta ſuos.

Phegeus, (φηγεὺς) *pater fuit AlpheſibϾ, qui Alcmæonem, cùm iuſſu patris matrem occidiſſet, & ob eam rẽ Furijs agitaretur, purgauit, eiq; Alpheſibœam filiam matrimonio locauit. Vide fabulam latius apud Ouid. 9. Metamor. & ſuprà in dictione Alcmæon.*

Phemónoë, (φημονόη) *prima Apollinis Delphici ſacerdos, teſte Pauſania, quæ carmen heroicum dicitur inueniſſe. Statius lib. 2. Syluar.*

-Reſtretq; arcana pudicos
Phemionoë fontes.

Eſt & Phœbados nomen, apud Lucanum lib. 5.

Phemonoën errare uagam, curisq; uacantem,

Phéneus,(φενεὸς) *lacus Arcadiæ, cuius aqua nocturno tẽpore pernicioſa, interdiu ſalutaris eſt. Ouid. li. 15. Met.*

Eſt lacus Arcadiæ, Pheneum dixere priores,
Ambiguis ſpectatus aquis: quas nocte timeto:
Nocte nocent potæ, ſine noxa luce bibuntur.

Pheræ, arum,(φεραὶ) *oppidum Theſſaliæ, ad Bœbeïdem lacum, ubi Magneſia à Pelaſgicis campis dirimitur. Homerus in Catalogo,*

Οἱ δὲ φερὰς ἐνέμοντο παρὰ βοιβηίδα λίμνην.

Eſt item eiuſdem nominis oppidum in Achaïa propriè dicta, non procul à Patris. A' Pheris deducitur adiectiuum Pheræus, a, um, id eſt, Theſſalus. Ouid. in Epiſt. Oenones:

Ipſe repertor opis uaccas pauiſſe Pheræas
Fertur, &c.

Pherecydes,(φερεκύδης) *Philoſophus, & Poëta Tragicus, ex Scyro inſula, teſte Strabone libro 10. qui Seruio Tullio Romæ regnante dicitur floruiſſe. Hic primus ſoluta oratione traditur ſcripſiſſe (ut eſt autor Apuleius in Floridis) repudiato uerſuum nexu. Perijt pediculis toto corpore enaſcentibus: quod genus morbi medici phthiriaſim appellant. Q. Serenus:*

Sed quis non paueat Pherecydis fata Tragœdi,
Qui nimio ſudore fluens animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.

Phídias, æ,(φειδίας) *nobilis fuit ſtatuarius, qui in ebore ſcalpendo citra æmulum claruit: dijs tamen (ut inquit Quintil.) quàm hominibus efficiendis melior. Inter huius opera maximè commendata eſt Mineruæ ſtatua, quã Athenis ex ebore fecit, XXVI. cubitorum altitudine: in cuius clypeo Amazonũ pugnã, & Gigantomachiam inſculpſit, in ſoleis uerò Centaurorum & Lapitharum certamen.*

tamen. Proximam commendationem meruit Iupiter Olympius, & ipſe totus ex ebore. A Phidias fit Phidiacus, a, um, (φειδιακὸς.) Propertius lib. 3.

Phidiacus ſigno ſe Iuppiter ornat eburno.

Martialis lib. 6.

Quis te Phidiaco formatum Iulia cœlo,
Aut quis Palladiæ non putet artis opus?

Philæni, *(φίλαινοι) fratres fuerunt Carthaginienſes, qui pro finiū ſuorū propagatione ſe uiuos ſepeliri ſuſtinuerūt. Nā cùm inter Carthaginiēſes & Cyrenēſes de finibus controuerſia incidiſſet, placuit ut certo tempore duo uiri ex utraq; ciuitate egrederentur, & ubicunq; ſibi obuij fierent, ibi utriuſq; ditionis termini eſſent. Itaq; Carthagine egreſſi Philæni, cùm aliquot paſſuum millia in fines Cyrenenſium proceſſiſſent, indignati aduerſarij ſe eſſe præuentos, optionem Philænis propoſuerunt, mallént ne ad fines ſuos retrocedere, an eo in loco uiui defodi: illisq; reſpondentibus, ſe patriæ ſalutem uitæ anteferre, à Cyrenenſibus, qui uiribus ſuperiores erant, uiui ibidem ſunt defoſſi. Quo in loco Carthaginiēſes, ne eximia illorum in patriam pietas ulla temporum iniuria obliteraretur, duas illic aras conſtituerunt, quas à fratrum horum nomine Philænorum aras uocauerunt. Autor Salluſtius in bello Iugurthino.*

Philammon, *(φιλάμμων) filius fuit Apollinis ex Chione nympha, clariſſimus carmine & cithara. Ouid lib. 11.*

Naſcitur è Phœbo (nanq; eſt enixa gemellos)
Carmine uocali clarus, citharaq; Philammon.

Philippi, *(φίλιπποι) ciuitas Theſſaliæ, antea Dathos appellata, quam Philippus Macedonum rex inſtaurauit, & de nomine ſuo Philippos appellauit. Lucan. libr. 1.*

-*Vidi iam* Phœbe Philippos. Verg.1.Georg.
Romanas acies iterum uidêre Philippi.

Philippus, (φίλιππος) *Amyntæ filius, & Alexandri Magni pater, Macedonum rex fuit, rei militaris peritiſsimus, rebusq́; geſtis clariſsimus, qui Macedoniæ regnum, quod anguſtis antea finibus continebatur, adeò amplíauit, ut centum quinquaginta populi in Macedonum ditione numerarentur.* Hic à *Pauſania quodam adoleſcente fuit interfectus; qui cùm de ſtupro ſibi per uim ab Attalo illato, apud regē queſtus eſſet, & pro rei indignitate ultionem fruſtra poſtulaſſet, ſeq́; etiam irrideri animaduerteret, iram in regem conuertit, & ultionem, quam ab inimico non poterat, ab iniquo iudice ſumpſit. Natus fuit* Pellæ, *quæ* Macedoniæ *ciuitas eſt, regum ſepulcris nobilitata: unde paſsim* Pellæus *à* Poëtis *cognominatur. Lucanus lib.8.*

Illic Pellæi *proles ueſana* Philippi,
Felix prædo iacet.

Philoctétes, tis, *uel* tæ, (φιλοκτήτης) *Pæantis filius, & comes* Herculis, *cui idem moriens in* Oeta *monte mandauit, ne corporis ſui reliquias cuiquam indicaret, idq́; iurare eum adegit, deditq́; pro munere pharetram & ſagittas* Hydræ *felle intinctas. Quare cùm poſtea* Delphico *oraculo moniti eſſent* Græci, *ad euertendam* Troiam *ſagittis* Herculis *opus eſſe, inuentus* Philoctetes, *& de* Hercule *interrogatus, negauit primum ſe ſcire quid illi accidiſſet: cùm uerò illi uehementius urgerent, tandem mortuum eſſe confeſſus eſt: cunq́; illi inſtarent, ut ſepulchrum eius ſibi indicaret, ne iuſiurandum uiolaret, ictu pedis locum oſtendit. Poſt hæc cùm ad bellum* Troianum *deduceretur, quòd ipſe ſolus* Lernæis *ſagittis uti poſſet, unius*

ſagittæ caſu, in pede, quo Herculis *tumulũ monſtrauerat, uulnere pené immedicabili affectus eſt: cuius fœtor cùm à* Græcis *ferri non poſſet, in* Lemno *relictus eſt.* Verùm *occiſo* Achille, Vlyſſes *in* Lemnum *regreſſus, ad* Troiam *illum reduxit, ut inquit* Ouidius, *libr.* 13. Metamorp. *ubi & Paridem, ſingulari certamine ab eo prouocatus, ſagittis interfecit.* Euerſa *autem* Troia, *pudore, ne in patriam æger rediret, impeditus, in* Calabriam *uenit, ibiq́;* Petiliam *condidit.* Vergil. *lib. 3.* Aeneid.

–Hic illa ducis Meliboei

Parua Philoctetæ *ſubnixa* Petilia *muro, &c.*

Tandem *opera* Machaonis *medici ſanatus eſt,* Propertio *teſte, qui inquit:*

Tarda Philoctetæ *ſanauit crura* Machaon.

Philoméla, (φιλομήλη) Pandionis Athenienſium *regis filia, quam* Tereus Thraciæ *rex, qui* Prognen *ſororem eius uxorem duxerat, uiſendæ ſororis prætextu à patre abductam, in itinere uiolauit, & ne flagitium cuiquam indicare poſſet, linguam ei præcidit, arctiſſimæq; cuſtodiæ eam incluſit.* Verùm *illa (uti erat lanificij peritiſſima) rem omnem, quo geſta erat ordine, in tela depinxit: eamq́; per famulam ad* Prognen *miſit: quæ quamuis ſororis iniuria grauiſſimè commota, ultionem tamen in* Orgiorum *tempus diſtulit: quo tempore magna mulierum caterua comitata, thyrſisq́; & pellibus inſtructa, ſororem carceri eripit, & in regiam perducit: ubi communicato cum illa conſilio,* Itym *filium ſuum iugulat, patriq́; comedendum apponit: illoq́; epulis tam nephandis iam ſatiato, ſub finem cœnæ pueri caput in conuiuium affert.* Quo *agnito,* Tereus *furore percitus, cùm ſtricto gladio uxorem inſequitur, in upupam commutatur, e-*

tiamnunc criſtam militarem in capite gerentem, Progne autem in hirundinem, Itys uerò in phaſianum, Philomela deniq; in luſciniam, etiam hodie de Terei iniuria ſuauiſſimo cantu conquerentem. Martialis lib. 14.

Flet Philomela nefas inceſti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

Phílyra, (φίλυρα) *filia fuit Oceani, ex qua Saturnus in equum conuerſus, Chironẽ Centaurũ dicitur ſuſcepiſſe: qui à matre Philyrides, & Philyreius dicitur. Scribitur autẽ hoc nomen, & eius deriuata, ſimplici l. Ouid. 5. Faſt.*

Excipit hoſpitio iuuenem Philyreïus heros.

Poëtæ tamẽ ſuo iure, ut primam ſyllabam extendant, geminant hanc conſonantem. Ouid. lib. 1. de Arte amandi:

Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem.

Phíneus, (φινεὺς) *Agenoris fuit filius, ut Hellanicus ait: ut Heſiodus, Phœnicis & Caßiopeæ, Agenoris nepos, frater Cilicis, Dorycli, & Atamini. Hic igitur rex Arcadiæ, uel ut alij, Thraciæ, uel ut rurſus alij, Paphlagoniæ, uxorem duxit Cleopatram (quam quidam Sthenobœam uocant) ex qua genuit Orythum, & Crambum, ut Sophocles: ut alij Maryandinum & Thynum: uel ut rurſus alij, Palæmonem & Phinea: quibus, mortua priore coniuge, Harpalycen, Calais & Zethæ ſororem, nouercam ſuperinduxit: quamuis Flaccus non Harpalycen, ſed Cleopatram Boreadum ſororem appellet: cui etiam Apollonij Commentarius ſubſcribit, qui lib. 1. dicit, Phineũ Cleopatram Boreæ & Orithyiæ filiam uxorem duxiße, ſecundam uerò Idæam Dardani filiam nouercam ſuperinduxiſſe: cuius ſuaſu filios ſuos ex Cleopatra ſuſceptos excæcauit. Quapropter & ipſe excæcatus eſt à Dijs, & Harpyiæ contra eum miſſæ, quæ cibos & menſam eius*

turpiſsimè fœdarunt. Poſtea uerò aduenientibus ad ea loca Argonautis à Calai & Zethe fratribus alatis, rurſus ad Strophades inſulas fugatæ ſunt: ut ſuprà docuimus in dictione Calais. Poſtremò occiſus eſt ab Hercule, cum is in ſolitudine liberos Phinei offendiſſet excæcatos, comperiſſetq́; eos calumnijs nouercæ eiectos fuiſſe. Hinc Phineus, a, um, apud Senec. & Phineïus, a, um, apud Vergil. lib. 3. Aeneid.

-Quas dira Celæno
Harpyiæq́; colunt aliæ, Phineïa poſtquam
Clauſa domus, menſasq́; metu liquere priores. &c.

Phlégethon, thontis, (φλεγέθων) fluuius infernalis, flammis æſtuantibus rapidus, à φλέγω ardeo. Vergilius 6. Aeneidos,

Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetq́; ſonantia ſaxa.

Phlégon, (φλέγων) unus ex equis Solis, ἀπὸ τοῦ φλέγειν, quod eſt ardere, dictus. Ouid. 1. Metamor.

Interea uolucres Pyrois, & Eous, & Aethon
Solis equi, quartusq́; Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Phlegra, æ, uel Phlægre, es, (φλέγρα) urbs eſt Macedoniæ, Pallene proxima, teſte Plin. lib. 4. cap. 10. aut (ut Eudoxus mauult) eadē cum Pallene, & uallis circa hanc urbem, in qua Gigantes olim cum cœleſtibus conflixere. Statius lib. 10.

Quæ nam ſpes hominū tumidæ poſt prælia Phlegræ?

Fuerunt & campi Phlegræi in Campania iuxta Cumas, in quibus Hercules cum Gigantibus conflixit: de quibus multa Strabo lib. 5.

Phlégyas, (φλεγύας) Martis filius, rex Lapitharum in

Theſſalia, pater Ixionis, & Coronidis nymphæ: quam cùm ab Apolline uitiatam ſenſiſſet, confeſtim ira percitus, templum eius Delphis incendit. Quapropter Apollo iratus, ipſum ſagittis interfectum ad inferos detruſit, ubi hac pœna afficitur, ut ſub ingenti ſaxo ruinam minitante ſedens, ſemper illud caſurum ſuſpicetur, & timeat. Phlegyæ item populi ſunt inſulani Theſſaliæ, à Phlegya Ixionis patre cognominati: hi cùm ſacrilegi eſſent, deosq́; & homines ſpernerent, ab irato Neptuno immiſſo diluuio ſubmerſi ſunt, quorum apud inferos meminit Vergil. lib. 6.

-Sedet, æternumq́; ſedebit
Infelix Theſeus, Phlegyasq́; miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur uoce per umbras,
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

Phocæa, (φωκαία) *Ioniæ ciuitas, Athenienſium colonia: ita dicta à phocarum multitudine, quæ urbem condentibus circa hoc littus apparuerunt: ut eſt autor Strabo lib. 14. Huius incolæ dicti Phocæi, (φωκαεῖς) qui aſsiduis Perſarum bellis exagitati, communi conſenſu patriam reliquerunt, dirisq́; execrationibus ſe deuouerunt, ſi quando eòdem redire conarentur. Varia deinde fortuna uſi, tandem in Galliam delati ſunt, ubi Maßiliam condiderunt. Horatius:*

Nulla ſit hac potior ſententia, Phocæorum
Velut profugit execrata ciuitas:

Vide Eraſmum in prouerbio, Phocenſium execratio.

Phocis, idis, (φωκίς) *exigua Græciæ regio: ſinui Criſſæo adiacens, Delphico oraculo, & Helicone, Parnaſſoq́; montibus inclyta. Huius incolæ dicuntur Phocenſes, (φωκεῖς) à quibus nonnulli putant profectos eſſe Maßi-*

liæ

liæ conditores, non (ut alij exiſtimant) à Phocæenſibus Ioniæ populis. Cui etiam ſententiæ non obſcurè ſubſcribit Plinius lib.3.cap.4. ubi Maßiliam Græcorum Phocenſium coloniam appellat, ad diſcrimen, ut uidetur, Aſiaticorum. Idem innuit & Lucanus lib.5.cùm ait,

Maßiliæq; ſuæ donatur libera Phocis.

Hinc Phocaïcus, a, um, (φωκαϊκός.) Lucan.lib.3.

Phocaïcas Amphiſſa manus, ſcopuloſaq; Cyrrha.

Phœbas, adis, (φοιβὰς) *Phœbi ſacerdos, quæ diuino correpta furore cõſulẽtibus ex tripode oracula edebat.* Sidon.

Nec ſic intortum uiolatæ Phœbados ultrix
In Danaos fulmen iecit.

Phœbe, (φοίβη) *eadem quæ Diana ſiue Luna, à Phœbo fratre ita dicta.* Ouid.2.Metamor.

Quanto ſplendidior, quàm cætera ſidera, fulget
Lucifer, & quanto, quàm Lucifer, aurea Phœbe,
Tanto uirginibus præſtantior omnibus &c.

Phœbus, (φοῖβος) *idẽ qui Apollo, ſiue Sol, Iouis & Latonæ filius, eodẽ partu cũ Diana editus, diuinationis, & Muſicæ deus à Poëtis habitus, & Medicinæ repertor. Dictus Phœbus, quaſi* φῶς τοῦ βίου, *hoc eſt, lux uitæ.* Vergil.3. Eclog.

Et me Phœbus amat: Phœbo ſua ſemper apud me
Munera ſunt, &c.

Hinc Phœbeus, a, um, (φοίβειος.) Vergil.3.Aen.

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

Phœníces, (φοίνικες) *populi Syriæ, Iudæis contermini, quorum præcipuæ urbes fuerunt Tyrus & Sidon, & quæ cum his Tripolim efficit, Aradus. Horum regio Phœnice dicitur,* (φοινίκη) *à Phœnice quodam Neptuni & Lybies filio, ut Stephano placet.* Silius lib.1.

Et qui longa dedit terris cognomina, Phœnix.

Hi primi literas inueniſſe creduntur: quod & Lucanus aſſerit lib. 3.

Phœnices primi (famæ ſi creditur) auſi
Manſuram rudibus uocem ſignare figuris.

Phœnix, (φοίνιξ) *Amyntoris filius, et præceptor Achillis, qui cùm matris ſuæ hortatu cũ patris concubinã rem habuiſſet, Diris impetitus à patre, relicta Hellade in Theſſaliam ſeſe contulit ad Peleum regem, qui illi Dolopum procurationem commiſit, filiumq́; Achillem in diſciplinã tradidit: quem etiam ad bellum Troianum comitatus eſt: ut ipſe narrat apud Homerum lib. 9. Iliad. Phœnix item alius fuit, Agenoris filius, & Cadmi frater, à quo Phœnices nomen acceperunt, ut in ſuperiore dictione teſtimonio Lucani docuimus.*

Phóloë, (φολόη) *mõs Arcadiæ ſyluoſus, oppidum habens eiuſdem nominis, teſte Plin. lib. 4. cap. 6. Lucan. lib. 7.*

Scilicet ipſe petet Pholoën, petet ignibus Oetam.

Pholus, (φόλος) *unus ex Centauris, Ixionis ex Nube filius, qui Herculem ad Pirithoï nuptias euntem hoſpitio excepit, eoq́; in tumultu, qui inter Lapithas & Centauros iiſdem in nuptijs exortus eſt, occubuit. Lucan. lib. 6.*

Hoſpes & Alcidæ magni, Phole, &c. Ver. li. 2. Geor.
Bacchus & ad culpam cauſas dedit. ille furentes
Centauros leto domuit, Rhetumq́; Pholumq́;.

Phorbas, antis, (φόρϐας) *filius Priami & Epitheſiæ, Staſippi Mygdoniæ filiæ, inter fratres natu maximus, adeò ut Priami frater potius, quàm filius uideretur. Quam ob cauſam cùm pater eum, ueluti emeritum, à prælio iuberet abſtinere, illo tamen inuito non ſemel in pugnam deſcendit, & poſt multa egregia facinora, fauente Mercu*

rio,

rio edita, tandē à Menelao eſt obtrūcatus. Huius imagine aſſumpta Somnus deus Palinurum decepit: ut placet Verg. 5. Aen.

-Puppiq; deus cōſedit in alta,
Phorbanti ſimilis, &c.

Phorcus, ci, *uel Græco more* Phorcys, *aut etiā* Phorcyn, cynos, *(φόρκυς φόρκυν) filius fuit* Neptuni *&* Thooſæ *nymphæ, rex Corſicæ & Sardiniæ inſularū: quē ab Atlante nauali prælio uictū, undaq; obrutū poſtea ſocij ſuperſtites, in marinum Deum conuerſum dixere, eiq; diuinos honores exhibuere. Verg. 5. Aeneid.*

Tritonesq; citi, Phorciq; exercitus omnis, &c.

Hic pater fuit Meduſæ, quæ ob id nomine patronymico Phorcynis dicitur. Ouid. 5. Metam.

-In partem Phorcynida tranſtulit illam.

Nonnunquam etiam Phorcys, ydos. Propertius lib. 3.

Sectaq; Perſea Phorcydos ora manu.

Phoróneús, *(φορωνεὺς) filius fuit Inachi fluuij, & Argiuorum rex, qui initio diſperſos populos in urbem coëgit, quam appellauit Argos Phoronicon. Hinc Phoronis, idis, patronymicum fœmininum, quod Poëtæ uſurpant pro Iſide Inachi filia, & Phoronei ſorore. Ouid. 1 Met.*

Nec ſuperûm rector mala tanta Phoronidos ultrà
Ferre poteſt.

Itē Phoronêus, a, um, per quatuor ſyllabas. Stat. 3. Syluar.

Iſi Phoroneis quondam ſtabulata ſub antris.

Phóſphorus, ri, *(φωσφόρ☉) ſtella matutina, quam Latini uerbum ex uerbo reddentes, Luciferum appellant. Martialis lib. octauo,*

Phoſphore redde diem: quid gaudia noſtra moraris?

Phrygia, *(φρυγία) minoris Aſiæ regio, Cariæ, Lydiæ, My*

ſiæ,

ſiæ, & Bithyniæ finitima, quarum omnium fines ita coë-unt, ut difficulter poßint distingui, teste Strabone lib. 13. Dicta eſt autem Phrygia (ut idem Strabo non uno in loco indicat) à Phrygibus populis, è Thracia oriundis, qui anteà Bryges dicebantur. Quidam duplicem faciūt Phrygiam, Maiorem, in Galatiam uergentem: & Minorem, quam Epictetum cognominãt. In Phrygia eſt Ida mons, in quo Aeneas, capto iam Ilio, claſſem ædificauit, qua ſe in Italiam recepit. Verg. 9. Aen.

Tempore quo primùm Phrygia formabat in Ida
Aeneas claſſem, &c.

Phryx, ygis, (φρὺξ) *gentile à Phrygia deductum: cuius fœmininum eſt Phrygiâ. Vergil. 9. Aen.*

O uerè Phrygiæ, neq; enim Phryges.

Phryxus, (φρύξος) *Athamantis ex Nephele filius, qui cùm nouercales inſidias ferre non poſſet, unà cum Helle ſorore profugit, acceptoq; à patre ariete, cui uellus erat aureum, eóque conſcenſo cùm in Aſiam traijcere uellent, Helle puellari timore exterrita, decidit in mare, quod ex eius nomine Helleſpontus appellatur. Phryxus uerò incolumis in Colchidem peruenit ad regem Aeeten, ubi arietem Ioui immolauit, uellusq; arietis in luco Martis ſuſpēdit: quod poſtea Iaſon, Medeæ auxilio dracone inſomni ſopito abſtulit: ut latius fabulatur Ouidius lib. 7. Met.*

Phthia, (φθία) *urbs Theſſaliæ, patria Achillis. Vergil. 11. Aeneid.*

Cùm domus Aſſaraci Phthiam, clarasq; Mycenas
Seruitio premet, &c.

Hinc Phthius, a, um, (φθῖος.) Ouid. in Epiſt. Briſeid.

Quàm ſine me Phthijs caneſcant æquora remis,
Et uideam puppes ire relicta tuas.

Phyla

Phylace, (φυλάκη) *oppidum eſt Phthiotidis, regionis Theſſaliæ, cuius meminit* Homerus *in Catalago:*

Οἵ δ' εἶχον Φυλάκην, καὶ Πύῤῥασον ἀνθεμόεντα.

In hoc oppido Proteſilaus regnauit: unde & Phylacides cognominatus eſt, & Laodamia eiuſdē uxor, Phylaceia. Ouidius libro 3. de Arte

Phylacides aberat Laodamia tuus.

Vbi poëta primam produxit, contra primitiui naturam, quam alibi in dictione Phylaceïa corripuit, 3. de Ponto,

Vt uiuat fama coniunx Phylaceia, cuius, &c.

Phyllis, (φυλλὶς) *Lycurgi Thracum regis filia, quæ Demophoonta Theſei filium, ex Troiano bello redeuntem, hoſpitio, lectoq; excepit, accepta prius ab eo fide, ut domi compoſitis rebus ſeſe uxorem duceret. Profectus itaq; Demophoon, cū ultra ſtatutū tēpus uarijs diſtrictus negotijs in patria detineretur, Phyllis & amoris impatientia, & doloris impulſu, quòd ſe ſpretā eſſe crederet, laqueo uitā finiuit, et cōuerſa eſt in arborē amygdalū ſine folijs. Poſtea reuerſus Demophoon, cognita re, eius āplexus eſt truncū, qui (uelut ſponſi ſentiret aduentū) folia emiſit. Vnde etiā Phylla ſunt dicta à Phyllide, quæ antè Petala dicebantur. Extat Epiſtola Phyllidis ad Demophoontem inter Ouid.*

Picentes, *qui & Piceni dicuntur,* (πικηνοὶ) *populi ſunt in quinta regione Italiæ, ad mare Adriaticum ſiti, Prætutianis finitimi, à quibus Heluino amne dirimuntur, teſte Plinio libro 3. cap. 13. Horum regio Picenum appellatur, olim uberrimæ multitudinis, quippe ex qua* CCCLX. *hominum millia aliquando in fidem pop. Romani uenere. Dicti Picentes, teſte Strabone lib. 5. à Pici Martij omine, qui in uexillis eorum è Sabinis (à quibus originem traxerunt) Aſculum commigrantium, dicitur inſediſſe.*

Picenti

Picentîni,(ϖικεντῖνοι) *populi ſunt ad mare Tyrrhenum, Lucanis proximi, inter Surrentinum promontorium & Silarum amnem incolentes, à Picentibus maris Adriatici accolis originem trahentes.* Horum *oppida fuerunt* Picentia & Surrentum. Vide *Strabonem lib.5.&* Plin. *libro 3. capit. quinto.*

Picênum,(πικηνὸν) *regio* Italiæ *trans* Apenninum, *ab ipſis montibus uſque ad mare* Adriaticum *extenſa, inter* Aeſim & Leuſtrum *fluuios, teſte* Strabone *li.5.* Hodie *ab* Ancona *celeberrimo emporio* Marchia Anconitana *appellatur. Vrbes habet præcipuas* Piſaurum, Fanum *fortunæ*, Senam Gallicā, Vrbinum, Camerinū, Aſculū, *ipſamq;* Anconam, *à Syracuſanis*, Dionyſij *tyrannidem fugientibus, conditam.* Huius *populi* Picentes & Piceni *appellantur, diuerſi à* Picentinis, *maris* Tyrrheni *accolis.* Hinc Picenus, *cena, cenum*,(ϖικηνός.) *ut*, Ager Picenus, & Oliua Picena, *apud* Plin. *lib.15. cap.3.*

Picus,(ϖῖκος) *rex fuit* Latinorum, Saturni *filius*, Fauni *pater*, Latini *regis auus, auguriorum peritiſſimus, qui à* Circe *adamatus, cùm ſpreto eius cōiugio* Canentem Nympham *duxiſſet uxorem, ab irata* Dea *uirga percuſſus fertur, & mutatus in auem ſui nominis.* Quod *idcirco fingi creditur, quoniam primus hac aue uſus eſt in auſpicijs.* Vide *latius hanc fabulam apud* Ouid. *lib.14.* Metamor. *ibi:*

> Picus *in* Auſonijs *proles* Saturnia *terris.*

Et *Seruium in illud* Verg. *7.* Aeneid.

> Picus *equûm domitor, quem capta cupidine coniux*
> Aurea *percuſſum uirga, uerſumq; uenenis*
> Fecit *auem* Circe, *ſparſitq; coloribus alas.*

Piéria,(ϖιερία) *regio in finibus* Macedoniæ, *inter* Axium & Aliacmonem *fluuios, quam* Macedones *pulſis indigenis*

nis occuparunt, teſte Plin.lib.4.cap.10. & Strabone lib. 10. Hinc Muſæ Pierides dictæ creduntur, quòd in Pieria ex Ioue & Mnemoſyne natæ ſint. Vergil.Eclog.9.

– Et me fecere Poëtam
Pierides.

Pîerus, (πίερος) *mons Theſſaliæ poſt Pheras, in Macedoniam uſq; protenſus, teſte Plinio lib.4.cap.8. In hoc monte quidam Muſas natas uolunt, atque inde Pieridas eſſe appellatas: quanquam alij à Pieria regione, & alij rurſum à Pieri filiabus, quas cantu uicerunt, dictas malunt.*

Píerus, (πίερος) *Macedo quidam fuit prædiues, qui ex Euippe uxore nouem ſuſcepit filias, quæ Muſas ad certamen cantus prouocare auſæ, & ab illis ſuperatæ, in totidem picas ſunt mutatæ: unde poſtea Muſæ earum nomen, uelut trophæum, uſurpantes, Pierides ſunt cognominatæ: quamuis alij à Pieria, quæ eſt Macedoniæ regio, alij à Piero Theſſaliæ monte ſic dictas uelint. Vide latius hanc fabulam apud Ouidium lib.5. Metamor.*

Pilumnus, (πίλουμνος) *Iouis filius fuit, & eius Apuliæ partis, quæ poſtea Daunia dicta eſt, rex, qui Danaën Acriſij filiam, ad Appulum littus unà cum Perſeo filio delatam, uxorem duxit, & Daunum ex ea ſuſcepit, Turni patrem. Vergil.10.Aen.*

Cui Pilumnus auus, cui Diua Venilia mater.

Quem locum explicans Seruius, Picumnum, & Pilũnum fratres fuiſſe ait, quorum ille ſtercorandorum agrorum uſum inuenerit: unde & Sterculinus dictus eſt: Pilũnus uerò pinſendi frumenti rationem: unde & pilum ab ipſo nomen uolunt accepiſſe.

Pimpla, (πίμπλη) *mons Macedoniæ, olim à Thracibus poſſeſſus, in cuius radicibus fons fuit Pimplæus, & antrum*

trum Pimplæum, Muſis conſecratum. Martial. lib. 12.

Cuius Pimplæo lyra clarior exit ab antro.

Hinc Muſæ ipſæ Pimpleïdes cognominantur.

Píndarus, (πίνδαρος) Poëta fuit Thebanus, Lyricorum apud Græcos princeps, & Aeſchyli Tragœdi æqualis. Scripſit lingua Dorica Olympia, Pythia, Nemeæa, & Iſthmia, quæ etiam hodie extant. Fertur in primis ſublimis, uerborumq; & ſententiarum copia torrentis inſtar affluens: unde & inimitabilem eſſe affirmat Horatius, lib. 4. Carm. Ode 2. ſic ſcribens:

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, uitreo daturus
Nomina Ponto.

Huic tantum tribuit Alexander, ut cùm Thebas euerteret, & in omnes ſine diſcrimine ſæuiret, unius Pindari penatibus familiæq; parci iuſſerit. De morte eius tradit Valerius, quòd in gremio pueri adamati expirarit.

Píndus, (πίνδος) mons eſt Perrhæborum, inter Acarnaniam & Theſſaliam, Lapitharum olim ſedes, quem nonnulli etiam inter montes enumerant, Muſis conſecratos. Verg. 10. Eclog.

Nam neque Parnaßi uobis iuga, nam neq; Pindi
Vlla moram fecere, neq; Aonia Aganippe.

Piræeus, (πειραιεὺς) dictio triſyllaba, eu, diphthongum habens in ultima, portus eſt Athenarum, quadringentarum capax nauium, muro duorum millium paſſuum urbi coniunctus. Statius 12. Thebaid.

–Trepidis ſtabilem Piræea nautis.

Dicitur & Piræus, (πειραιὸς Steph.) Terent. in Eunu. Heri aliquot adoleſcentuli conuenimus in Piræum. Ouid. 4. Faſtor.

Paſtor. Piræa, orum, pluraliter protulit, cùm ait:

Sunion expoſitum, Piræaq; tuta receſſu
Linquit.

Piréne, es, per i, noſtrum, in prima ſyllaba, (πειρήνη Straboni & Suidæ) fons eſt ad radicem Acrocorinthi, Muſis ſacer, non copioſas ille quidem, attamen perſpicuas, potuq; ſuauiſsimas habens aquas, teſte Strabone libr. 8. Statius lib. 1. Syluarum:

Licet enthea uati
Excludat Pimplæa ſitim, nec conſcia detur
Pirene: largos potius mihi gurges inhauſtus,
Qui rapitur de fonte tuo.

Pyrene autem per y, mons eſt, Hiſpanias à Gallis dirimẽs: de quo uide infrà ſuo loco.

Piríthous, (πειρίθοος) Ixionis filius fuit, non ex Nube, quemadmodum Centauri, ſed ex legitima uxore. Hic firmiſsimo amicitiæ fœdere Theſeo coniunctus fuit: cuius etiam ope Centauros, qui ſibi Hippodamen ſponſam præripere conabantur, ſuperauit. Mortua autem Hippodame, ita illi cum Theſeo conuênit, ut uxorem, niſi ex Ioue natam, nullam ducerent: & cùm iam Theſeus Helenam Iouis & Ledæ filiam rapuiſſet, nec alia eo temporis noſceretur, quæ Iouis eſſet, præter Proſerpinam Plutonis coniugem, ad rapiendam illam ſimul profecti ſunt ad inferos. Verùm Pirithous primo impetu à Cerbero interfectus eſt, cui cùm Theſeus opem ferre conaretur, uiuus in Ditis poteſtatem peruenit, & ab eodem in catenis eſt ſeruatus, donec Hercules ab Euryſtheo ad inferos miſſus eum liberauit. Ouid. 6. Metamor.

Et cum Pirithoo felix concordia Theſeus.

Piſa, æ, (πίσα) ciuitas eſt in Elide, Peloponneſi regione,

iuxta Alpheum fluuium, circa quam quinto quoq; anno celebrabātur certamina Ioui *ſacra, quæ* Olympia *dicebātur.* Ex *hac urbe ortum traxerunt, qui* Piſas *in* Tuſcia *cōdiderunt.* Hinc Piſæus,a,um. Ouid. 2. de Arte:

Ah quàm penè Pelops Piſæo *concidit axe,*
Dum ſpectat uultus Hippodamia *tuos.*

Piſæ, arum, (πίσαι) *Tuſciæ oppidum, inter Arnum & Auſerem amnes, à* Piſæis *conditum* Elidis *populis, teſte* Strabone *libr.* 5. *qui* Neſtorem *ad* Ilium *ſecuti, in reditu tempeſtate diſiecti, alij quidem* Metapontum, *alij littus* Tyrrhenum *tenuerunt, ubi à nomine relictæ patriæ* Piſas *condiderunt. Ad quam originem etiam alludit* Verg. 10. Aen. Piſas *Alpheas cognominans:*

-Alpheæ (inquit) ab origine Piſæ
Vrbs Hetruſca *ſolo.*

Piſidia, æ, (πισιδία) *Aſiæ regio,* Lycaoniæ, Iſauriæ, & Pamphyliæ *finitima, cuius oppida enumerantur* Selga, Sagalaſſum, Petneliſſum, Adadata, Brias, Cremna, *& alia nonnulla. Huius regionis populi* Piſidæ, (πισίδαι) *appellantur, antea* Solymi *dicti, teſte* Plinio *lib.* 20. *cap.* 27. Claudian. 2. in Eutrop.

Finibus obliquis Lydi, Piſidæq; *feroces.*

Piſiſtratus, (πισίστρατος) Neſtoris & Eurydices *filius fuit, quem pater* Telemacho *comitem addidit, in* Laconiā *profecturo, ut* Menelaum *de patre percontaretur: ut eſt autor* Homerus *lib.* 3. Odyſſ. Fuit & Piſiſtratus *alter,* Hippocratis *filius, &* Athenarum *tyrannus, clarus genere, eloquentia uerò tanta, ut ea deliniti* Athenienſes *libertate, qua nihil charius habebant, ſe ſponte exuerēt, illiusq; facundiæ ſanctitatem* Solonis, *qui numen fuerat ciuitatis, poſthaberent. Artes liberales maximè fouit: bi-*

blioth

bliothecam primus Athenis *publicauit, quam* Xerxes *urbe potitus,ad* Perſas *tranſtulit.* Quibus *autem artibus tyrannidem adeptus ſit,uide apud* Herodotum *lib.1.*

Pitane,*ſiue* Pitana,(πιτάνη) *urbs* Aeolidis *in* Aſia, *nō procul à* Caïci *fluminis oſtio, duobus inſignis portubus: cuius incolæ* Pitanæi,(πιταναῖοι) *&* Pitanitæ,(πιτανῖται) *nominantur.* Ouid.*lib.7.* Metamor.

Aeoliam,Pitanen *à læua parte reliquit,&c.*

Pithecûſa,æ,*uel* Pithecûſæ,arum,(πιθηκοῦσαι Ste*phano*) *inſula eſt* Campano *littori adiacens, non procul à* Neapoli, *à* Vergilio Inarime *dicta, à quibuſdam etiam* Aenaria, *à ſtatione nauium* Aeneæ. *Dicta* Pithecuſa, (*ut* Ouid.*lib.14.fabulatur*) *à* Cercopibus, *deterrimo hominū genere,quorum fraudem periuriaq́; exoſus* Iupiter, *in ſimias eos commutauit, & in hac inſula collocauit.* Græci *enim ſimias* πιθήκους *appellant. Verùm hanc nominis rationem, tanquam fabuloſam, reijcit* Plinius *libr. 3.cap.6.docetq́;* Pithecuſas, *non à ſimijs appellatas, ſed à figlinis doliariorum.* Dolia *enim* Græci πίθους *uocant.* Habet *autem hæc inſula in uertice oppidum eiuſdem nominis:de quo* Ouidius *loco iam citato:*

–*Steriliq́; locatas*

Colle Pithecuſas,*habitantum nomine dictas.*

Pittacus,(πίττακος) *Philoſophus* Mitylenæus, *unus ex ſeptem* Græciæ *ſapientibus, qui ex* Leſbo *tyrannum* Melanchrum *depulit: exortoq́; deinde inter* Athenienſes Mitylenæosq́; *bello,* Phrynonem *hoſtium ducem ad ſingulare certamen prouocauit,retiq́;,quod occultè ſecum attulerat,implicitum,facile ſuperauit.* Qua *ex pugna* Retiariorum, *&* Mirmillonum *factiones originem ſumpſiſſe putantur.*

Pittheus,ei,(πιτθεὺς) Theſei auus maternus, qui Trœzene regnauit: de quo uide Plutarchum in uita Theſei. Hinc Pittheis,(πιτθηὶς) patronymicum fœmininum:quo Poëtæ utuntur pro Aethra Pitthei filia, & matre Theſei. Ouidius in Epiſt. Ariadnes ad Theſeum:

Non pater eſt Aegeus,non tu Pittheidos Aethræ
Filius,

Item Pittheius,a,um.Idem in Epiſt.Phædræ:

Hic tecum Trœzena colam,Pittheia regna.

Platææ,arum,(πλαταῖαι Stephano) ciuitas eſt Bœotiæ, ſub Cithærone monte, non longè à Thebis. Dicta à latitudine remorum, ut inquit Strab. libr. 9. nam πλάτη, Græcis eſt latior pars remi. Platæenſes autem remigatione uictum quæritabant. Non procul ab hac urbe Pauſanias & Ariſtides Mardonium Xerxis ducem, & conſobrinum ſuperauere,Statius 6.Thebaid.

Nuntiat excubijs uigiles arſiſſe Platæas.

Plato,(πλάτων) Philoſophus fuit inſignis, ſectæ Academicæ princeps, Ariſtonis & Parectoniæ filius:ex humerorum latitudine ſic dictus, cùm antea ex aui nomine Ariſtocles uocaretur. Hic adhuc adoleſcens palæſtra ſe exercuit:picturæ operam dedit: Tragœdiasq́;,& poëmatia quædam conſcripſit.Poſt hæc ad Socratem ſeſe contulit, ſub quo breui tantum in Philoſophia profecit, ut non immeritò Diuinus Plato,& Philoſophorum Homerus fuerit appellatus.Horat. in Epiſt.

Pythagoran, Anytiq́; reum,doctumq́; Platona.

Pleiades,(πλειάδες) ſeptem ſunt ſtellæ, inter os Tauri, & caudam Arietis ſitæ,teſte Higyno in Aſtron.poët.quæ ortu ſuo primæ nauigationis tempus oſtendunt: unde Græcè Pleiades dicuntur, ἀπὸ τοῦ πλεῖν, quod eſt nauigare.

gare. Latinè Vergiliæ dicuntur, à uerni temporis ſignificatione, quo oriuntur. Nam circa æquinoctium uernum earum ortus matutinus eſt. Has Poëtæ Atlantis filias faciunt, ex Pleione Nympha: unde & Pleiadum nomen tractum eſſe quidam exiſtimant. Sunt qui putent Pleiades dictas quaſi πλέονας, hoc eſt, plures, quòd nunquam ſingulæ appareant, ſed omnes ſimul, præter Meropen, quæ uix conſpici poteſt. Pherecides has tradit ſeptem ſorores fuiſſe, Lycurgi filias, ex Naxo inſula, Liberi patris nutrices ab Ioue inter ſidera relatas. Harum nomina putantur Electra, Alcyone, Celæno, Maia, Aſterope, Taygete, Merope: quarum ſeptima uix cerni poteſt: cuius cauſam afferunt, quòd cùm reliquæ ſorores dijs nupſiſſent, ſola Merope, mortali uiro Siſypho nupſerit: quam ob cauſam, ueluti pudibunda, latitat. Alij putant hanc eſſe Electram, & idcirco obſcuriorem uideri, quòd excidium Troianum ſpectare non potuerit: ſed oculis manum oppoſuerit. Ouid. lib. 4. Faſtor.

Pleiades incipient humeros releuare paternos,
Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.
Seu quòd in amplexus ſex hinc uenere deorum:
Nam Aſteropen Marti concubuiſſe ferunt,
Neptuno Alcyonen, & te formoſa Celæno,
Maiam, atq; Electram, Taygetenq; Ioui.
Septima mortali Merope tibi Siſyphe nupſit:
Pœnitet, & facti ſola pudore latet.
Siue quòd Electre Troiæ ſpectare ruinas
Non tulit, ante oculos oppoſuitq; manum.

Fit autem quandoque hæc dictio tetraſyllaba diuiſione diphthongi. Propert.

Non hæc Pleiades faciunt, nec aquoſus Orion.

Nonnunquã etiã Poëtæ abiecta uocali præpoſitiua ex ei, diphthongo, Pliades efferunt, pen. corr. Stat. lib. 1. Syl.

Nec per & Aegeas hyemes, Pliadumq; niuoſum
Sidus, & Olenijs dignum petijſſe ſub aſtris.

Pleióne, *ſiue* Pleïone, (πλειόνη, ἢ πληϊόνη) *Oceani & Tethyos filia, & uxor Atlantis, qui ex ea Pleiades ſuſcepit. Ouidius 5. Faſt.*

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, quà patet, ambit aquis.
Hinc ſata Pleione, cum cœlifero Atlante
Iungitur, ut fama eſt, Pleïadasq; parit.

Plemmyrium, (πλημμύριον) *fluuius Siciliæ, agrum Syracuſanum, per quem labitur, crebris rigans inundationibus: unde & nomen uidetur accepiſſe, ἀπὸ τοῦ πλημμύρειν, quod eſt exundare. Verg. 3. Aeneid.*

Sicanio prætenta ſinu iacet inſula, contra
Plemmyrium undoſum: nomen dixere priores
Ortygiam.

Vbi Seruius annotauit, Poëtam Græci nominis originem Latino epitheto expreſiſſe. Idem enim Græcis eſſe πλημμύριον, quod Latinis Vndoſum.

Pleuron, (πλευρὼν *Stephano*) *Aetoliæ urbs, teſte Plinio libr. 4. cap. 2. & Meleagri patria. Stat. lib. 4. Theb.*

Fletaq; cognatis auibus Meleagria Pleuron.

Plexaúre, es, (πληξαύρη) *Nympha, Oceani & Tethyos filia: apud Heſiodum in Theogonia.*

Pliſthenes, (πλεισθένης) *Pelopis fuit filius ex Hippodamia, qui cùm iuuenis moreretur, Agamemnona, & Menelaum filios ſuos paruulos Atreo fratri commendauit: qui eos ſuſcepit, filiorumq; loco educauit: & ob id Atrei habiti, Atridæ ſunt appellati: ut eſt uidere apud*

Dict

Dictyn Cretenſem in Troiani belli hiſtoria.

Plotæ,(πλωται) inſulæ duæ ad occidentale latus Pelopon neſi ſitæ, non procul à Zacyntho, meridiem uerſus, poſtea Strophades dictæ, à conuerſione Zethæ, & Calais, qui Harpyias in eas uſq; inſulas ſunt proſecuti. Meminit harum inſularum Plin. lib. 4. cap. 12.

Pluto,(πλούτων, ἀϊδωνεύς) Saturni filius ex Ope coniuge, & frater Iouis, atq; Neptuni: qui cùm ad regni diuiſionem ueniſſent, Plutoni, qui natu minimus erat, & Ageſilaus uocabatur, pars Occidentis obtigit, ſecus inferum mare: Ioui plaga Orientalis: Neptuno inſulæ. Hinc datus eſt locus fabulæ, Ioui imperium cœli, Neptuno maris, Plutoni inferorum obtigiſſe. Dictus Pluton, ἀπὸ τοῦ πλούτου, hoc eſt, à diuitijs, eò quòd opes omnes ab inferis, hoc eſt, ex intimis terræ uiſceribus eruantur. Eandem etiam ob cauſam Latini Ditem appellarunt. Cicero 2. de Natur. deo. Terrena autem uis omnis atq; natura Diti patri dedicata eſt, qui diues, ut apud Græcos πλούτων, quia & recidant omnia in terras, & oriantur è terris. Hactenus Cicero. Idem & Summanus dicitur, quaſi ſummus deorum Manium. Item Orcus, quaſi Vrgus, ab urgendo, quòd omnes in interitum urgeat. Huius uxorem Proſerpinam eſſe uolunt, Cereris filiam: cuius raptum tribus libris exequitur Claudianus. Hinc Plutonius, a, um. Horat. lib. 1. Carm.

Et domus exilis Plutonia, quò ſimul mearis, &c.

Plutus,(πλοῦτος) à Græcis fingitur eſſe diuitiarũ deus: quem in aduentu claudum eſſe uolunt, in receſſu alatum: hoc nimirum innuentes, quòd ſerius quidem opes contrahantur, partæ autem, niſi frugaliter diſpenſes, uelociſſimè dilabantur. Eundem & cæcum faciunt, & iudicij exper-

tem,propterea quòd indigniſsimum quenque opibus af=fluere uideamus:probos autem & condignos in re tenuiſſima uerſari. Huius domicilium conſtituit Poſidonius in *ſubterraneis* Hiſpaniæ *locis, eò quòd regio ea metallorum fœcunditate reliquis antecellat.*

Podalirius,(ποδαλείριος) Aeſculapij *filius, ob inſignem medicinæ peritiam è* Creta *inſula unà cùm fratre* Ma=*chaone ad bellum* Troianum *euocatus.*Dictus Podalirius *à pedum magnitudine.*Ouid.*libro* 2.*de* Arte *amandi.*

Quantus apud Danaos Podalirius *arte medendi,*
Automedon curru,tantus amator ego.

Podarge,(ποδάργη)*unà* Harpyiarum,*à pedum uelocitate nomen habens, ex qua* Zephyrus *uentus* Xanthum & Ba*lium* Achillis *equos, progenuit: ut fabulatur* Homerus 16.*Iliados.*

Pœan,antis, (ποίαν)*pater* Philoctetis, *qui ab eo* Pœan=*tius,&* Pœantiades *à* Poëtis *appellatur.* Ouidius *libro* 5. *Triſtium:*

Pene decem totis aluit Pœantius *annis*
Poſt ſæuum tumido uirus ab angue datum.

Pœmenis,(ποίμενις) *canis fœmina, ex eorũ canum nume ro,qui* Actæonem *lacerarunt:ita dicta, quòd in ſeruandis gregibus paſtoris quodammodo officio fungeretur.*Ouid. 3.*Metamor.*

-Pecudesq; ſecuta
Pœmenis, *& natis comitata* Harpyia *duobus.*

Pœni,(λίβυες) *ijdem qui* Carthaginienſes *: ita dicti quaſi* Phœni,*teſte* Seruio, *propterea quòd à* Phœnicibus *origi=nem traxerint, qui ob* Pygmalionis *ſæuitiam relicta* Ty=*ro,duce* Eliſa *in* Africam *appulerunt, & primùm* Byr=*ſam, deinde &* Carthaginem *condiderunt.*Ver.1.Aen.

Ponuntq;

Ponuntq́; ferocia Pœni
Corda uolente deo.

Hinc, Punicus, a, um, quaſi Pœnicus, œ in u conuerſo. Ibidem,

Punica regna uides, Tyrios, & Agenoris urbem.

Polites, (πολίτης) *Priami filius, ex Hecuba, quem Pyrrhus capta urbe in conſpectu patris interfecit: ut refert Vergil. li. 2. Aeneid.*

Ecce autem elapſus Pyrrhi de cæde Polites
Vnus natorum Priami.

Pollux, (πολυδεύκης) *Iouis filius & Ledæ, & frater Caſtoris: qui cùm immortalis eſſet, (utpote eodem ouo cum Helena prognatus) à Ioue fertur petiiſſe, ut ſibi cũ fratre iam uita functo immortalitatẽ ſuam partiri liceret: qua re impetratra, alternis mori dicuntur & reuiuiſcere. Verg. 6. Aeneid.*

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itq́; reditq́; uiam toties.

Cui fabulæ occaſionem dedit Geminorum natura, quorũ altero oriẽte, alter occidit, et econuerſo. Vide de his plura in dictione Caſtor.

Polybius, (πολύβιος) *rex Corinthiorum fuit, qui cùm liberis careret, Oedipum, Laij patris iuſſu in ſylua expoſitum, & à paſtore inuẽtum, pro ſuo educauit: ut latius docuimus ſuprà in dictione Oedipus.*

Polydamas, antis, (πολυδάμας) *nobilis Troianus, Antenoris & Theanûs ſororis Hecubæ filius, qui quãuis Lycaſtẽ Priami filiã, ex cõcubina ſuſceptam, uxorẽ duxiſſet, cum Antenore tamẽ patre ſuo, & Aenea, urbem Troianã Græcis dicitur prodidiſſe. Poëtæ Græci, ut primã huius nominis ſyllabã extẽdant (nã alioqui in hexametro uerſu*

locum non habet) πολυδάμας ſcribunt, quos & Perſius imitatus eſt Sat. 1.

Ne mihi Pulydamas, aut Troïades Labeonem
Prætulerint.

Polydectes, (πολυδέκτης) *rex Seriphi inſulæ, qui Perſeũ Iouis & Danaës filium educauit. Cuius tandem ingenium ueritus, audaciãq; & felicitatem, ſub prætextu æternæ gloriæ illum ad ſuperandum Gorgonem Meduſam compulit: qua deuicta, redeunti Perſeo cùm ſemper detraheret, rerumq́; ab eo geſtarum laudem imminueret, conuerſus eſt ab illo in ſilicem, monſtrato capite Meduſæ. Ouid. 5. Met.*

Te tamen ô paruæ rector Polydecta Seriphi,
Nec iuuenis uirtus, per tot ſpectata labores,
Nec mala mollierant.

Polydôrus, (πολύδωρος) *Priami filius ex Hecuba, quem pater initio belli Troiani, incertum communis Martis exitum metuens, cum magno auri pondere educandum tradidit Polymneſtori Thraciæ regi, antiquo hoſpiti, amico & genero ſuo. Sed ille deleta Troia, cæteriſq; Priami ferè omnibus liberis interfectis, auri cupiditate adductus, Polydorum in littore ſpatiantem telis aggreditur, & fruſtrà fidem deorum, hominumq́; implorantem, occidit, cæſoq́; tumulũ iniecit, cui poſtea myrtetum increuit, ſanguineis guttis diſtillans: ut eſt uidere apud Verg. 3. Aen.*

Polymneſtor, (πολύμνηστωρ) *Thracum tyrannus, qui Polydorum Priami filium, quem pater euentum belli metuens, eius fidei cum magno auri pondere crediderat, auri cupiditate occîdit. Quod ubi cognouiſſet Hecuba, accito tyranno, tanquam aliud ei auri pondus uellet indicare, à mulieribus Troianis adiuta, unguibus ei oculos eruit, ut latius deſcribit Euripides in Hecuba.*

Polymneîa, *ſiue* Polymneïa, (πολύμνεια, ἢ πολυμνήϊα) *una Muſarum, à magnitudine memoriæ dicta. Nam* μνείαν *Græci memoriã uocãt. Ver. de Inuentis Muſarum:*

Signat cuncta manu, loquitur Polymneïa geſtu.

Horat. lib. 1. Carm.

-Sineq; tibias

Euterpe cohibet, nec Polymneïa.

Alij Polyhymnia ſcribunt, à cantus copia dictam rati.

Polyníces, (πολυνίκης) *filius fuit Oedipi, Thebanorum regis, ex nephando Iocaſtæ matris concubitu, & frater Eteoclis: quibus pater ſponte in exilium proficiſcens, regnum ea lege reliquerat, ut alternis annis regnarent. Verùm cùm Eteocles, cui, utpote natu maiori, Polynices priores regnãdi uices conceſſerat, fratri ſuo regno cedere recuſaret, ille Argos ſeſe cõtulit ad Adraſtũ regem, qui filiã ſuã, nomine Argiam, uxorem illi deſpondit, contractisq́;, quàm maximas potuit, uiribus, unà cum Tydeo altero genero Thebanis bellum intulit: cuius belli is fuit exitus, ut duo fratres ſingulari certamine congreſsi, mutuis uulneribus caderent. Quinetiã cadaueribus rogo impoſitis, flamma ſe dicitur diuiſiſſe, tanquam implacabile illud odium, quod inter uiuos extiterat, ne morte quidem potuerit finiri. Vide hæc latius apud Statium in Thebaïde, & ſuprà in dictionibus Adraſtus, & Eteocles.*

Polyphêmus, (πολύφημος) *Cyclops, Neptuni filius, ex Thooſa, Phorci filia, ingenti corpore, qui unum tantùm oculum, eumq; in fronte habuit. Hic Galateam Nympham fertur adamaſſe, Acinq; puerum, quem ſibi illa præferebat, ſaxo interemiſſe. Vlyſſem quoque ui tempeſtatis in Siciliã delatum antro ſuo incluſit, quatuorq; ex comitibus eius deuorauit, reliquos eodem mortis genere peremptu-*

rus

rus, niſi præuertens Vlyſſes *uino nigro eum inebriaſſet, altoq́; ſopore obruto, aduſto ſtipite oculum eruiſſet, ut latius fabulatur* Homerus 10. Odyſſ. Verg. 3. Aeneid.

Nam qualis, quantusq́; cauo Polyphemus *in antro*
Lanigeras claudit pecudes.

Polyxena, (πολυξένη) *Priami filia formoſiſſima, ex* Hecuba *coniuge, quam* Pyrrhus Achillis *filius,* Troia *capta, ad patris ſui tumulum iugulauit.* Ferunt enim Achillem, *cùm ad* Troiam *bellum gereret,* Polyxenam *forte in mœnibus conſpectam adamaſſe, eamq́; ſibi uxorē poſtulaſſe.* Quod *cùm* Priamus *annuiſſet, placuit ut in* Thymbræi Apollinis *templum conuenirent, pacis nuptiarumq́; fœdera inituri.* Quod *cùm reſciuiſſet* Paris, *poſt* Apollinis *ſimulacrum ſeſe occultauit,* Achillemq́; *nihil tale opinantem ſagitta interfecit.* Capta *deinde* Troia, *cùm & * Polyxena *uiua in hoſtium manus perueniſſet,* Achillis *umbra* Græcorum *proceribus in ſomnis apparuit, præcipiens ut* Polyxena, *cuius nuptiarum prætextu erat interfectus, inferias ſibi mitteretur: cuius crudelitatis* Pyrrhus *ſeſe miniſtrum præbuit.* Ouid. 13. Metamor.

Placet Achilleos *mactata* Polyxena *manes.*

Hinc Polyxenius, *a, um.* Catullus:

Alta Polyxenia *madefient cæde ſepulcra.*

Polyxo, ûs, (πολυξὼ) *mulier fuit ex* Lemno *inſula, &* Apollinis *uates, quæ* Lemniaci *ſceleris dux, & hortatrix fuit.* Nam *cùm* Lemni *mulieres ob ſpretam* Venerem *hircum olerent, maritiq́; earum ex* Thracia *uxores ſibi eam ob cauſam aſciſcerent,* Polyxûs *inſtinctu omnem uirilem ſexum interemerunt, ſola* Hypſipyle *excepta, quæ* Thoanti *patri ſuo pepercit.* Autor Statius *lib. 5.* Thebaid.

Pomôna, Nympha Latialis, *hortorum* Dea, *quam cùm*

Vertu-

Vertumnus miſerè deperiret, in alias atq; alias identidem ſeſe formas tranſmutauit, ut ſaltem amatæ conſpectu frui poſſet. Tandem in anum conuerſus, multis ei argumentis perſuadere conatur, ut Vertumno nubat. Verùm cùm nihil aliud, quàm operam ſe ludere animaduerteret, priſtina reſumpta figura, nõ admodũ inuitæ uim intulit, nuptijsq; eius eſt potitus. Narratur latius hæc fabula ab Ouid. lib. 14. Metamorph.

Pompéius, *prænomine Cneus, qui ex rerum geſtarum magnitudine Magni cognomen inuenit, Pompeij Strabonis filius fuit, qui L. Syllæ partes ſecutus ab eoq; ad ulciſcendos inimicos in Africam miſſus, Domitium primùm expugnauit, deinde & Iarbam regem cepit, de quo triumphauit ante legitimam ætatem. Quare ab exercitu Syllæ Magnus eſt ſalutatus. Inde cõtra Sertorium in Hiſpaniam profectus, Metelli copijs ſeſe coniungens, eum cum tota factione ſuſtulit. Mox delectus Imperator ad bellum piraticum, tribus menſibus id confecit. Dein ſucceſſor L. Lucullo miſſus, de Mithridate triumphauit. Tigranem Armeniæ regem ei ad genua procumbentem, in regnum reſtituit. Inde Iberos, Albanos, Iudæos debellauit, capto eorũ rege Ariſtobulo. Extincta uxore Iulia, Cæſaris filia, Corneliam Scipionis filiam, à P. Craſſo, M. filio, uiduam relictam, uxorem duxit. Neapoli demum acutiſſima febre correptus, parum abſuit à morte: quæ ſi contigiſſet, melius cũ eo actum fuiſſet, ob inſequentis belli ciuilis calamitatem. Nam Pharſalica pugna à Cæſare copijs longè inferiore ſuperatus, & in Aegyptum fugiens, regis perfidia ab Achilla præfecto interfectus eſt. Filios reliquit Cn. & Sextũ Pompeios: quorum ille apud Mundam Hiſpaniæ urbem terreſtri, hic apud Siciliam nauali prælio ſuperatus fuit.*

Reliq

Reliqua eius geſta, quoniam ad noſtrum inſtitutum nihil attinent, ex Plutarcho, *&* Lucano *petenda relinquimus.*

Pontina palus, (πωντίνη λίμνη) *Volſcorũ palus iuxta Forum Appij, haud longè à* Tarracina*, diſtans ab* Vrbe *XXIX. paſſuum millibus.* Hæc *palus à* Cornelio Cethego *Conſule exiccata eſt, & ex ea ager factus, ut tradit* Plin. *lib. 4. cap. 7.* Lucanus *libr. 1.*

Et qua Pontinas *uia diuidit uda paludes.*

Pontus, (πόντος) *propriè dicitur totũ illud mare, quod à palude* Mæotide *uſque in* Tenedũ *protenditur. Sed ubi primùm ſe arctat, à* Tenedo *incipiens, à caſu* Helles *uocatur* Helleſpontus*: ubi ſe expandit,* Propontis*: ubi iterum arctatur,* Thracius Boſphorus*: ubi autem latiſsimè diffunditur,* Pontus Euxinus*, qui curuatus in figuram* Scythici *arcus, committitur oſtio* Mæotidis *paludis: idq; oſtium* Cimmerius Boſphorus *uocatur. Figuratè autem pro quouis mari ponitur, ut apud* Verg. *lib. 1.* Aen.

–Ingens à uertice pontus
In puppim ferit, &c.

Eſt item Pontus *regio* Aſiæ *minoris, à* Ponto *rege ſic cognominata, ad* Occidentem*, teſte* Strabone, Haly *flumine: ab* Oriente, Colchide *clauſa: à* Meridie, *minori* Armenia*: à* Septẽtrione*, mari* Euxino *terminata.* Ptolemæus *uerò li. 5. paulò aliter:* Pontus *inquit, ab* Occaſu*, ore* Ponti*, &* Thracio Boſphoro*: à* Meridie*, regione quæ propriè* Aſia *dicitur: à* Septentrione*, parte* Euxini *maris terminatur. Eſt autem hæc regio uenenorum in primis ferax. unde & fabula de* Medeæ *ueneficijs locum uidetur arripuiſſe.* Vergil. Eclog. 8.

Has herbas, atq; hæc Ponto *mihi lecta uenena*
Ipſe dedit Mœris*, naſcuntur plurima* Ponto.

Popul

Populónia,æ, ſiue Populónium,nij, (ποπλώνιομ Ptolemæo) oppidum eſt in littore maris Tuſci, non procul à Piſis,portum habens non ignobilem, è regione Ilux inſulæ. Verg.10.Aen.

Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuuenes: aſt Ilua trecentos
Inſula inexhauſtis Chalybum generoſa metallis.

Hodie Plumbinum uocant.

Porphyrion,onis,(πορφυρίωρ)Gigas uaſtiſsimus,unus ex ijs,qui ſuperis bellũ iutulerunt. Claudianus in Gigantomachia:

Porphyrion trepidam conatur uellere Delon.

Eſt item Porphyrion,auis quædam collum oblongum habens,& tenue,crura prælonga,eaq; rubentia,quemadmodum & roſtrum,ſola auium morſu bibens,cibumq; prius aqua tinctum altero pede,ueluti manu,ad roſtrum afferens. Hanc Aelianus libro 14. cap.35. muliebris pudicitiæ obſeruatorem eſſe tradit, matriſq; familias adulterium ſuſpendio ſuo domino indicare. Fuit item hoc nomine auriga Praſinæ factionis, Neronis tempore. Has omnes ſignificationes Martialis uno diſticho complexus eſt:

Nomen habet magni uolucris tam parua gigantis:
Et nomen praſini Porphyrionis habet.

Pórſena,(πορσένας)rex ſuit Hetruſcorum, qui pro reſtitutione Tarquiniorũ Romanis bellum intulit: cumq; iã ex Ianiculo in urbẽ irrueret, Horatij Coclitis uirtute eſt remoratus,donec pons à tergo ſolueretur. Poſt hæc cũ urbem obſidione cinxiſſet, nihilq; ſe proficere intelligeret, acceptis obſidibus ad ſua ſe recepit, incredibili Romanorum uirtute perterritus, cuius ſpecimen uiderat in Q. Mutio,qui ſolus caſtra hoſtium ingreſſus,unum ex purpuratis

ratis per errorem pro rege occidit: ſtatimq́; captus, cùm Porſena exquiſitiſsima illi ſupplicia comminaretur, dextram in foculum iniecit, nullaq́; uultus mutatione exuſsit, partim ut regi fidem faceret, nullis ſeſe tormentis poſſe perterreri: partim ut à dextera ſua, quæ in cæde aberrãs, purpuratum ſatellitem pro rege occiderat, pœnam ſumeret. Martialis lib. 1.

Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.

Verg. 8. Aen. mediam dictionis huius ſyllabam conſonante licenter geminata extendit.

Nec non Tarquiniũ eiectum Porſenna iubebat
Accipere.

Portûnus, *deus maris, à Græcis παλαίμων dictus, à portubus, quibus præſidere putabatur, nomen habens. Hunc Poëtæ fabulantur, fuiſſe Melicertam, Inûs filium, quem mater Athamantis furorem fugiens, ulnis complexa, unà cum illo ſe in mare præcipitem dedit: atq; ipſa quidem in deam marinam mutata, à Græcis λευκοθέα, à noſtris Mater Matuta appellatur: ille autem in Deum marinum ſimiliter conuerſus, Græcis Palæmon, nobis Portunus nominatur. Hinc & ludi ipſi in honorem Palæmonis, ſiue Portuni inſtituti, Portunalia à Romanis uocabantur, quæ Græci à loco Iſthmia appellabant. Vide hæc latius ſuprà in dictionibus Athamas, Inò, & Melicertes.*

Porus, (πῶρος) *Indiæ rex fuit miræ proceritatis, ab Alexandro Macedone ſuperatus, deinde & ſuorum dolo interemptus. Claudianus:*

Tradita captiuo ſpatioſior India Poro.

Potitius, *ſenis cuiuſdam nomen eſt, quem unà cum Pinario altero ſene ſacris ſuis præfecit Hercules. Seruius explican*

plicans illud Verg. 8. Aeneid.

-Primusq́; Potitius autor,
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.

Pinarius, inquit, & Potitius, duo ſenes fuerunt, quibus, qualiter coli uellet, oſtendit Hercules: ſcilicet ut manè & ueſperi ei ſacrificaretur. Perfecto itaque matutino ſacrificio, cùm circa Solis occaſum eſſent ſacra repetenda, Potitius prior aduenit: Pinarius poſtea, extis iam redditis. Quare iratus Hercules ſtatuit, ut Pinariorum familia tantùm miniſtra eſſet epulantibus Potitijs, & complẽtibus ſacra. Hæc Seruius. Vide de hoc plura apud Feneſtellam, & Liuium lib. 1.

Pótniæ, (ποτνίαι) Magneſiæ oppidum fuit, teſte Plinio libr. 4. cap. 9. in quo Glaucus Siſyphi & Meropes filius, equas humana carne pauiſſe dicitur, quò cupidius ferrentur in hoſtem. Verùm cùm pabuli eiuſmodi copia deeſſet, uerſæ in rabiem equæ dominum ipſum deuorarunt. Hinc Potniades quadrigæ, apud Verg. 3. Georg.

Práctius, (πράκτιος) fluuius eſt Troadis, teſte Strabone lib. 13. inter Lampſacum, & Abydum in Helleſpontum influens: cuius meminit & Homerus in Catalogo.

Præneſte, generis neutri, & hæc Præneſtis, (πραίνεστος Stephano) oppidum Latij edito in loco, naturaq́; munito ſitum, ita dictum (ſi Stephano credimus) à Præneſto conditore, Latini filio, Vlyßis & Circes nepote. Alij ἀπὸ τῶν πρινῶν, id eſt, ab ilicibus, quæ illic abundant, nomen accepiſſe exiſtimant. Pompeius Feſtus nominis huius originem ad loci ſitum refert, eò quòd montibus præſtet: unde & Altum Præneſte à Vergilio dicitur 7. Aeneid.

Quiq́; altum Præneſte colunt.

Fuerunt qui à Cæculo Vulcani filio conditum putarint: quorum ſententiæ ibidem quoque ſubſcribit Vergilius:

Nec Præneſtinæ fundator defuit arcis,
Vulcano genitum pecora inter inertia regem,
Inuentumq́; focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus.

Strabo.lib.5.Græcã urbẽ eſſe tradit, cuius rei argumentũ hoc affert,quòd olim Polyſtephanos dicta fuerit. Habuit hoc oppidũ nobile Fortunæ tẽplũ, cuius pauimẽtũ lithoſtrotis ſtrauit L.Sylla,teſte Plin.li.36.ca.25. Silius li.10.

–Sacrisq́; dicatum
Fortunæ Præneſte iugis.

Fœminino genere uſus eſt Verg.8.Aen.

Qualis eram,cùm primam aciem Præneſte ſub ipſa
Straui.

Hinc Præneſtinus,a,um, poſſeßiuum:ut, Dea Præneſtina,apud Ouid.6.Faſt.Fortuna Præneſtina, apud Lucan. libro ſecundo.

Praxíteles, (πραξιτέλης) *marmoris ſcalpendi inſignis artifex,duplici præcipuè Venere nobilitatus, Gnidia, & Coa,quæ ob artis præſtantiam magnam mortalium uim eas in inſulas ad ſui ſpectaculum allexerunt.Natus fuit in extrema Italiæ ora,quã Magnã Græciã olim appellabãt: deinde ob artis excellentiã ciuitate Romana donatus eſt, quã plurimis etiã egregijs ſignis ornauit: quæ cõmemorantur à Plin.lib.34. cap.8.& lib.37.ca.5. Claruit autẽ potißimum candido marmore,quod ab inſulæ nomine in qua effodiebatur,Parium dicebatur.Propertius lib.3.*

Praxitelem Parius uindicat arte lapis.

Príamus,(πρίαμος) *filius fuit Laomedontis,qui Ilio ab Hercule euerſo unà cum Heſione ſorore in Græciam abductus*

ductus eſt captiuus. Poſtea *tamen auro redemptus,* Ilion *inſtaurauit, ſimul & exornauit:regniq́; limites uſquead-eo protulit, ut non ſolùm* Troiæ,*ſed totius ferè* Aſiæ *rex uideretur.* Hecubam *filiam* Ciſſei *regis* Thraciæ *uxorem duxit: habuitq́;, teſte* Cice. Tuſcul. Quæſt. *libro* 1. *filios quinquaginta, quorum decem & ſeptem ex iuſta uxore ſunt nati: ex quibus fuit &* Paris, *qui repetiturus* Heſio-*nam ſororem, in* Græciam *profectus,* Menelao Helenam *uxorem eripuit, qua de cauſa motum eſt bellum decenna-le à* Græcis *in* Troianos, *in quo uidit filios ſuos ferè o-mnes ab hoſtibus interfectos.* Tandem *capto* Ilio, *& ipſe à* Pyrrho Achillis *filio occiſus eſt, prope aram* Iouis Her-cæi, *in ſanguine* Politæ *filij, ut eſt apud* Vergiliũ *libro* 2. Aeneid. *ibi:*

> Forſitan & Priami fuerint quæ fata requiras, &c.

Fuit & Priamus *alius,* Politæ *filius, ſuperioris nepos, quem* Aeneas *ex* Troiæ *excidio ſecum in* Italiam *duxit.* Verg. *lib.* 5. Aeneid.

> Vna acies iuuenum ducit, quam paruus ouantem
> Nomen aui referens Priamus, tua clara Polite
> Progenies auctura Italos, &c.

Priâpus, (πρίαπος) *Liberi patris, &* Veneris *filius, quẽ ſuperſtitioſa antiquitas hortorum præſidem credidit.* Horat. 1. Ser. *Satyra* 3.

> Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
> Cùm faber addubitans ſcamnum faceretne Priapum,
> Maluit eſſe deum: deus hinc ego, furum, auiumq́;
> Maxima formido.

Idem *&* Lampſacenus *dicebatur, à* Lampſaco *non igno-bili* Troadis *urbe ad* Helleſpontum *ſita: in qua & natus creditur.* Ferunt *enim* Venerem Liberi *patris amore ca-*

ptam, ei ex India redeunti obuiam prodijſſe, coronamq́; illi ex rubenti roſa, tum primum ex ſanguine ſuo enata, obtuliſſe, eaq́; illum coronatum, tanquam ſponſum ſuum ſequi ſe iußiſſe. Verùm cùm ex illius concubitu grauidam ſeſe, & partui uicinam eſſe animaduerteret, Lampſacum ſeſe contulit, ut ibi partus tempus expectaret. Iuno interim zelotypia exagitata, cùm ſe parturienti opem ferre ſimulat, peracta prius incantatione, deinde & utero eius contacto, fœtum eius cum cæteris omnibus partibus deformem, tum prægrandi pene dehoneſtatum reddidit. Quem cùm mater recens natum uidiſſet, pudore affecta, pro neglecto habuit, Lampſaciq́; reliquit. Verùm cùm poſtea adultus Lampſacenis mulieribus nimium gratus eſſet, à ciuibus eiectum ferunt. Ob quam rem, quum neſcio quo malo poſtea premerentur, templa eidem & ſacra conſtituerunt, factusq́; etiam hortorum Deus eſt. Immolabant ei aſinum, quòd cùm olim in feſto Magnæ matris, ad quæ omnes Dij conuenerant, epulisq́; ſatiati noctem luſibus ducebant, Lotidi Nymphæ, ſiue, ut alijs placet, Veſtæ humi dormienti uim inferre conaretur, intẽpeſtiuo aſini, quo Silenus uehebatur, clamore excitata uirgo, manu eum reiecerit, magno omnium, qui aderant, riſu, ut Ouid. fabulatur lib. 1. Faſt. Hyginus uerò tradit, ob id Lampſacenos aſinum ei immolare conſueuiſſe, quòd ab eodem, cùm de magnitudine membri certarent, ſuperatus uideretur.

Priéne, (πριήνη) *Ioniæ urbs olim maritima, poſtea limo Mæandri fluminis decurſu inuecto mediterranea effecta: Biante alumno nobilis, qui patria aliquando ab hoſtibus capta, cùm reliqui ciues pretioſißima quæque ex ſupellectili ſua ſecum aſportarent, interrogatus, cur ipſe rerũ*

ſuarum

ſuarum nihil efferret, reſpondit, Omnia ſua ſe ſecum ferre. Fortuita enim, & caſuũ ludibrijs expoſita, inter bona non numerabat.

Priuernum, (πριούερνον Stephano) *urbs Volſcorum. Camillæ patria. Verg. 11. Aeneid.*

Pulſus ob inuidiam regno, uireſq; ſuperbas,
Priuerno antiqua Metabus cùm excederet urbe.
Infantem fugiens media inter prælia belli
Suſtulit exilio comitem, matriſq; uocauit
Nomine Caſmillæ mutilata parte Camillam.

Procas, (πρόκας) *Rex Albanorum fuit, pater Amulij & Numitoris, & auus Romuli & Remi, cuius meminit Liu. lib. 1. ab urbe condita. Verg. lib. 6.*

Proximus ille Procas Troianæ gloria gentis.

Próchyta, tæ, (προχύτη) *inſula in Puteolano ſinu: dicta quaſi profuſa, ἀπὸ τοῦ προχύειν, quod eſt profundere. Ferunt enim Inarimes uicinæ inſulæ montem terræmotu concuſſum, inſulam hanc fudiſſe. At Dionyſ. libr. 1. ſcribit Prochytam dictam eſſe à nutrice Aeneæ eiuſdem nominis. De hac Verg. lib. 9.*

Tum ſonitu Prochyta alta tremit.

Prócris, (πρόκρις) *Erechthei Athenienſium regis filia fuit, ſoror Orithyiæ, & Cephali uxor, de qua quoniã abunde multa dicta ſunt ſuprà in dictione Cephalus, hominis eſſet otio ſuo plus ſatis abutentis, eadem hîc denuo inculcare.*

Procruſtes, (προκρούστης Plutarch. in Theſeo) *latro inſignis in Attica regione, ad Cephiſſum flumen habitans: qui hoſpites interimere ſolitus, tandem à Theſeo eſt interfectus. Ouid. 7. Metamorph.*

=Tellus Epidauria per te

Clauigeram uidit Vulcani occumbere prolem:
Vidit & immitem Cephiſias ora Procruſten.

Prócyon, (προκύων) *ſidus æſtiuum, Canis ortum præuertens: unde etiã à Latinis uerbum ex uerbo exprimentibus, Antecanis appellatur. Cicer. 2. de Nat. deor.*

-Geminis eſt ille ſub ipſis
Antecanis, Procyon Graio qui nomine fertur.

Antecanis tamen nomẽ uidetur minus uſitatũ fuiſſe, & à Cicerone primùm confictum: unde etiam Plin. lib. 18. cap. 28. ſidus hoc nomen Latinum habere negat, niſi quis (inquit) Caniculam uelit appellare. Col. tamen libr. 11. cap. 2. Caniculam manifeſtè diſtinguit à Procyone, huius ortũ Idibus Iulijs, illius VII. Cal. Auguſti aßignans: Caniculam nimirum appellans, quem nos Canem dicimus.

Prœtides, (προιτίδες) *Prœti Argiuorum regis, & Antiæ filiæ fuerunt, quæ cùm forma eſſent præſtantißimæ, ſe Iunoni auſæ ſunt præferre. Quare irata dea talem eis immiſit furorem, ut uaccas ſe eſſe arbitrarentur, & ad ſyluas confugerent. Poſtea autem helleboro ſanatæ à Melampode dicuntur: unde quoddam hellebori genus, Melampodij nomen accepit, teſte Plin. lib. 25. cap. 5. Vergil. in Sileno:*

Prœtides implerunt falſis mugitibus agros.

Prœtus, (προῖτος) *Abantis regis Argiuorum filius, cui etiam ſucceßit in regno. Vxorem habuit Antiam, ex qua quatuor filias genuit, quæ à patris nomine dictæ ſunt Prœtides, poëtarum fabulis celeberrimæ: de quibus uide plura in dictione præcedenti, & ſuprà in uoce Melãpus.*

Progne, (πρόγνη) *Pandionis regis Athenienſium filia, & uxor Tereï Thracum regis, qui cùm Philomelæ, alteri Pandionis filiæ, ſub prætextu uiſendæ ſororis à pa-*

tre abductæ, uim intuliſſet, uitiatæq́; linguam abſcidiſſet, tam impotenter id tulit Progne, *ut* Itym *communem filium dilacerarit, patriq́; epulandum appoſuerit. Qua re tandem cognita ex pueri capite ſub finem cœnæ in conuiuium illato,* Tereus *furore correptus gladium ſtringit: uxoremq́; iam occiſurus, in hirundinem eam uidet conuerſam,* Philomelam *autem in auem ſui nominis,* Itym *uerò in* Phaſianum. *Quinetiam ipſe, dum nouas haſce ſuorum transformationes admiratur, in upupam mutatus eſt, quæ auis etiã nunc militarem quandam criſtam in capite retinet. Vide latius hanc fabulam apud* Ouid. *lib.* 6. *Metamor. & ſuprà in dictione* Philomela.

Prometheus, (προμηθεὺς) *filius* Iapeti *ex* Aſia *coniuge, & pater* Deucalionis, *qui primus hominẽ ex luto dicitur finxiſſe: cuius ingeniũ admirata* Minerua, *ſe illi daturam promiſit, quicquid apud ſuperos eſſet, quod ad operis perfectionem pertineret: cumq́; reſpondiſſet* Prometheus, *conijcere ſeſe non poſſe, quæ apud ſuperos eſſent operi ſuo utilia, niſi præſens ſingula eſſet intuitus,* Mineruæ *opera in cœlum ſublatus eſt: ubi cùm corpora omnia cœleſti igni uidet animata, operi ſuo id utiliſsimum fore ratus, ferulam, quam ſecum attulerat, rotæ* Solis *admouit, eaq́; accenſa ignem detulit in terras, luteumq́; ſuum hominem eo animauit. Quod* Promethei *furtum ægrè ferens* Iupiter, Pandoræ Epimethei *uxori pyxidem tradit ad uirum perferendam: quam cùm ille aperuiſſet, mille morborum aliarumq́; calamitatum generibus genus humanũ impleuit.* Prometheum *autem ipſum per* Mercurium *in* Caucaſo *monte religandum curat, aquilamq́; adhibet iecur eius aſsiduè depaſcentem. Verùm poſtea cùm* Iupiter Thetidis *amore captus, uxorem eam ducere uellet,* Pro-

metheus futurorum præſcius, à nuptijs eiuſmodi magnopere eum deterruit, quòd in fatis eſſe diceret, quicunq; ex Thetide *naſceretur, patre ſuo maiorem fore.* Memor *itaque* Iupiter *eius exempli, quod ipſe in* Saturnum *patrem ſuum ediderat, ueritusq; ne ſimiliter à filio de cœli poſſeſſione depelleretur, à* Thetidis *nuptijs abſtinuit: memorq; beneficij, quod in ſe* Prometheus *contulerat,* Herculem *ad* Caucaſum *mittit, qui interfecta aquila,* Prometheum *uinculis liberauit.* Vide *plura de hoc apud* Seruium *in illud* Vergilij 6. Eclog.

Caucaſeasq; refert uolucres, furtumq; Promethei.

Propontis, (προποντὶς) *uno nomine dicitur totam illud mare, quod ab* Helleſponti *anguſtijs ad* Thracium *uſque* Boſphorum *protēditur.* Nam Geographi *primas anguſtias maris* Aegæi *ſe coarctantis* Helleſpontum *uocāt.* Inde *expatiatur æquor, quæ laxitas* Propontis *appellatur.* Vbi *iterum in arctum coit, & ſtringitur,* Boſphorus Thracius *nuncupatur.* Deinde *ubi rurſus diffunditur,* Pontus Euxinus *dicitur, qui curuatus in figurā* Scythici *arcus cōmittitur oſtio* Mæotidis *paludis: idq; oſtiū* Cimmerius Boſphorus *uocatur.* Ouid. 4. de Ponto,

Miſit in has ſi quas longa Propontis *aquas.*

Hinc Propontiacus, ca, cum, (προποντιακός.) Oui. lib. 1. Faſt.

Hincq; Propontiacis *hærentem* Cyzicon *oris.*

Proſérpina, (περσεφόνη) Iouis, & Cereris *filia, quæ cùm in campis* Ennæis *flores legeret, à* Plutone *rapta eſt.* Quā *cùm* Ceres *diu fruſtra toto terrarum orbe inueſtigaſſet, tandem à* Cyane Nympha *rem omnem edocta, petijt à* Ioue, *ut communem filiam ab inferis ſibi reducere liceret: quod ea duntaxat lege impetrauit, ſi nihil illa cibi apud inferos guſtaſſet.* Quare *cùm* Aſcalaphi *indicio palàm factum*

ctum eſſet, aliquot mali punici grana illam guſtaſſe, omnis reditus ſpes illi fuit interclusa. Quod ægre ferens Proſerpina, Aſcalaphum commutauit in bubonem, noctis auem, & triſtium ſemper rerum nuntiam. Poſtea tamen Ceres à Ioue dicitur impetraſſe, ut Proſerpinæ ſenis quotānis mēſibus ſecum apud ſuperos, & totidem apud inferos cum marito eſſe liceret. Quod poëtarum commentū Mythologici ad Lunæ naturam referunt (quam Proſerpinæ nomine intelligunt) quæ æquali tēporis ſpatio ſuperius & inferius hemiſphærium illuſtrat. Hæc fere Seruius in illud Vergilij 1. Georg.

Quamuis Elyſios miretur Græcia campos,
Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem.

Proteſilâus, (πρωτεσίλαος) *filius fuit Iphicli, & unus ex Græciæ principibus, ad bellum Troianū profectis: cui quamuis oraculo prædictum eſſet, primum omniū in bello Troiano periturum, ſi eò proficiſceretur: contemptis nihilominus uaticinijs, unà cum cæteris ducibus eò profectus eſt: cumq; omnium primus è naui in terram exiſſet, & in Hectorem incidiſſet, primus Græcorum omnium ab illo eſt interfectus: unde non ſine omine quodam, & futuræ mortis præſagio Proteſilaus uidetur appellatus. Auſonius,*

Proteſilaë tibi nomen ſic fata dederunt,
Victima quòd Troiæ prima futurus eras.

Vxorem habuit Laodamiam, Acaſti filiam, quæ cùm eius interitum reſciſſet, hoc unum doloris ſui ſolatium petijt, ut mortui umbram poſſet intueri: quod cùm à Dijs impetraſſet, in illius amplexibus expirauit. Extat Epiſtola Laodamiæ ad Proteſilaum, inter Ouidianas.

Proteus, (πρωτεὺς) *deus marinus Oceani & Tethyos filius,*

lius, Neptuni phocas in mari paſcens, idemq́; uaticiniorũ peritiſsimus, & in quamlibet formam ſeſe transmutans: quem ſic deſcribit Verg. 4. Georg.

Eſt in Carpathio Neptuni gurgite uates
Cæruleus Proteus, magnum qui piſcibus æquor,
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiæ portus, patriamq́; reuiſit
Pallenen: hunc & Nymphæ ueneramur, & ipſe
Grandæuus Nereus: nouit nanq; omnia uates,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur:
Quippe ita Neptuno uiſum eſt, immania cuius
Armenta, & turpes paſcit ſub gurgite phocas.

Fuit item Proteus, *Aegypti rex, patria Memphites, qui Pheroni in regnum ſucceſsit: regnauitq́; belli Troiani temporibus. Tradit enim Herodotus lib. 2. Paridẽ cùm rapta Helena patriam repeteret, ui tempeſtatis ad Canopicum Nili oſtium fuiſſe appulſum, captumq́; à Thomi regionis eius Præfecto ad Proteũ regem miſſum fuiſſe: qui cùm ex ſeruis Alexandri cognouiſſet, mulierẽ, quam ille ſecũ uehebat, hoſpitis illius uxorẽ eſſe, abſenteq́; uiro raptã fuiſſe, perfidiã hominis deteſtatus, illum quidẽ triduo finibus ſuis excedere iuſsit: Helenam uerò cum omnibus opibus, quas ille direpta Sparta ſecum uehebat, Menelao integrã ſeruauit. Expugnato itaq; Ilio, cùm Menelaus reuera cognouiſſet, uxorem eò nunquam aductam fuiſſe, ſed à Proteo retentam, Canobi gubernatoris ductu in Aegyptum nauigauit: qui cùm ibi diem ſuum obiiſſet, Canobico oſtio nomen fecit. Menelaus autem adito Proteo, uxorem ſuam liberaliſsimè ab eo habitam, cum opibus uniuerſis recepit. Ad quam opinionem uidetur reſpicere & Vergil. lib. 11. cùm ait,*

Atrides

Atrides Protĕi Menelaus ad uſq; columnas
Exulat.

Quæ uerò de Protei mutabilitate Poëtæ ſunt commenti, ab Aegyptiorum regum conſuetudine uidentur emanaſſe. Illis enim, teſte Diodoro, mos erat aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre, inſignia principatus, quandoq; uerò arborem, aliquando ignem, quãdoq; redolentia ſupra caput unguenta. Hæc tum ad decorem ſpectabant, atq; ornatum: tum ſtuporem, ac ſuperſtitionẽ quandam aſpicientibus inijciebant. Vnde factus eſt locus fabulæ, Proteum in ea omnia, quæcunq; capite geſtabat, ſolere transformari.

Prymnò, ûs, (πρυμνώ) *Nympha marina, Oceani & Tethyos filia: cuius meminit Heſiodus in Theogonia.*

Pſamathe, (ψαμάθη) *Crotopi Argiuorum regis filia, quæ ab Apolline compreſſa, Linum peperit, quem inter ſentes occultatum canes dilacerarunt: ut refert Statius lib. 1. Thebaïd.*

Pſophis, idis, (ψωφὶς) *Arcadiæ ciuitas, nõ procul à Mantinea, à Pſophide Lycaonis filio, aut (ut alij malunt) à Pſophide Erycis Siculi filia nomen habens. Ouid. 5. Metam.*

Vſq; ſub Orchomenon, & Pſophida, Cyllenenq;.

Pſylli, (ψυλλοὶ) *Libyæ interioris populi, Garamantibus proximi, à Pſyllo rege ſic dicti, teſte Plinio lib. 7. capit. 2. Horum corpori uirus ingenitũ fuit ſerpentibus omnibus exitiale: unde & recens natos infantulos ſæuiſsimis obijciebant ſerpentibus, eoq; argumento coniugum ſuarũ pudicitiam explorabant, partum adulterio conceptum iudicantes, cuius ſolo odore ſerpentes non fugarentur. Autor eſt Plutarchus in uita Catonis, per deſerta Libyæ iter facientem Catonem Pſyllos ſecum duxiſſe, qui morſibus ſerpentum*

pentum mederentur, partim ore exugentes uenenum, partim ſerpentes cantibus ſopientes. Lucan. *lib.* 9.

–Gens unica terras
Incolit, *à ſæuo ſerpentum innoxia morſu,*
Marmaridæ *Pſylli, par lingua potentibus herbis.*

Ptolemæus, (πτολεμαῖος) *Lagi gregarij militis filius fuit, maximæ autoritatis apud* Alexandrum Macedonē, *poſt cuius mortē* Aegypto, *et* Aphrica, *et magna* Arabiæ *parte potit⁹, regnauit annis quadraginta: à quo deinceps* Aegyptij *reges,* Ptolemæi *appellati ſunt.* Hic *duos filios habuit,* Ptolemæum Philadelphū, & Ptolemæum Ceraunum. Deceßit *in rerum geſtarum gloria, cùm paulò antè regni abdicata adminiſtratione regem filium conſtituiſſet* Philadelphum. Autor Trogus *libro* 15. Philadelphus *itaq; in regno patri ſucceßit, uir doctißimus,* Stratonis *diſcipulus: qui bibliothecam illam celeberrimam inſtituit, quæ uſq; ad primum* Alexandrinorum, & Romanorum *bellum durauit.* Regnauit *annis* XXXVIII. *obijtq; relicto ſucceſſore* Ptolemæo *cognomento* Euergete, *quod* Latinè *beneficū uertere poſſumus.* Hic *uiginti ſex annis regno potitus, moriens, ſucceßorem habuit* Ptolemæum Philopatorem, *qui* XVII. *annis regnauit.* Poſt *eum* Ptolemæus Epiphanes *regni gubernacula ſuſcepit, eaq; tenuit annos uigintitres.* Poſt *hunc* Ptolemæus Philomator, *cùm triginta quinque annis* Aegypti *regnum tenuiſſet, fratrem ſuum* Euergeten *alterum moriens regem conſtituit.* Euergetes, *qui &* Phyſco *dictus eſt, regnauit annis uigintinouē: cui* Ptolemæus *cognomēto* Lathyrus *ſucceßit:* Lathyro Auletes Cleopatræ *pater.* Poſt *hunc* Ptolemæus *cognomento* Dionyſius Cleopatræ *frater, qui* Pompeium *poſt* Pharſalicam *cladem in* Aegyptum *fugientem, interimendum*

mendũ curauit. De his qui plura noſſe cupit, adeat Strabonem lib.17. ubi Ptolemæorum ſeriem fuſiſsimè proſequitur. Eſt autem hoc nomen ἀπὸ τοῦ πτολεμεῖν, *hoc eſt, à bellando deductũ, ſicut* ἀπὸ τοῦ τιμᾶν *Timæus. Hinc deducitur denominatiuum Ptolemæëus,a, um,* (πτολεμαῖος.) *Propertius libro ſecundo,*

Et Ptolemææ littora capta Phari.

Pygmæi, (πυγμαῖοι) *populi in extremis Indiæ montibus habitantes, teſte Plin.lib.7.cap.3. ſalubri cœlo ſemperq; uernante fruentes, ternos dodrantes non excedentes: unde & Pygmæi dicti ſunt, quaſi* πηχυαῖοι, *hoc eſt, cubitales.* Πῆχυς *enim cubitum ſignificat. Horum mulieres quinto anno pariunt, & ſeneſcunt octauo. Fama eſt, inſidentes arietum caprarumq; dorſis, armatos ſagittis, ueris tempore uniuerſo agmine ad mare deſcendere, & oua pulloſq; gruum conſumere: ternis eam expeditionem menſibus confici, aliter futuris gregibus non reſiſti. Caſas eorum luto penniſq; & ouorum putaminibus conſtrui. Plinius præterea li.4.cap.11. in Thracia Pygmæos fuiſſe ſcribit, urbemq; Geraneam tenuiſſe, donec à gruibus fugati, nouas ſibi ſedes quærere ſunt coacti. Ad hos ſpectare uidetur illud Iuuenalis ex Satyra 13.*

Ad ſubitas Thracum uolucres, nubemq; ſonoram
Pygmæus paruis currit bellator in armis:
Mox impar hoſti, raptuſq; per aëra curuis
Vnguibus, à ſæua fertur grue. Si uideas hoc
Gentibus in noſtris, riſu quatiere: ſed illic
Quanquam eadem aſsiduè ſpectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non eſt altior uno.

Pygmálion, onis, (πυγμαλίων *Suidæ) Beli Tyriorum regis filius fuit, & frater Didûs, qui cùm ardentiſsima au*

ri cup

ri cupiditate flagraret, ad Sichæi patruelis ſui, & ſororis ſuæ uiri opes animum adiecit: illumq́; ſpe potiundi auri, ante aras dolo interemit. Cuius cædis cùm in ſomnis à mariti umbra certior facta eſſet Dido, *clam ſublatis theſauris, fugæq́; comitibus aſſumptis, naues conſcendit: & in* Africam *appulſa, primùm* Byrſam, *deinde &* Carthaginem *condidit. Meminit huius* Vergilius *lib.* 1. Aen.

-Sed regna Tyri *germanus habebat*
Pygmalion, *ſcelere ante alios immanior omnes,*
Quos *inter medius uênit furor: ille* Sichæum
Impius *ante aras, atq; auri cæcus amore*
Clàm *ferro incautum ſuperat.*

Fuit *& alter eiuſdē nominis,* Cilicis *filius, qui ex eburnea ſtatua,* Veneris *beneficio in puellam transformata,* Paphum *ſuſcepit,* Paphi Cypriæ *urbis conditorem.* Quam *fabulam uide latius apud* Ouid. 13. Metam.

Pylades, dæ, *uel* dis, (πυλάδης) *Strophij* Phocenſis *filius fuit, indiſſolubili amcitiæ uinculo cum* Oreſte *coniunctus.* Nā *cū* Clytæmneſtra *ab* Aegiſtho *adultero adiuta,* Agamemnonē *occidiſſet,* Strophius Oreſtē *adhuc puerum certiſsimæ neci ſubduxit, & in regno ſuo unà cum* Pylade *educauit.* Poſteaq́; *cùm* Oreſtes, *gratia uindicādæ paternæ mortis, matrē peremiſſet, eamq́; ob rem in furorem conuerſus eſſet,* Pyladē *perpetuum omnium ſuarum profectionum comitem habuit, & ſocium periculorum: tantaq́; ſeſe mutuò amoris uehementia ſunt proſecuti, ut alter pro altero mori non recuſaret: ut latius docuimus ſuprà in dictione* Oreſtes. Statius 1. Syluarum,

Dignus *&* Aemonium Pyladem *præcedere fama.*

Pylus, (πύλος) *agri* Meſſeniaci *oppidū eſt, in tractu occidentali* Peloponneſi, Neſtore *alumno (qui inde* Pylius

cogno

cognominatus eſt)nobilitatum.Ouid.2.Amorum:

Illius à tactu Pylius iuueneſcere poſſet.

Idem lib.1.de Ponto:

Crede mihi Pylio Neſtore maior eris.

Sunt prætereà aliæ duæ eiuſdem nominis urbes in Pelo-ponneſo:unde eſt illud apud Strabonem libro 8.

Ἔςι πύλ☉ πρὸ πύλοιο, πύλ☉ γε μλὼ ἔςι καὶ ἄλλ☉.

Pyracmon,(πυράκμων)*nomen eſt unius ex Vulcani miniſtris,quorum opera in fabricando utitur.Dictus Pyracmon, quòd ab incude, ferróque ignito non recedat. Nam* πῦρ *Græci ignem,* & ἄκμονα *incudem appellant. Vergilius libro 8.*

Ferrum exercebant uaſto Cyclopes in antro,

Brontesq́;,Steropesq́;,& nudus membra Pyracmon.

Pyramus,(πύραμ☉)*adoleſcens fuit Babylonius, qui Thiſbes uicinæ puellæ mutuo amore captus, amicæ perſuaſit,ut deceptis cuſtodibus in ſolitudinem quandam extra urbem ad ſe conueniret: quò cùm puella prior ueniſſet,cōſpecto leone,trepida profugit ad ſyluas, relicto præ feſtinatione amiculo, quod inuentum leo dilacerauit. Veniens deinde ad locum conſtitutum Pyramus, cū Thiſbes amiculum à fera dilaceratum agnouiſſet,arbitratus ipſam à leone eſſe deuoratam, doloris impatientia, eo quo accinctus erat, gladio ſeipſum interemit.Thiſbe quoq; cùm poſito timore ex ſylua rediſſet, Pyramumq́; ex uulnere adhuc palpitantem agnouiſſet, exempto ex uulnere gladio, ſibi etiam mortem conſciuit.Vtrumq; autem ſub moro arbore occiſum uolūt, eiusq; fructus,cū anteà cādidi eſſent, ex eorum ſanguine atrum colorem traxiſſe: ut latius fabulatur Ouid.4.Met.Hoc nomine etiam dictus eſt fluuius Aſiæ,Nili modo limum deferens,qui magnam Ciliciæ partem*

tem adiecit, utroque oſtij ſui latere magna limi ui congeſta. de quo extat illud oraculum,

Tunc erit, undiſonus latè quum Pyramus olim
Littora perfundens Cyprum labetur in almam.

Vide Strabonem libro 1.

Pyréne, (πυρήνη) *Bebrycis regis filia fuit, ijs in mōtibus, qui Galliā ab Hiſpania dirimūt, ab Hercule cōpreſſa: quæ poſteà feris laniata, ibidēq; ſepulta fecit, ut totus ille tractus mōtanus ab eius nomine Pyrene diceretur. Silius li. 3.*

Pyrene celſa nimboſi uerticis arce
Diuiſos Celtis latè proſpectat Iberos.

Tibullus libro primo,

Non ſine me eſt tibi partus honos: tua bella Pyrene
Teſtis & Oceani littora Santonici.

Alij tamē montis huius nomen ἀπὸ τοῦ πυρὸς deducere malunt, hoc eſt, ab igne: ſiue quòd crebris fulminum ignibus feriatur: ſiue quòd Pyrenæi mōtis ſyluæ (ut autor eſt Diodorus libro 6.) iniecto à paſtoribus igne, olim uniuerſæ conflagrauerint. Pirene autē per i, noſtrū, (πειρήνη) fons eſt limpidiſſimus ſub Acrocorintho, Muſis cōſecratus: de quo ſuprà egimus ſuo loco.

Pyreneus, (πυρηνεὺς) *Phocidis rex fuit, qui cùm Muſas ex Helicone in Parnaſſum proficiſcētes hoſpitio excepiſſet, uim his inferre eſt conatus: cūq; illæ aſſumptis alis effugerent, Pyreneus conatus inſequi, è feneſtra delapſus, fregit ceruicem: ut latius fabulatur Ouidius li. 5. Metamor.*

Pyrgò, (πυργὼ) *nutrix filiorum Priami, de qua Vergilius 5. Aeneidos,*

– Maxima natu
Pyrgò, tot Priami natorum regia nutrix.

Pyrgi, orum, (πύργοι) *oppidum fuit in ora Tuſciæ, inter*

Antium & Grauiſcas. Vergil.10.Aen.

Et Pyrgi ueteres, intempeſtæq; Grauiſcæ.

Pyrois,entis,(πυρόεις) *Martis ſidus, ab igneo colore dictum.* *Eſt item nomẽ unius ex equis Solis.* Ouid.2. Met.

Interea uolucres Pyrois, & Heous, & Aethon
Solis equi, quartusq; Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Pyrrha,(πύῤῥα) *Deucalionis uxor, quæ poſt diluuiũ unà cũ marito, iactis poſt terga lapidib⁹, humanũ genus fertur reparaſſe: ut latius docuim⁹ ſuprà in nomine Deucaliõ.*

Pyrrhus, (πύῤῥος) *Achillis filius, ex Deïdamia Lycomedis filia: ita dictus à fuluo colore capillorũ, teſte Seruio.* Hic & Neoptolemus *appellatus eſt, propterea quòd admodum adoleſcentulus ad belli* Troiani *reliquias fuerit perductus.* Erat *enim in fatis, ſine* Aeacidarum *aliquo* Troiam *capi non poſſe.* In Ilij *autem expugnatione primùm* Politẽ Priami *filium, deinde & patrem ipſum interfecit.* Polyxenã Achillis *patris ſui* Manibus *inferias miſit.* Andromachẽ *uerò, quæ in prædã ſibi ceſſerat, aliquandiu iuſtæ uxoris loco habuit: quã deinde,* Hermionen Menelai *&* Helenes *filiam ducturus,* Heleno Priami *filio uxorem tradidit.* Erat *autem* Hermione *multò antè à* Tyndareo *auo* Oreſti *deſponſata: cuius etiam mutuo amore tenebatur.* Aegrè *itaque ferens* Oreſtes, *uxorem ſibi eripi, ex inſidijs* Pyrrhum *obtruncauit: ut apud* Vergiliũ *refert* Andromache *lib.3.Aeneid.* Fuit *& alter* Pyrrhus, Epirotarum *rex, materno genere ab* Achille, *paterno ab* Hercule *oriundus: qui cùm à ſuis ob odium paternæ crudelitatis, ad necem quæreretur, clàm à matre ſubductus eſt, &* Illyricorum *reginæ traditus nutriendus: apud quã cùm ad ſummam ſpem adoleuiſſet, reuocatus à ſuis, regni*

adminiſtrationem ſuſcepit. Poſtea à Tarentinis accitus, aduerſus Romanos uario euentu pugnauit. Perijt ictu tegulæ percuſſus, cùm Thebas cepiſſet. Vide uitam eius latius apud Plutarchum.

Pythágoras, (πυθαγόρας) *Philoſophus fuit Samius, Mneſarchi gemmarum ſculptoris filius, & Italicæ philoſophiæ princeps: de quo extat celebre illud elogium apud Ouidium 15. Metamor.*

Mente deos adijt, & quæ natura negauit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Auditor fuit Pherecidis Syri: poſt cuius mortem Hermodamanti iam ſeni, Creophili nepoti, ſe in diſciplinam dedit. Sub quo cùm ſatis profeciſſe uideretur, in Aegyptum nauigauit, ut illorum Theologiam, ritus, moresq́; cognoſceret. Deinde aſtrologiæ, Chaldaïcæq́; diſciplinæ cupidus, Babylonem ſeſe contulit: ubi ſyderum curſus, eorũq́; in genituris hominum effectus eſt edoctus. Spartam quoq; adijt, & in Cretam nauigauit, ut Minois & Lycurgi inclytas eo tempore leges cognoſceret. Poſt hæc in patriam rediens, cùm eam à Polycrate tyranno occupatam uidiſſet, in eam partem Italiæ ſeceßit, quæ Magna Græcia dicta eſt: delectaq́; ſede apud Crotoniatas, magno auditorũ affluxu Philoſophiam profeſſus eſt, quo tempore Romæ regnabat Seruius Tullius, ut docet Liuius lib. 1. ab Vrbe. Auditores fertur habuiſſe non pauciores ſexcentis, qui nocttu ad eum audiendum confluebant: ex quibus clarißimi fuerũt Archytas Tarentinus, Alcmæon Crotoniata, Hippaſus Metapontinus, & Philolaus Crotoniata. Primus τῆς μετεμψυχώσεως, hoc eſt, transfuſionis animarum in alia corpora, aſtructor fuit. Idq́; ut facilius perſuaderet, primùm ſe Aethaliden Mercurij filium fuiſſe affirmabat: cumq́;

eumq́; à patre optio ſibi facta eſſet petendi quicquid uel- let, excepta immortalitate, ſe ab illo petiſſe, ut & uiuẽs, & uita functus omnium quæ contingerent, memoriam ha beret. Eamq́; ob cauſam ſe omnium, quæ in uita geßiſſet, meminiſſe, eãdemq́; memoriam poſt obitum reſeruaſſe. Poſt Aethalidæ mortem Euphorbum ſe fuiſſe aiebat, & deinde Hermotimum, poſtea Delium quendam piſcatorẽ nomine Pyrrhum: mortuoq́; Pyrrho ſe factum eſſe Pytha goram. Crotoniatis & Metapontinis leges conſcripſit: populosq́; luxuria diffluentes autoritate, & doctrina ad frugalẽ cultum reuocauit, adeò ut & mulieres integrita- te eius, uitæ'que ſeueritate adductæ, auratas ueſtes, orna- mentaq́; laſciuiora, in templo Iunonis conſecrarent. Poſtremò cùm multos annos Crotone egiſſet, Metapon- tum commigrauit: ubi & ſupremum diem obijt: quan- quam, alijs alia tradentibus, de mortis genere non ſatis conſtat. Quanti autem illum uiuum fecerint Metaponti- ni, poſt obitum eius declararunt, ædes eius pro templo ei conſecrantes, diuinisq́; honoribus mortuum proſequen- tes. Ab animalium omnium carnibus, & à fabis religio- ſißimè abſtinebat. Quod & tangit Iuuenalis Sat. 15.

Vel quò non fugeret, ſi nunc hæc monſtra uideret,
Pythagoras, cunctis animalibus abſtinuit qui,
Tanquam homine, & uentri indulſit nõ omne legumẽ.

Pythia, thiorum, (πύθια) ludi Apollinares, in Apolli- nis honorem inſtituti, ob cædem Pythonis ſerpentis no- centißimi: aut, ut Strabo lib. 9. ſcribit, hominis ſcelera- tißimi, cognomento Draconis. Ouid. lib. 1. Metam.

Inſtituit ſacros celebri certamine ludos
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

Victores huius certaminis teſte Luciano, lauro corona-

bantur, additis pomis ex Apollinis templo deſumptis.

Pythius, (πύθιος) *Apollinis cognomen, à Pythone ſerpente inditum, quem ſagittis ſuis adhuc puer dicitur interemiſſe. Aut certè* ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, *hoc eſt, à conſulendi uſu: unde & Pythiarum, Phœbi ſacerdotum, nomen tractum eſſe, exiſtimat Strabo lib. 9. Alij tamen Pythium dictum putant,* ἀπὸ τοῦ πύθειν, *hoc eſt, à putreſcendo, eò quòd ſine ui caloris nunquam fiat putrefactio.*

Python, (πυθών) *ſerpens miræ magnitudinis, ex putredine terræ poſt diluuium Deucalionis natus. Hic à Iunone Latonæ ex Ioue grauidæ dicitur fuiſſe immiſſus, nullamq; ei pariendi quietem conceßiſſe, donec illa ad Aſterien ſororem ſuam perueniſſet, non multò antè in inſulam commutatam: à qua ſuſcepta, Dianam & Apollinem peperit, quarum illa uixdum nata, protinus matri obſtetricis officium præſtitit, fratremq; naſcentem excepit: qui poſtea memor iniuriæ, qua Python matrem ſuam affecerat, ſagittis ſuis eum confixit. Cuius rei memoria ne ullo temporum lapſu obliteraretur, ſacra certamina inſtituit, quæ à nomine ſerpentis Pythia appellauit: ut fabulatur Ouidius lib. 1. Metamor.*

Q

QVinquátria, orum, *feſta erant Romæ, Palladi ſacra, non dißimilia ijs, quæ ab Athenienſibus* παναθήναια *uocabantur. Iuuenal. Sat. 10.*

Incipit optare, & totis Quinquatribus optat.

Dicta Quinquatria, à numero quinque dierum, quibus celebrabantur: quorum primo fiebant ſacrificia: ſecũdo, tertio, & quarto gladiatorum ſpectacula edebantur: quinto urbis fiebat luſtratio. Videtur autem primus ex hiſce diebus fuiſſe quintus poſt Idus Martias, hoc eſt,

XIII. Cal. Apriles: quod nõ obſcurè colligi poteſt ex lib. 3. Faſt. Ouidij, ubi ſic habet:

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ:
Non procul à ripis aduena Tibri tuis.

Deinde ſubdit:

Poſtera cùm teneras Aurora refecerit herbas,
Scorpius à prima parte uidendus erit.
Tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho.
Bacche faue uati, dum tua feſta cano.

Et mox:

Stella Lycaoniam uergit decliuis ad Arcton
Miluius: hæc illa nocte uidenda uenit.

Et rurſus:

Vna dies media eſt, pòſt fiunt ſacra Mineruæ,
Nomina quæ à iunctis quinq; diebus habent.
Sanguine prima uacat, nec fas concurrere ferro:
Cauſa, quòd eſt illo nata Minerua die.
Altera, tresq; ſuper ſtrata celebrantur arena:
Enſibus exertis bellica læta Dea eſt.
Summa dies è quinque tuba luſtrare canora
Admonet, & forti ſacrificare Deæ.

Varro li. 5. de Lingua Lat. autor eſt, antiquitus unũ tantummodo feſti huius diem fuiſſe, poſt quintum ſcilicet Idus Martias: eúmque Quinquatrum uocatum fuiſſe, tracto uocabuli exemplo à conſuetudine uicinorum populorum, qui dies poſt ſextum, & ſeptimum Iduum Sexatrũ, & Septimatrum appellauere: paulatim tamen nominis errore conſuetudinem irrepſiſſe, ut quinq; dies crederentur. Varronis ſententiæ Feſtus quoq; ſubſcribit. Vnde apparet nõ niſi mera eſſe ſomnia, quæ à recentioribus Grãmaticis de uocis huius etymo ſunt excogitata: qui Quin-

quatria inde dicta tradiderunt, quòd celebrarentur quinque diebus continuis poſt diem atrum, qui erat poſtridie Iduum. cùm probatiſsimorum, quos iam adduximus, autorum teſtimonijs ſatis conſtet, Atrus, ſiue Atria, particulas in hiſce uocibus nihil ſignificare, ſed ſolas eſſe nominum productiones. Fuerũt & minora Quinquatria, ſiue (ut Feſtus appellat) Quinquatrus minuſculæ, quæ Idibus Iunijs à tibicinibus perſonatis celebrabantur in honorem Mineruæ. Ouid. 6. Faſt.

Et iam quinquatrus iubeor narrare minores:
Nunc ades ô cœptis flaua Minerua meis.
Cur uagus incedit tota tibicen in urbe?
Quid ſibi perſonæ, quid toga longa uolunt?

Huc etiam ſpectare uidetur illud Plauti in Milit. Da quod dem Quinquatribus percantrici, collectrici, &c.

Quirînus, ni, (κυρῖνος) *Romuli cognomen, ab haſta, qua aſsiduè utebatur, impoſitum. Haſtam enim, teſte Feſto, Sabini Curim, ſiue (ut alij legunt) Quirim uocabãt. Quanquam non deſint, qui à Curibus, hoc eſt, à Sabinis, quos in urbis partem recepit, Quirinum potius cognominatum putent. Contrà Varro libro 4. de Ling. Lati. Quirinum à Quiritibus appellatum exiſtimat. Ouidius controuerſiam hanc in medio relinquit, cõtentus omnes, quas iam adduximus, opiniones recenſuiſſe, lib. 2. Faſtor. ſic ſcribens:*

Proxima lux uacua eſt: at tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen, Romulus antè fuit.
Siue quòd haſta quiris priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus à telo uênit in aſtra Deus:
Siue ſuo regi nomen poſuere Quirites:
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

A Quir

A Quirino nomen accepit Collis Quirinalis, propterea quòd in eo Quirini templum erat: ſiue quòd Sabini Curibus profecti in eo conſederint. Hodie Romanorum uulgus à duobus equis marmoreis, Phidiæ, & Praxitelis operibus, in hoc colle ſitis, Montem equorum appellat.

Quirites, (κυρῖται, ῥωμαῖοι) *Romanorum nomen, à Curibus Sabinorum urbe impoſitum. Romulus enim, inito fœdere cum T. Tatio Sabinorum rege, eoq; in partem regni, Sabinisq; in urbis portionem receptis, ut nouorum incolarum beneuolentiam aliqua ſibi ratione conciliaret, miſtam Romanorum Sabinorumq; gentem uno nomine Quirites appellauit. Liuius libro 1. ab urbe: Mouet res tum multitudinem, tum duces: ſilentium, & repentina fit quies. Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt: nec pacem modò, ſed & ciuitatem unam ex duabus faciunt, regnum conſociant, imperium omne conferunt Romam. Ita geminata urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites à Curibus appellati. Hactenus Liuius. Perſius Sat. 5.*

-Heu ſteriles ueri, quibus una Quiritem
Vertigo facit.

Ouidius 1. Amorum:

An ſi pulſaſſem minimum de plebe Quiritem,
Plecterer, &c.

R

RAuenna, (ῥάβεννα *Strab.*) *urbs eſt in octaua regione Italiæ, in litore maris Adriatici, C II. M. paſſ. ab Ancone, paluſtri in loco ſita, aëre tamē innoxio, propterea, quòd crebris tū fluuiorū, tū maris inūdationibus ſordes abluantur: unde gladiatoribus educandis exercendisq; locum hunc ueteres præcipuè delegerunt: ut eſt au-*

tor Strabo lib.5.qui eam à Theſſalis conditam tradit: qui cùm perpetuis Tuſcorum incurſionibus pares non eſſent, Vmbros in partem ciuitatis receperunt. Plinius tamen lib.3.cap.15. Rauennam Sabinorum coloniam facit. Hodie cum alijs pleriſq; eiuſdem tractus oppidis Venetis paret. De hac Silius lib.8.

Lenta paludoſæ proſcindunt ſtagna Rauennæ.

Remus, (ῥέμος) *frater Romuli, primi Romanorum regis, qui quòd noua urbis Romæ mœnia per ludibrium tranſilijſſet, à fratre eſt interfectus, ut placet Liuio libro 1. ab Vrb. con. aut certè (ut Ouidius mauult libro 5. Faſt.) à Celere quodam Tribuno. Poſt cuius mortē oborta peſtilentia, conſulto oraculo reſponſum eſt, placandos eſſe manes Remi: ob quam rem ſella curulis cum ſceptro & diademate, & cæteris regni inſignibus ſemper iuxta Romulum quiduis ſancientem ponebatur, ut mortuus etiam Remus pariter imperare uideretur. Huc reſpexit Verg.1.Aen.cùm ait:*

–Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt.

Rhadamanthus, (ῥαδάμανθος) *Iouis ex Europa filius, & rex Lyciæ, qui quòd ſeuerus fuerit iuſtitiæ executor, fingitur à poëtis apud inferos nocentum explorare culpas. Vergilius lib.6.*

Gnoßius hæc Rhadamanthus habet durißima regna,
Caſtigatq́; auditq́; dolos, ſubigitq́; fateri,
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Rhætia, (ῥαιτία Stephano) *Europæ regio eſt, quæ, ut lib. 2. Ptolemæus refert, ab occaſu limites habet montem Adulam, & ſontes Danubij, & Rheni: ab ortu Lycum fluuiū, qui*

qui in Danubium exit, & Rhætiam à Vindelicia diuidit: à Septētrione Danubium: à Meridie Alpibus terminatur ſupra Galliam Ciſalpinam. Poſt Rhætiam uerſus Orientē ſequitur Vindelicia, cui Noricum adhæret, Aeno tantùm fluuio diſiuncta. Diuiditur hodie Rhætia in duas partes, ſuperiorem & inferiorem. Superior Rhætia appellatur totus ille tractus, qui ab Heluetiorum finibus initium ſumens, bonam Galliæ Ciſalpinæ partem ad Larium uſque lacum occupat. Huius tractus incolæ uulgo Griſones appellātur. Inferior à Lyco amne, qui hanc à ſuperiore diuidit, ſumit principium, & uſq; ad Aenum fluuium porrigitur, qui Rhætiæ & Norici terminus eſt. Hanc hodie incolunt Boioarij. Vtriuſq; regionis incolæ Rhæti dicūtur, à Tuſcis (ut creditur) oriūdi, qui à Gallis ſedibus ſuis pulſi, loca utrinque Alpibus uicina occuparunt. Apud hos præſtantiſsima naſcebātur uina, & præcipuè in ea Rhætiæ parte, quæ ab Alpium radicibus Veronam, Comumq́; pertingunt: quæ à regionis nomine Rhætica dicuntur. Verg. 2. Georg.

–Et quo te carmine dicam
Rhætica? ne cellis ideo contende Falernis.

Rhamnes, etis, (ῥάμνης) *regis & auguris nomen, qui Turni partes ſequutus, noctu dormiens à Niſo eſt interemptus. Verg. libr. 9. Aeneid.*

–Simul enſe ſuperbum
Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore ſomnos.

Rhamnus, untis, (ῥαμνοῦς) *Atticæ regionis uicus, Amphiarai templo, & Nemeſis Phidiacæ ſimulacro inſignis: quæ ab hoc uico Rhamnuſia dicta eſt. Hæc indignationis dea putabatur, ab ijs pœnas repetens, qui præſentibus bo*

nis ſe indignos præbuiſſent. De hac Ouid. libr. 5. Triſt.

Exiget at dignas ultrix Rhamnuſia pœnas.

Rhea, (ῥέα) *Cœli, & Terræ filia, alijs nominibus Cybele, Ops, Veſta, Magna mater, Dindymene, & Berecyntia appellata. Rhea autẽ dicta putatur à uerbo Græco ῥέω fluo, eò quòd nullo non bonorum genere affluat. Reliqua uide ſuprà in nominibus Ops, & Cybele. Rhea item dicta eſt Numitoris Albanorum regis filia, alio nomine Ilia appellata, quam cùm Amulius patruus eius Veſtæ uirginem legiſſet, à Marte compreſſa, Romulum & Remum peperit: ut latius docuimus ſuprà in dictione Ilia.*

Rhégyum, *ſiue* Rhégyon, (ῥήγυον *Steph.*) *extremũ agri Brutij oppidum, inde nomen habens, quòd ibi Sicilia ab Italia credatur eſſe auulſa. ῥηγνύναι enim Græcis rumpere eſt. Ouid. 14. Metamor.*

Rhegyon ingreditur, feruentesq; æſtibus undas.

Huius oppidi ciues Rhegyni dicuntur, (ῥηγῦνοι Steph.) cùm à Regio Galliæ Ciſalpinæ oppido dicãtur Regienſes.

Rhemi, (ῥῆμοι) *Galliæ Belgicæ populi, Mediomatricibus, & Leucis finitimi, magna à Cæſare ſtrage apud Gergoniã uicti. Hi iaculandi, ſagittandiq; peritia cæteris Galliæ populis creduntur præſtitiſſe. Lucanus lib. 1.*

Optimus excuſſo Leucus, Rhemusq; lacerto.

Rhenus, (ῥῆνος) *fluuius inſignis, Germaniam à Gallia dirimens, qui de iugo Rheticarum Alpium defluens, circa Batauorum fines in tria cornua diuiditur, totidemq; oſtijs partim in Moſam fluuiũ, partim in Oceanũ ſe exonerat. Tria Rheni cornua, teſte Glareano in Cæſarẽ, à Germanis hodie nominãtur Lecca, Vualis, & Iſella, quorum poſtremum olim non erat: ſed à Druſo aduerſus Germanos bellum gerente, ducta foſſa à Rheno ad mare, effectum*

eſt, ut

eſt,ut munimentum eſſet aduerſus incurſus barbarorum. Quare mirum non eſt, ſi tertium hoc oſtium Vergilio *fuerit ignotum, qui* Rhenum *uocat bicornem, quaſi duo oſtia habentem.* Horat. de Arte poët. Rhenũ *protulit neutro genere cùm ait,*

> *Aut flumen* Rhenum, *aut pluuius deſcribitur arcus.*

Rhêſus, (ῥῆσος) *Thraciæ rex, qui cùm* Troianis *aduerſus* Græcos *auxilio ueniſſet, proditus à* Dolone, *qui maximis* Hectoris *promiſsis inductus, hoſtium caſtra ſpeculatũ prodierat, ab* Vlyſſe *et* Diomede *interceptus eſt et interfectus: idq; prima nocte, qua ad* Troiã *uenit, cùm nondũ equi eius* Xanthi *aquas guſtaſſent.* Erat *enim in fatis,* Troianorum *urbem capi non poſſe, ſi* Rheſi *equi* Xanthi *aquas bibiſſent.* Vergil. 1. Aen.

> *Nec procul hinc* Rheſi *niueis tentoria uelis*
> *Agnoſcit lacrymans, primo quæ prodita ſomno*
> Tydides *multa uaſtabat cæde cruentus,*
> *Ardentesq; auertit equos in caſtra prius, quàm*
> *Pabula guſtaſſent* Troiæ, Xanthumq; *bibiſſent.*

Eſt item Rheſus, Troadis *fluuius, teſte* Strabone *lib.* 13.

Rhexénor, (ῥηξήνωρ) Nauſithoi *filius, & frater* Alcinoi, *pater autem* Aretes, *quam* Alcinous, *fratre* Apollinis *ſagittis interfecto, uxorem duxit, ut refert* Homerus *circa initium lib.* 7. Odyſs.

Rhiphæi montes, (ῥίπαια ὄρη) *montes Septentrionales* Scythiæ: *quorum meminit* Plinius *libro* 4. *capite* 12. Græci *hoc nomẽ in ſecũda ſyllaba nõ aſpirant, quòd* ἀπὸ τῆς ῥιπάδος, *hoc eſt, à flatuum ui deductum putent: quòd ibi uehementiſsimi eſſe dicantur* Boreæ *flatus.* Latini *tamen tenuem mutant in aſpiratam: ad differentiam* Rhipæorum *montium, teſte* Seruio, *qui in* Arcadia *collocãtur.*

Hinc

Hinc Rhiphæus,a,um,(ῥιφαῖος.)Vergilius 3.Georg.

Gens effræna uirûm Rhiphæo tunditur Euro.

Rhipheus,(ῥιφεὺς) unus ex Centauris,Ixionis & Nubis filius,cuius meminit Ouid.libr. duodecimo Metamorphoſeos. Fuit & Rhipheus Troianus, iuſtitiæ nomine Troianis omnibus prælatus:ut placet Verg.lib.ſecundo Aen.

Rhódanus,(ῥόδανος)fluuius Galliæ rapidiſsimus,à Rhoda colonia Rhodiorum nomen habens,teſte Plinio lib.3. capite 4.Naſcitur in Alpibus Rhæticis, non ita longè à Rheni fontibus:ferturq́; per Lemanũ lacũ:deinde uerſus occidentem per Galliam fluens,Ararim apud Lugdunum ſuſcipit.Inde ad Meridiẽ cõuerſus, Iſarã Druentiãq; admittit:tãdẽq; apud Heracleã uno oſtio,& paulo ulterius duobus alijs in mare Maßilioticũ euoluitur. Lucan.li.4.

-Hos campos Rhenus inundat,

Hos Rhodanus.

Rhódope,(ῥοδόπη)mons Thraciæ,à Rhodope Thracum regina,in hunc montem(ut Ouidius fabulatur)conuerſa, uel(ut alijs placet)ibi ſepulta. Vel à Rhodope Strymonis amnis filia, ex qua Neptunus Athon gigãtem genuit,qui & ipſe monti nomen dedit.Verg.8.Eclog.

-Duris in cotibus illum

Iſmarus,aut Rhodope,aut extremi Garamantes.

Hinc Rhodopeïus,a,um:ut, Rhodopeïus Orpheus, apud Ouid.10.Metam. Fuit item Rhodope,ſiue Rhodôpis, (ῥοδῶπις Suidæ)meretrix nobiliſsima ex Thracia, Aeſopi fabulatoris aliquandiu conſerua, & poſtea à Charaxo Sapphûs poëtriæ fratre, qui eius amore tenebatur, ingenti pecunia redempta.Hæc teſte Plinio libr.36. capit. 12. tantas opes meretricio quæſtu corraſit, ut pyramidem inſignem ſuis ſumptibus extructam reliquerit.

Rhodos.

Rhodos,(ῥόδος) *inſula eſt nobiliſſima in mari Carpathio, Cariæ adiacens, ambitu* CXXX.M. *paſſ. urbem habens eiuſdē nominis quæ toti inſulæ nomen fecit, cùm antea* Ophiuſa, Aſteria, Aethræa, *alijsq́; plurimis nominibus fuerit appellata. Vrbem autē ipſam* Rhodū *dictam uolunt, ſiue à* Rhodia *puella, ab* Apolline *adamata, ut fabulatur* Diodorus *libr.6. ſiue ab eo quòd capulo roſæ illic inuento ſit ædificata. Ea portubus olim, & uijs, & mœnibus, & reliquis ornamentis tantopere cæteras ſuperauit, ut nulla putaretur æqualis: naualis autem rei peritia adeò ualuit, ut annis multis maris imperio potiretur, & piratarū latrocinia ſuſtulerit.* Hæc *inſula inter Aſiaticas inſulas tertia numeratur.* Nam *Leſbus, & Cyprus maiores habētur. Solinus autor eſt, nullū toto anno diē tam nubilū eſſe, quo in hac inſula Sol nō cernatur: unde nō immerito ab* Horatio *Clara* Rhodos *appellatur, lib.1. Carm.*

Laudabunt alij claram Rhodon, *aut* Mitylenen.

Rhœbus,(ῥοῖβος) *equus* Mezentij, *apud* Verg. *libr.10.*

Rhœbe diu, res ſi qua diu mortalibus ulla eſt,
Viximus, &c.

Rhœtus,(ῥοῖτος) *Marrubiorum rex fuit in* Italia, *pater* Anchemoli, *qui uitiata nouerca ſua,* Rhœti *patris furorē, metuens cōfugit ad* Turnū: *ut annotauit* Seruius *in illud* Verg.10. Aen.

Hinc Sthenelum petit, & Rhœti *de gente uetuſta*
Anchemolum.

Eſt etiam Rhœtus *apud poëtas nomen gigantis, qui cùm* Ioue *de cœli poſſeßione deijcere conaretur, à* Dionyſio *in leonem tranſmutato interemptus eſt.* Horat. *li.2.* Carm. *ad Bacchum:*

Tu, cùm parentis regna per arduum

Cohors gigantum ſcanderet impia,
Rhœtum retorſiſti leonis
Vnguibus, horribiliq́; mala.

Rhœtêum, (ῥοίτειον) *promontorium, & oppidum Troa dis, Aiacis ſepulcro celebratũ, quemadmodũ Sigeũ ſepulcro Achillis. Inde Rhœteũ littus à Verg. dicitur li. 6. Aen.*
Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Conſtitui.

Robígo, inis, *ſiue* Rubígo, *dea habita eſt apud Romanos, quæ ideo colebatur, ut uitium ſegetum, quod robiginem ſiue rubiginẽ appellamus, auerteret. Ouid. 4. Faſt.*
Flamen in antiquæ lucum Robiginis ibat.
Varro libro 1. de Re ruſt. cap. 1. Robigum deum facit, eumq́; Floræ cõiungit: cui etiã Robigalia feſta publicè inſtituta aſſerit, quemadmodum Floræ Floralia. Autor eſt Plinius lib. 18. cap. 29. Robigalia, ſiue Rubigalia à Numa Pompilio fuiſſe inſtituta anno regni ſui undecimo: eaq́; ad ſeptimum Cal. Maij celebrari ſolita: quo tempore ſegetes rubigini maximè ſunt obnoxiæ.

Roma, (ῥώμη) *urbs Italiæ, regina urbium, & totius propemodum orbis olim caput: de cuius origine, & nominis ratione non ſatis conuenit inter ſcriptores. Vulgatiſſima tamen eſt opinio, à iuuentute Albana conditam fuiſſe, ducibus Romulo, & Remo, nepotibus Numitoris: atq; à Romuli nomine Romam fuiſſe appellatam, non autem Romulam, ne nominis diminutio urbis maieſtati quippiam detraheret. Alij multis ante Romulum ſeculis conditam uolunt, primumq́; Valentiam appellatam: Romam autem dici cœpiſſe poſt Euandri & Aeneæ aduentum, qui Latina uoce in Græcam eiuſdem ſignificationis translata, ῥώμην appellarunt. Sunt præterea, qui exiſtiment Aeneæ neptem*

neptem fuiſſe, & Aſcanij filiam, nomine ῥώμην, à cuius nomine urbi huic nomen fuerit impoſitum. Nec deſunt, qui Troia capta Achiuos quoſdam ea in loca ueniſſe aſſerant, cumq́; in Palatino monte oppidum condidiſſent, à nobilis captiuæ nomine ῥώμην appellaſſe. Sunt & aliæ non paucæ hac de re ſcriptorum opiniones, quas hîc breuitatis cauſa omittimus. Si quis tamē noſſe cupiat, adeat Pompeium Feſtum, de Antiq. uocum ſignificat. lib. 16. Id certè conſtat, à tenuißimis ortam eſſe principijs, primumq́; in Palatino monte conditā fuiſſe: ſæpiusq́; deinde pomœria eius fuiſſe prolata. Scribit enim Plin. lib. 3. cap. 5. Veſpaſiani temporibus ambitum urbis fuiſſe XIII. M. CC. paß. Vopiſcus autem tradit, Aurelium Imperatorē ambitum eius ad triginta millia paſſuum ampliaſſe.

Rómulus, (ῥώμυλος) Martis ex Ilia filius, Nepos Numitoris, & frater Remi, eodem cum illo partu editus. Erat enim Numitori frater nomine Amulius, præferoci ingenio: qui non contentus fratri natu maiori imperium præripuiſſe, ut poſteritati quoq; ſuæ tyrannidem conſtabiliret, Lauſum prolem illius maſculam interemit. Iliam quoq;, ut ſpem omnem nepotum fratri eriperet, ſub ſpecie honoris uirginem Veſtalem legit, eoq́; modo perpetua uirginitate damnauit. Ea tamen poſtea ex Marte (ut Romani credi uoluerunt) grauida depræhenſa, gemellos peperit: quos Amulius in Tiberim abijci iußit, matrem autem uiuam in ripa fluminis defodi. Verùm cùm id temporis Tiberis extra ripas reſtagnaſſet, nec adiri uſquam ad iuſti amnis curſum poſſet, qui mergendorum puerorum negotium ſuſceperat, in proxima eos alluuie, ubi poſtea Ruminalis ficus fuit, expoſitos reliquit. Vbi à Fauſtulo regij pecoris magiſtro inuenti ſunt, & Laurentiæ uxori educan

educandi traditi: quæ quòd uulgato corpore quæſtũ faceret, ideoq́; Lupa inter paſtores uocaretur: factus eſt locus fabulæ, Romulum, & Remum à lupa educatos fuiſſe. Hi poſtea cùm adoleuiſſent, de genere ſuo à Fauſtulo edocti, Amulium trucidant: auumq́; Numitorem in regnum reſtituunt. Nec ita multò pòſt collecta magna paſtorum manu, urbem nouam in Palatino monte, ubi educati fuerant, ædificant. Et quoniam fratres gemini erant, nec ætatis uerecundia differentiam facere poſſet, orta inter eos contentione, uter nouæ urbi nomen daret, & conditam imperio regeret, placuit rem auium iudicio permitti. Cumq́; Remo in Auentino uultures ſex priores, Romulo autem in Palatino duodecim, ſed poſteriores apparuiſſent: illo tempore, hoc numero ſe potiorem eſſe aſſerente, exorta inter paſtores primùm altercatio eſt, quæ deinde ad manus peruenit. Ibi Remus in turba ictus cecidit. Vulgatior fama eſt, ludibrio fratris Remum nouos muros tranſilijſſe: inde à Romulo, ſiue à Celere quodam militum Tribuno Romuli iuſſu fuiſſe interfectum. Solus itaq; regno potitus Romulus, ut urbem incolis frequentiorem redderet, Aſylum aperuit. Senatores centum, quos ab honore Patres appellauit, conſcripſit. Vicinis connubia negantibus uirgines, quæ ad Conſualium ſpectaculum conuenerant, rapuit. Ceninenſes bellum inferentes prælio uicit, regeq́; obtruncato, Ioui Feretrio opima ſpolia obtulit. Atemnates deinde, & Sabinos prælio ſuperatos in ciuitatem recepit. Fidenates acie fudit, & ad oppidum fugientes inſequutus, urbem eodem impetu cepit. Veientibus quoque poſt aduerſam pugnam pacem petentibus, centum annorum inducias conceſſit. Hiſce rebus geſtis, cùm ad Capreæ paludem conciònem haberet, ingenti coorta

orta tempeſtate, repentè nuſquam comparuit, patrum, ut creditur, manibus diſcerptus. Ab huius nomine Romani dicti ſunt Romulidæ. Perſius Sat. 1.

-Et inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi quid dia poëmata narrent.

Róſcius, hiſtrio inſignis fuit Ciceronis ætate, in arte ſua uſqueadeo abſolutus, ut ſi quem ſignificare uelimus cæteris ſui generis hominibus præcellere, Roſciũ κατ᾽ ἐξοχὴν appellemus. Horat. 2. Epiſt. 1.

Quæ grauis Aeſopus, quæ doctus Roſcius egit.

Fuit & Roſcius quidam Otho, qui in Tribunatu ſuo legem tulit, qua equeſtrem ordinem à plebe diſtinxit, Equitibus XIIII. gradus ſeorſim aßignans, in quos nemo reciperetur, niſi qui quadringentorum ſeſtertiorum cenſum expleret. Hæc lex à latore Roſcia appellata eſt. Horat. Epiſt. 1.

Roſcia, dic ſodes, melior lex, an puerorum
Nænia?

Rubi, orum, oppidum Campaniæ, à ruborum frequentia, ſiue à rubore dictum. Horatius in Serm.

Inde Rubos feßi peruenimus, utpote longum
Carpentes iter, & factum corruptius imbri.

Inde Rubeus, a, um: ut, Vimen Rubeum, Virgæ Rubeæ, quæ Rubis afferebantur, fiſcellis texendis utiles. Vergil. 1. Georgicorum,

Nunc facilis Rubea texatur fiſcina uirga.

Rúbicon, onis, (ῥουβίκων) fluuius eſt in octaua Italiæ regione, in Apennino monte naſcens, & inter Ariminum & Rauennã in mare Adriaticum influens, antiquus Italiæ & Galliarum terminus. Lucan. lib. 1.

-Vt uentum eſt parui Rubiconis ad undam.

Rudiæ, arum, (ῥουδίαι Ptolemæo, ῥοδίαι Stephano) ſiue Rhudia, æ, Plinio, oppidum Pediculorũ, ſiue Salentinorum, non procul à Brunduſio, à Græcis conditum, patria Ennij Poëtæ: quem idcirco Rudium hominem uocat Cicero in Oratione pro Archia Poëta. Silius:

Miſerunt Calabri, Rudiæ genuere uetuſtæ.

Rufæ, oppidum fuit Campaniæ, quod Turno auxilia miſit aduerſus Aeneam. Verg. 7. Aeneid.

Quiq; Rufas, Batulumq́; tenent.

Rutheni, (ῥουθηνοὶ) populi Galliæ Aquitanicæ, Cadurcis, & Santonibus contermini. Lucanus lib. 1.

Soluuntur flaui longa ſtatione Cadurci.

Rútuli, (ῥουτουλοὶ) antiquiſſimi Italiæ populi, qui eã partẽ Latij tenuerũt, in qua fuit Ardea, à Danaë Acriſij filia cõdita. Hi Turno duce bellũ aduerſus Aeneã geſſerunt, ut latè deſcribit Ver. ſex poſterioribus Aeneidos ſuæ libris.

Rutúpiæ, (ῥουτούπιαι Ptolemæo) Cantiorum oppidum, in tractu Orientali Britanniæ: à quo uicinum promontoriũ Rutupinum, littoraq́; adiacentia Rutupina appellantur. Lucan. lib. 6.

Aut uaga cùm Tethys, Rutupinaq́; littora feruent,
Vnda Caledonios fallit turbata Britannos.

S

SAbæi, (σαβαῖοι) populi felicis Arabiæ, ditiſſimi ſyluarum fertilitate odorifera: quorum metropolis eſt Saba, quam Strabo lib. 16. Meriabam uocat. Sabæos autem dictos putat Seruius ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, quod eſt, uenerari, quòd deos ipſorum ture ueneremur. Verg. 1. Georg.

India mittit ebur, molles ſua tura Sabæi.

Idem 2. Georgic.

–Solis eſt turea uirga Sabæis.

Sabelli,

Sabelli,(σαμνῖται) populi Italiæ, à Sabinis oriũdi, inter Sabinos & Marſos incolentes: alio olim nomine Samnites dicti, teſte Stephano lib. 3. cap. 12. Hinc Sabellus, a, um. Vergil. 2. Georg.

Hæc genus acre uirũm, Marſos, pubemq́; Sabellam
Extulit.

Item Sabellicus, ca, cum. Verg. 3. Georg.

–Denteſq́; Sabellicus exacuit ſus.

Sabíni,(σαβῖνοι) populi ſunt in quarta Italiæ regione, non procul à Roma, à religione, & cultu deorum cognominati: quaſi Sebini, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. Silius uerò, à Sabo autore gentis, Sabinos dici putat, qui lib. 8. ait:

–Pars laudes ore ferebant
Sabe tuas, qui de patrio cognomine primus
Dixiſti populos magna ditione Sabinos.

Hos Plin. Apennini iugis uallatos utrinq; ſcribit. Strabo Sabinos ait anguſtũ incolere agrum, in longitudinẽ protẽſum à Tiberi uſq; Nomẽtũ oppidũ ſtadijs mille uſq; ad Veſtinos. Horũ filias rapuerũt Romani, cùm urbe recens condita, uxoribus adhuc carerent. Romulus enim, cùm affinitatem uicinorum bona pace impetrare non poſſet, propter urbis nouitatem, conſilium cepit de rapiendis uirginibus. Indictis itaq; ludis Neptuno equeſtri, cùm multi ex accolis cum coniugibus & liberis ad nouum ſpectaculum conueniſſent, Romulus cùm omnium animos ludis intentos uideret, rei aggrediundæ ſignum dat: protinusq́; relictis ludis, Romana iuuentus ad uirgines rapiendas diſcurrit. Quam ob iniuriam Sabini Romanis bellum intulerunt: cúnque iam directæ acies ex aduerſo ſtarent, interuentu raptarum prælium diremptum eſt: placuitque, ut Sabini in partem urbis reciperentur, po-

pulusq́; uniuerſus ex duobus cõflatus, uno nomine Quirites dicerentur. Verg. 8. Aeneid.

–Et raptas ſine more Sabinas
Conſeſſu caueæ.

Sacráni, *populi Italiæ fuerunt Romæ uicini, qui à Corybante quodam, Magnæ matris ſacerdote ea loca tenente, initiũ duxerunt. A` ſacrificando dicti. Corybantiũ enim erat, Matri deûm ſacra facere. Seruius tamẽ Ardeates intelligi putat, propter uer ſacrum, quod apud eos immolationis genus erat, quo grauibus periculis adducti, uouebant ſe dijs ſacrificaturos, quæcũq; proximo uere apud ſe animalia nata eſſent. Vide Seruium in illud Ver. 7. Aen.*

Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici.

Ságaris, (σαγγάριος Ptolemæo, & Straboni) *fluuius eſt Aſiæ, qui ex Dindymo Galatiæ monte naſcens, & per Phrygiam Bithyniamq́; flexuoſo curſu delatus, tandem influit in Pontum Euxinum. Ouid. 4. de Ponto, Eleg. 10.*

Huc Lycus, huc Sagaris, Peniusq́;, Hipanisq́;, Cratesq́;
Influit, & crebro uortice tortus Halys.

Saguntus, (σάγουντος) *Hiſpaniæ ciuitas ultra` Iberum fluuium, populi Romani fideliſsima ſocia, quam cùm Annibal contra ius fœderis obſidione premeret, maluerunt Saguntini ſe ſuaq́; omnia igni conſumere, quàm aut fœderati populi amicitiam deſerere, aut uiui in hoſtis poteſtatem peruenire: ut latius deſcribit Silius Bel. Pun. lib. 1.*

Sálamis, *ſiue* Sálamin, (σαλαμὶς) *inſula eſt in ſinu Saronico, contra Atticam, urbem habens eiuſdem nominis, in qua Telamon regnauit, Aiacis & Teucri pater. Verùm cùm Teucer capta iam Troia, in patriã rediret, indignatus Telamon, quòd Aiacis mortem (qui inimicorum iniurijs exagitatus, & in furorem conuerſus, ſibi necem intulerat)*

intulerat) non uindicaſſet, eum Salamine expulit. Excluſus itaq; è patria Teucer, in Cyprum nauigauit, ubi nouã urbem condidit, quam & ipſam relictæ urbis deſiderio Salaminem appellauit. Horat. in Odis:

– Teucer Salamina, patremq;
Cùm fugeret, &c.

Salentini, (σαλεντῖνοι) populi ſunt in finibus Italiæ, proximam Apuliæ peninſulã incolentes, quæ eſt inter Tarentinum ſinum, & fauces Adriatici protenſa, circa Brunduſium, & Rudias in Iſthmum contracta, latum ſtadia circiter trecenta. Salentini autem dicti putantur, à Salentino promontorio, in extremis eius peninſulæ finibus ſito: quod & ἄκραν ἰαπυγίαν appellant. Feſtus tamen à ſalo dictos mauult, fortaßis ob id, quòd penè circunquaq; mari ambiantur, tenui tantùm iſthmo continenti annexi. Ortos autem putat à Cretenſibus, & Illyricis, qui ſocietate cum Locrenſibus inita, iis in locis conſederunt. Hinc Salentinus, a, um. Vergil. 3. Aen.

Et Salentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus.

Sálij, (σάλιοι) ſacerdotes Martis, numero duodecim, à Numa Pompilio primùm inſtituti, tunicisq; pictis, æneoq; pectoris tegmine exornati. Salij dicti, quòd ſalientes ancilia per urbem circunferrent. Verg. 8. Aen.

Hic exultantes Salios, nudosq; Lupercos,
Lanigerosq; apices, & lapſa ancilia cœlo
Extuderat.

Vocantur etiam Saliſubſuli à Catullo Epigram. 17. ad Coloniam:

Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo uel Saliſubſuli ſacra ſuſcipiunto.

Sálmacis, (σαλμακὶς) fons Cariæ limpidiſsimus, iuxta Halicarnaſſum, eo nomine olim malè audiens, quòd lauantiũ in eo, aut ex eo bibẽtium corpora effœminaret. Cuius rei rationẽ poëtæ ad huiuſmodi referũt fabulam: Salmacidem Nympham fuiſſe, fonti huic præſidẽtem, quæ Hermaphroditi pueri formoſiſsimi amore capta, cùm nullis eum blanditijs ad concubitum poſſet adducere, ſimulato diſceſſu ſeſe poſt uepres occultauit: cũq; uidiſſet illum, qui ſolum ſe eſſe exiſtimabat, poſitis ueſtibus fontem ingreſſum eſſe, ſubitò accurrens, abiectisq; indumentis arctiſsimè eum cõplexa eſt. Verùm cùm ne ſic quidem obſtinatum iuuenis animum poſſet inflectere, à ſuperis dicitur petijſſe, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur. Quibus precibus uix finitis, ambo unum in corpus coaluerunt, ita tamen, ut ſexus uterq; integer remaneret. Quam corporis ſui mutationem cernens Hermaphroditus, parentes ſuos dicitur inuocaſſe, & ab ijs ſummi muneris loco petijſſe, ut ea fonti natura maneret, ut qui uir eum ingrederetur, ἀνδρόγυνος, hoc eſt, utrunq; ſexum habens, inde exiret. Fabulam hanc latiſsimè deſcribit Ouid. 4. Metamorph. ibi:

Vnde ſit infamis, quare malè fortibus undis
Salmacis eneruet, tactosq; remolliat artus,
Diſcite.

Salmóneus, (σαλμωνεὺς) Aeoli filius fuit, & Rex Elidis, qui cùm diuinos ſibi honores petulantius quæreret, Iouemq; ſtructo æneo ponte, tonando, & iaciendis fulminibus imitaretur, ab eo fulminatus, & ad inferos detruſus eſt. Vide Seruium in illud Vergil. 6. Aeneid.

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi.

Salo, onis, fluuius eſt apud Celtiberos, nõ procul à Bilbili opp

li oppido, optima ferri temperatura nobilis. Marti. li. 10.

Auriferumq́; Tagum ſitiam, patriumq́; Salonem.

Salónæ, arum, (σαλῶναι *Stephano) urbs Dalmatiæ, olim capta ab Aſinio Pollione: à qua & filium ſuum Saloninum appellauit. Lucanus lib. 4.*

Quà maris Adriaci longas ferit ora Salonas.

Seruius in illud Verg. 4. Eclog.

Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem.

Aſinius Pollio inquit, ductor Germanici exercitus, cùm poſt captas Salonas Dalmatiæ ciuitatem primò meruiſſet lauream, pòſt etiam Conſulatum adeptus fuiſſet, eodem anno ſuſcepit filium, quem à capta ciuitate, Saloninum uocauit.

Same, es, (σάμη) *inſula eſt in mari Ionio, ante Acarnaniam, alio nomine Cephallenia dicta, urbem habens eiuſdem nominis. Verg. 3. Aen.*

Dulichiumq́;, Sameq́;, & Neritos aſpera ſaxis.

Samnítes, (σαμνῖται) *populi in Samnio, quod nunc Aprutiũ uocamus: quæ regio eſt Italiæ inter Picenum, Campaniam, & Apuliam. Vrbes in ea ſunt, Adria, Aquila, Amiternũ, Sulmo, Ortona, Arpinũ, Aquinũ, Atina, Beneuẽtũ, Corfiniũ. Iidẽ & Sabelli dicũtur, nomine per diminutionẽ à Sabinis deducto, teſte Strabone li. 5. Ferũt enim Sabinos, cùm aduerſus Vmbros bellum gererent, Marti uotum feciße, ſi uictoria potirentur, ſe illi conſecraturos quicquid eo anno apud ipſos naſceretur. Quare cùm re bene geſta in patriam rediſſent, cùm reliquum anni totius prouentum, tum etiam filios eo anno natos Marti cõſecraſſe. Quos deinde, cùm adoleuiſſent, duce Tauro in Campaniam ad ſedes nouas quærendas emiſerunt: ubi nullo propemodum negotio eiectis Opicis, ſedes ſuas colloca-*

runt: originisq; ſuæ memores, Sabellos ſeſe, quaſi Sabinorũ ſobolem apellarunt. Hi grauiſsima olim bella cum Romanis uario euentu geſſerunt. Sp. Poſthumium Conſulem, cũ collega, totoq; exercitu ad Furcas Caudinas locorum anguſtia circumuentos, ex fœdere ſub iugum miſerunt: quã tamen ignominiam Romani non ita multò pòſt magna illorũ clade deleuerũt, Samnitibus uiciſsim ſub iugũ miſsis. Poſtea cum ſæpius rebellaſſent, tandem à L. Sylla Dictatore multis prælijs fracti, cùm ne ſic quidem iugum ferre poſſent, funditus ſunt deleti.

amos, (σάμος) nomen duarum inſularum: quarum altera Ioniæ adiacet è regione Epheſi, ambitu LXXXVII. M. paſs. ideo Iunoni cõſecrata, quòd in ea nata fuerit, & educata, & Ioui nupta. Scribit Varro, Samon prius Pathenià nominatã, ibiq; antiquiſsimum fuiſſe Iunonis tẽplum, & ſimulacrum in habitu nubentis figuratum: ubi & ſacra eius anniuerſaria nuptiarum ritu celebrabantur. Altera ſita eſt è regione Epiri, non procul à ſinu Ambracio, quæ & Cephallenia dicitur. De hac intelligendum eſt illud Suetonij in Auguſto: Ab Actio cùm in Samum inſulam ſe in hyberna recepiſſet. Eſt enim hæc inſula breuiſsimo maris ſpatio ab Actio dirempta. Eodẽ ſpectat & illud Homeri, Odyſs. lib. 14.

Ἐν πορθμῷ τ' Ἰθάκης τε, Σάμοιό τε παιπαλοέσσης.

Eadem & Same (σάμη) aliquando appellatur, per primam nominum declinationem. Homerus loco iam citato:

Ὅσσοι γὰρ νήσοισιν ἐπικρατέουσιν ἄριστοι
Δουλιχίῳ τε, σάμῃ τε, καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

Vergil. 3. Aeneidos,

Iam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos,
Dulichiumq;, Sameq;, & Neritos ardua ſaxis.

Fuit

Fuit & Samos,ſiue Same,oppidi nomen in eadem inſula, à Romanis dirutum. Strabo lib.10. Quoniam cùm inſula ſit tetrapolis,id eſt,quatuor habeat urbes, ex ijs una eſt, quæ Samus,ſiue Same dicitur,utroq; uſitato uocabulo, ipſi etiã inſulæ cõmuni. Et paulò pòſt: De Cephallenia uerò,quæ eſt tetrapolis,id eſt,ciuitates habet quaternas,neque huius tẽporis nomine dixit, neq; ulla de ciuitate,una tantùm excepta,ſiue Same,ſiue Samo:quod oppidum hodie deletum prorſus eſt. Plin.libro 4.capite 12. Cephallenia quondam Melæna dicta, x I. M. paß.abeſt:circuitu patet x L I I I I. Same diruta à Romanis,adhuc tamẽ oppida tria habet. Ex his ſatis conſtat,uanam eſſe eorum differentiam,qui inſulã Samon,urbem uerò Samen dicendam contendunt. Samos Ioniæ inſula, præſtantißimis fictilibus olim fuit celebrata,quæ ab ea Vaſa Samia dicebãtur:unde eſt illud Auſonij:

Fama eſt,fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.

Samothráce,ſiue Samothrácia,(σαμοθράκη Stephano) inſula eſt maris Aegæi, Thraciæ adiacens ea in parte, qua Hebrus in mare influit. Olim Dardania dicta,à Dardano quodã Troiano,qui Palladiũ ſecum ferens, eò traditur confugiſſe. Verg.3.Aen.

Threïciamq; Samum, quæ nunc Samothracia fertur.

Sãgárius,(σαγγάριος Ptolemæo, et Straboni) fluuius Aſiæ alio nomine Coralius dictus,in Dindymo mõte naſcens, & per Phrygiam Bithyniamq; in Pontum illabens. Ouid. 4. de Ponto Sagarim appellat, ut ſuprà docuimus ſuo loco.

Sántones,ſiue Sántoni, (σάντονες) populi Galliæ Aquitanicæ, non longè à Toloſatium finibus. Luca. lib.1.

–*Gaudetq́; amoto Santonus hoſte.*

Hinc deducitur adiectiuum Santonicus,a, um. Iuuenalis Satyra ſexta,

Tempora Santonico uelas adoperta cucullo.

Sapis,(σάπις)*Flaminiæ fluuius, ſubter Senogalliam urbem Iſauro ſe coniungens.Lucan.lib.2.*

Cruſtumiumq́; rapax,& iunctus Sapis Iſauro.

Sappho,(σαπφώ)*inſignis Poëtria fuit, carminis inuentrix,quod ab ea Sapphicum appellatur. Ferunt nonnulli fuiſſe duas hoc nomine,quarum una Ereſia fuit, eodēq́; tempore floruit,quo Tarquinius Priſcus Romæ regnauit: qua tempeſtate Alcæus etiam & Terpſichorus claruerunt.Ea plectrū prima inuenit.Scripſit Lyricos modulos, Epigrāmata,Elegidia, Iambos, & Monodias.Altera Mytilenæa,longè iunior, cuius pulcherrimum opus ad amicum Phaonē extat. Scripſit & alia multa apud Græcos, ut meritò nona inter Lyricos poëtas anumeretur.De hac extat Antipatri Sidonij Diſtichon:*

Μνημμοσύνην ἕλε θάμβος, ὅτ' ἔκλυε τῆς μελιφώνου
Σαπφοῦς, μὴ δεκάταν μοῦσαν ἔχουσι βροτοί.

Id eſt, Mnemoſynem matrem muſarum cepit ſtupor,quādo audiuit dulciſonā Sappho: Nūquid decimā Muſam habent mortales? De huius morte memoriæ proditū eſt,quòd cùm à Phaone,quem miſerè deperibat,contemneretur,doloris impatiētia ex Leucade ſeſe in mare præcipitauerit. Extat hac de re Epiſtola Sapphûs ad Phaonem inter Ouidianas.

Sardanapâlus,(σαρδανάπαλος) *ultimus Aſſyriorum rex,et trigeſimus à Nino,omni libidinis mollitiæq́; genere effœminatiſſimus:adeò ut nō erubuerit inter ſcortorū greges nere, & muliebri habitu fœminas omnes laſciuia anteire.*

teire. Quamobrem indignum rati Aſſyrij tali fœminæ parêre, duce Arbace deſciſcentes, bellum Sardanapalo intulerunt. Qui uictus, in regiam ſe recepit, & extructa pyra, rebusq́; omnibus chariſſimis eò congeſtis, ſe ipſum unà cum regia combuſſit. Ouid. in Ibin,

Inq́; pyram tecum chariſſima corpora mittas
Quem finem uitæ Sardanapalus habet.

Eius epitaphiū refert Cic. lib. 5. Tuſcu. Quæſt. Quomodo igitur (inquit) iucunda uita poteſt eſſe, à qua abſit prudentia, abſit moderatio? ex quo Sardanapali opulentiſſimi Syriæ regis error agnoſcitur, qui incidi iuſſit in buſto,

Hæc habeo, quæ edi, quæq́; exaturata libido
Hauſit: at illa iacent: multa & præclara relicta.

Quid aliud, inquit Ariſtoteles, in bouis, non in regis ſepulcro inſcriberes? Hæc habere ſe mortuū dicit, quæ ne uiuus quidem diutius habebat, quàm fruebatur. Suidas refert in Nino monumentū habuiſſe, cui hæc fuerint inſcripta: Σαρδανάπαλος ὁ ἀνακυνδαράξου παῖς, ἀγχίαλομ, καὶ ταρσόμ ἐμ ἡμέρῃ μιῇ ἐδείματο. σὺ δὲ, ὦ ξένε, ἔσθιε, καὶ πίνε, καὶ παῖζε: ὡς τἄγε ἄλλα τὰ ἀνθρώπεια οὐκ ὄντα τούτου ἄξια. *Hoc eſt, Sardanapalus Anacyndaraxi filius, Anchialon & Tarſon uno die extruxit. tu autem ô hoſpes, ede, bibe, lude: cum quibus reliqua mortaliū omnia nō ſunt conferenda. Vide plura de hoc apud Iuſtinum libro 2. & Diodorum Siculum Bibliothecæ lib. 3.*

Sardinia, (σαρδὼ *Steph.*) *inſula eſt, teſte Salluſtio, in mari Liguſtico, à Corſicæ extremis nouem tantùm milium paſſuū freto dirempta, ab Auſtro Libyco mari abluta: ita dicta à Sardo Herculis filio (ſicut Strabo & Solinus ſcribunt) qui è Libya ueniens, cum multitudine colonorum, inſulam occupauit, mutatoq́; nomine Sardiniam appellauit,*

uit, cũ antea Sãdaliotis appellaretur, ab effigie ſoleæ, quã Græci σανδάλιον uocant: & Ichnuſa, à ſimilitudine ueſtigij, quod Græcè dicitur ἴχνος. Huius latitudo eſt milliũ paſſuum nonagintaocto, longitudo ducentorum uiginti: quanquàm alij ſtadia multa adijciant. Habet hæc inſula à Septentrione montes editiſſimos, qui prohibent quò minus à Borea poſſit perflari: quò fit ut aëris peſtilentiæ maximè ſit obnoxia. Quo nomine olim tã malè audiuit, ut M. Cicero Quintũ fratrem moneat, etiã tum cùm optimè ualeret, meminiſſe eum debere, in Sardinia ipſum eſſe: & alibi Tigellium quendam Sardum hominem eſſe ait patria ſua peſtilentiorem. Martialis quoq; Sardiniam Tyburi, tãquam ſaluberrimo loco peſtilentiſſimum opponit.

Nullo (inquit) fata loco poſſis excludere: cùm mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia eſt.

Mirum, in ea inſula neq; lupũ gigni, neq; ſerpentẽ reperiri. Habet ciuitates multas: ſed omniũ præclariſſima Calaris eſt, Auſtrum ſpectans, qua in parte Sardinia ad Libycum mare pertingit. Huius inſulæ incolæ Sardi, (σαρδοὶ, σαρδῷοι) dicuntur, qui ob inſignem uilitatẽ nequitiamq; in prouerbium abierunt.

Sardis, ium, (σάρδις) urbs Lydiæ inſignis, ad Tmoli montis latus ſita, Crœſi olim regia. Horat lib. 1. Epiſt.

Quid concinna Samos? quid Crœſi regia Sardis?

Sarmátia, (σαρματία, ἢ σαυρομα τία) regio eſt latiſſima, ab ipſis Germaniæ finibus, & Viſtula amne in Hircaniam uſque extenſa: cuius incolæ Sarmatæ, ſiue Græco nomine Sauromatæ, (σαρμάται, ἢ σαυρομάται) dicuntur. Sunt autem duæ Sarmatiæ, Tanaide fluuio diuiſæ: quarum quæ Occaſum ſpectat, Europæa: quæ Ortum, Aſiatica cognominatur. Habet autem Sarmatia Europæa à Septentrione, O-

ceani

ceani partem, quē Sarmaticum ab ea appellamus: ab Occaſu Germaniæ partem & Viſtulam amnem: à Meridie Iazygas Metanaſtas: ab Ortu uero (ut iam diximus) Sarmatiam Aſiaticam, & Tanain fluuium. Quem tractum hodie tenent, quos Polonos, Ruthenos, & Tartaros appellamus. Sarmatia Aſiatica ab ortu Hyrcania terminatur: à Septentrione terra incognita: ab Occaſu Sarmatia Europæa, & Tanaide fluuio: à Meridie uerò Ponti Euxini parte. Habet autem utraq; populos efferatiſſimos, partim mōtes, & ſaltus incolētes: partim plauſtris pro domibus utentes, qui inde Hamaxobij dicuntur: partim rapto uiuētes, ſanguineq́; equino cum lacte commiſto inediam tolerantes. Martialis in Amphitheatro Domitiani:

Venit & epoto Sarmata paſtus equo.

Sarnus, (σάρνος) fluuius Campaniæ, in Sarno monte naſcens, inter Pompeianum agrum, & Salernum, iuxta oppidum in Sarni montis radicibus poſitum. Vergilius 7. Aeneidos,

Sarraſteis populos, & quæ rigat æquora Sarnus.

Sarpédon, (σαρπηδών) Iouis filius ex Laodamia Bellerophontis filia, ut eſt autor Homerus 16. Iliad. aut ut Herodotus tradit in Polymneia, eiuſdem Iouis filius ex Europa, & frater Minois. Hic cùm Lyciæ rex eſſet, & in armis ſtrenuus, Priamo ſuppetias tulit aduerſus Græcos: ubi cùm multa edidiſſet uirtutis ſuæ documenta, tandem à Patroclo eſt interfectus. Corpus autem eius Iouis iuſſu ab Apolline à medio pugnantium ſublatum eſt, & flumine ablutum, ambroſioq́; reſperſum liquore, ac regia indutum ueſte, ad ſepulturam ſuis reſtitutum. Vergilius 1. Aeneidos,

Sæuus ubi Aeacidæ telo iacet Hector, & ingens

Sarpe

Sarpedon,ubi tot Simois,&c.

Sarra,(*σαῤῥὰ*) *urbs inſignis Phœnices,una ex iis,quæ Tri polim efficiunt,poſtea Tyrus appellata. Inde oſtrum Sarranum,pro purpura Tyria. Verg.2.Georg.*

-Sarrano dormiat oſtro.

Sárſina,(*σάρσινα*) *uetus ciuitas in Aemylia, uberrimis paſcuis nobilitata.Silius lib.8.*

Vel raſtris laudande Camers,uel Sarſina diues
Lactis,&c.

Hanc nonnulli Plauti Poëtæ patriam faciunt,indeq; Sarſinatem dictum uolunt. Quanquam non deſunt ex eruditioribus,qui Farſinatem dicere malint.

Saſon,(*σάσωρ*) *inſula eſt inter Epirum & Brunduſium, quinq; ab utroq; millia paſſuum diſtans: ut ait Strabo libro 6.Eſt & fluuius in mare Adriaticum influens: de quo Silius:*

Adriaci fugite infauſtas Saſonis arenas.

Et alibi:

Expauit ſonitus tremefacto littore Saſo.

Satarchæ,(*σατάρχαι*) *populi in Scythia Europæa,iuxta Mæotidē:qui (ut Solinus refert) dānato auri, & argēti uſu,ſe à publica auaritia abdicarūt.Flaccus li.6. Argon.*

-Flaui crine Satarchæ.

Satículi, *populi Campaniæ, feris inurbanisq; moribus. Verg.7.Aeneid.*

-Amnisq; uadoſi
Accola Vulturni,pariterq; Saticulus aſper.

Sáturæ palus, *quæ & Pontina, iuxta Circeios fuit, XXIII.olim urbium locus,ut ex Mutiani ſententia tradit Plinius lib.3. cap.5.Hæc ad uiam uſque Appiam pertingebat,ubi & nauibus traiiciebatur, inter Appij Forum,*

rum, & Tarracinam. Verg. lib. 7.

-Queis Iuppiter Anxurus aruis
Præſidet, & uiridi gaudens Feronia luco:
Quà Saturæ iacet alta palus, geliduſq; per imas
Quærit iter ualles, atq; in mare conditur Vfens.

Saturnália, (κρόνια) *feſta ſeptē, ſeu quinq; dierum, menſe Decembri Saturno dicata, quibus Romani ſyntheſin ueſtem ſumebant, ſeruiſq; diſcumbentibus inſeruiebant: muneraq; ultro citroq; mitti, remittiq; ſolebant. Hinc Saturnalitius, a, um. Martial. lib. 5.*

Saturnalitiæ ligulam miſiſſe ſelibræ.

Saturnalitiæ nuces, apud eundem, lib. 6.

Satúrnia, (σατουρνία) *oppidum fuit Latij, à Saturno conditum. Ferunt enim Saturnum Iouem filium fugientem, naui in Italiam fuiſſe aduectum, Ianumq;, qui id temporis in Latio regnabat, agriculturam docuiſſe: eiuſq; beneficij memorem Ianum in partem regni eum ſuſcepiſſe: duoq; ab ijs oppida condita fuiſſe, quorum alterum à Iano Ianiculum, alterum à Saturno Saturniam appellarūt. Verg. 8. Aeneid.*

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Saturnus, (κρόνος) *Cœli & Veſtæ filius, qui Opim ſororem ſuam matrimonio ſibi coniunxit: & patri Cœlo uirilia execuit: ex quibus in mare abiectis, ſpumaq; agitatis, nata eſt Venus, quæ inde dicta eſt Aphrodite. Fratrem habuit Titanem maiorē natu, qui cùm parenti, uti par erat, ſuccedere deberet, animaduertens tamen matrem ſororeſq; in Saturnum proniores eſſe, iure ſuo illi ceßit, ea tamen lege, ne Saturnus prolem maſculam tolleret, ſed regnum ad ſuam ſtirpem rediret. Satùrnus igitur ex pacto*

ſto cum fratre inito, liberos ſuos maſculos, ubi primùm nati eſſent, deuorabat. Verùm cùm Ops *uno partu* Iouē *ac* Iunonem *edidiſſet,* Iunonem *quidem* Saturno *oſtendit,* Iouem *uerò clam nutriendum ablegauit : adhibitis interim* Corybantibus, *qui cymbalorum, tympanorumq́; pulſu obſtrepebant, ne pueri uagitus audiretur.* Saturno *autem, cùm ille puerum depoſceret, ut & ipſum deuoraret,* Ops *lapidem ei oſtendit pannis inuolutum, eumq́; partu illo à ſe editum ſimulabat : quem ille acceptum ſine mora deuorauit.* Poſt *hæc cùm &* Neptunum *illa peperiſſet, eum quoq; clam* Saturno *educandum curauit.* Tertio *deinde geminos enixa* Plutonem *&* Glaucam, Glaucam *rurſus* Saturno *oſtendit,* Plutonem *autem abſcondit.* Verùm *detecta tandem fraude, cùm* Titan *reſciuiſſet, fratri prolem maſculā eſſe, ſuosq́; ea ratione regni ſucceſſione pulſos eſſe, unà cum filijs, qui* Titani *à patre cognominabātur, bellum aduerſus* Saturnum *ſuſcepit : cuius exitus is fuit, ut uictoria potitus* Titan, Saturnum, Opemq́; *utriuſq; ſororem, in poteſtatem ſuam redactos, muro incluſerit: donec* Iupiter *adultus, deuictis* Titanibus *eos liberauit.* Poſt *hæc* Saturnus *cùm ex oraculo didiciſſet, fore, ut à filijs regno pelleretur, cùm ob hoc* Ioui *inſidias ſtrueret, ab eo regno pulſus, in* Italiam *profugit, ubi aliquandiu apud* Ianum *regem latitauit: unde ea pars* Italiæ Latium *dictum eſt.* Hoc *regnante ætatem auream fuiſſe fabulantur, terramq́; ſua ſponte expertem uomeris & aratri peperiſſe fruges, communesq́; id temporis & nullis diſtinctas limitibus agrorum poſſeßiones fuiſſe.* Verg. 6. Aeneidos,

> *Auguſtus* Cæſar, Diuûm *genus, aurea condet*
> *Secula, qui rurſus* Latio *regnata per arua*

Saturn

Saturno quondam.

Satúrium,*ſiue* Satureium,(*σατύριον Stephano, alijs σατύρειον*) *urbs fuit Calabriæ, non procul à Tarento.* Hinc *Satureianus,a,um.*Horat.1.Serm.Sat.6.

Me Satureiano uectari rure caballo.

Sátyri,(*σάτυροι*) *ſyluarũ numina habita ſunt, Syluanis, & Faunis ſimilima, humano capite,ſed cornuto, pedibus caprinis,toto corpore uilloſo, ſyluarum latebris gaudentia, laſciuia in primis, & in uenerem procliuia:unde & Satyri dicti putantur, à membro uirili, quod σάθην priſci Græci appellabant.* Verg.Eclog.5.

Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.

Saurómatæ,(*σαυρομάται*) *populi Septentrionales, qui & Sarmatæ dicuntur.quorũ alij Aſiatici ſunt,alij Europæi,Tanaide fluuio diſcreti:de quibus uide plura ſuprà in dictione Sarmata.*Iuuenal.Sat.2.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet,& glacialem
Oceanum,&c.

Scæa porta,(*σκαιὰ πύλη*) *urbis Troianæ porta fuit,fatali Laomedontis ſepulcro nobilitata:ita dicta (ut Grammaticis placet) quòd ad ſiniſtrum, hoc eſt, Occidentale urbis latus ſita eſſet. In Augurum enim diſciplina, quæ Ortum ſpectant, dextra:quæ Occaſum,ſiniſtra dicuntur. Strabo tamen lib.13.uidetur ſentire Scææ portæ nomen à Scæis Thraciæ populis ſumptum fuiſſe, cum quibus Troianos multa nomina communia habuiſſe oſtendit.* Verg.3.Aeneid.

–Et arentem Xanthi cognomine riuum
Agnoſco,Scææq; amplector limina portæ.

Scæua, *miles Cæſaris fortiſſimus fuit, qui apud Dyrrhachium, magna Pompeianorum ui oppugnatus, multisq;*

uulneribus acceptis, adduci tamen non potuit, ut caſtelli ſibi commiſsi cuſtodiam deſereret: ut latius deſcribit Lucanus *Pharſaliæ lib.* 5.

Scæuola, (σκαιόλας) Q. *Mutij cognomen fuit, inde tractum, quòd ex quo in* Porſenæ *caſtris dextram exuſsiſſet, eius loco ſiniſtra fuerit uſus.* σκαιὰν *enim* Græci *ſiniſtram uocant. Vnde* Scæuæ, *& per diminutionem* Scæuolæ *dicti ſunt, qui ſiniſtra dextræ loco uterentur. Vide plura de hoc ſuprà in dictione* Mutius.

Scamander, (σκάμανδρος) *fluuius* Troiæ, *ex* Ida *monte defluens, quem* Heſiodus θεῖον σκάμανδρον, *id eſt, diuinum* Scamandrum *appellat. Antea* Xanthus *dicebatur: quod & Homerus innuit, cùm eum ab hominibus quidem* Scamandrum, *à* Dijs *uerò* Xanthum *uocari ait, ſuo more uetuſtiorem appellationem* Dijs, *recentiorem hominibus aſsignans. In hoc fluuio ſponſæ iam nupturæ ſeſe abluebant,* Scamandrum *nominatim his uerbis inuocantes,* λάβε μου Σκάμανδρε τὴν παρθενίαν. *Qua occaſione uſus* Cimon *quidam* Athenienſis *cùm* Callirrhoës *generoſæ puellæ amore teneretur, quæ iam uiro deſponſata erat, in* Scamandri *uirgultis ſeſe occultauit, caputq́; arundine coronauit: cumq́; illa ex more lauaretur, carmenq́; ſolenne caneret,* Scamandrum, *ut uirginitatem ſuam acciperet, inuocans:* Cimon *è uirgultis proſiliens,* Ego uero *(inquit) accipio lubens: uirginemq́; in ripam ſuſtulit: ubi & uitium ei obtulit. Vide hac de re plura in* Epiſt. Aeſchinis. *Fuit &* Scamander *nomẽ filij* Hectoris *&* Andromaches, *quem tamen* Troiani Aſtyanacta, *hoc eſt, ciuitatis principem uocare maluerunt,* Hectoris *id honoris tribuentes, cuius uirtute* Ilium *nouem perpetuos annos fortiſsimè fuerat defenſum. Vide* Homerum 5. Iliad.

Scatin

Scatínia lex, *à Scatinio latore nomen accepit: qua præpoſteræ Veneris uſus coërcebatur.* Iuuenal. *Sat.* 2.

Quòd ſi uexantur leges, & iura, citari
Ante omnes debet Scatinia.

Schœneus, (σχοινεὺς) *rex fuit* Arcadiæ, *& pater* Atalantæ, *uxoris* Hippomenis, *quæ inde patronymico nomine Schœneïs à* Poëtis *appellatur.* Ouid. *Epiſt.* 15.

Vt tulit Hippomenes *Schœneïda præmia curſus, &c.*

Sciron, (σκείρων) *latro fuit inſignis, qui proximos* Megaris *ſcopulos inſidens, in uiatores prætereuntes nullo non crudelitatis genere ſæuiebat.* Hunc tandem *Theſeus dicitur occidiſſe, & oſſa eius in mare ſparſiſſe, quæ* Poëtæ *fabulantur in ſaxa quædam coaluiſſe, quæ à nomine eius Scironia dicuntur.* Ouid. 7. Metamor.

Tutus ad Alcathoën Lelegeïa mœnia limes
Compoſito Scirone patet.

Sunt autem Scironia ſaxa in Attica *regione, ſimul cum oppido eiuſdem nominis, non longè à* Megaris, *iuxta mare ita ſita, ut tranſitum non niſi anguſtiſſimum relinquant.* Hinc *Athenienſes uentum procelloſum, ab his locis flantem Scironem appellant, quoniam ſpirat à ſaxis, quæ Sciron latro incoluit.* Hic *paulò ab Argeſte deflexus eſſe dicitur, & à quibuſdam* Olympius *uocatur, ab alijs* Helleſpontius.

Scopas, (σκόπας) *inſignis marmoris ſcalpendi artifex, unus ex ijs, qui* Mauſoleum *cælauerunt.* Horat. 4. Carm. *Ode octaua,*

—Neq; tu peßima munerum
Ferres, diuite me, ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius *protulit, aut* Scopas,
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus.

Scórpius,ſiue Scórpio, (σκόρπιος) unum eſt ex XII. zodiaci ſignis, quod à Sole ſubitur pridie Idus Octobris. Oritur autem eodem tempore, quo Orion occidit. Qui Aſtronomicum poëticum conſcripſerunt, hunc eum uolunt fuiſſe Scorpium, qui Orionem interemit, cùm ille iuuenili robore ferox nullam eſſe feram iactitaſſet, quam ipſe conficere non poſſet. Quam hominis iactantiã ægerrimè ferens Tellus, in perniciem eius ſcorpium protulit, qui infixo aculeo eum interemit. Hunc autem Scorpium à Ioue ideò inter aſtra relatum uolunt, ut mortalibus documẽto eſſet, ne ſuis plus æquo uiribus fiderent. Vide Hyginum lib. 2. de Signis Cœleſtibus.

Scylla, (σκύλλα) filia fuit Niſi, regis Megarenſium, quæ Minois paterni hoſtis amore capta, ut illum ſibi beneficio aliquo demereret, patrem purpureo capillo, in quo ſitum erat regni totius fatum, ſpoliauit, eumq́; hoſti obtulit, tanquam futuri coniugij dotem. Verùm cùm ſe ab illo ſperni uideret, doloris impatientia in Cirim auem commutata eſt: Niſus autem in aliam auem ſui nominis: quæ ueluti tantæ adhuc impietatis pœnas à filia repetens, etiamnunc eam ubiq; inſectatur. Vide latius hanc fabulam apud Ouidium libro 8. Metamorph. Fuit & altera Scylla, Phorci filia, quæ cũ mutuo Glauci amore teneretur, indignata Circe, quæ Glaucũ miſerè deperibat, Scyllam ſibi ab illo præferri, fontẽ in quo illa lauari ſolebat, noxijs herbis ueneficijsq́; infecit. Cuius rei illa ignara, cùm lauandi gratia fontem ingreſſa eſſet, uidet inferiorem corporis partem in caninos rictus eſſe commutatam: quam deformitatem tantopere exhorruit, ut ſeſe ſtatim in uicinum præcipitauerit fretum: ubi & in ſaxum mutata fingitur, Charybdi ex aduerſo obiectum, præternauigantibus uehementer

ter periculoſum. Vide hæc fuſius apud Ouidiū, decimo-quarto Metamorph.

Scyllacêum, (σκυλλάκειον) oppidum fuit in finibus Calabriæ, cuius meminit Strabo lib. 6. Georg. Verg. 3. Aen. abiecto altero l, primam ſyllabam corripuit, cùm ait,

Caulonisq; arces, & nauifragum Scylaceum.

Scyros, (σκῦρος) inſula eſt contra Magneſiam, in mari Aegæo, una ex Cycladibus, Lycomedis regis patria: in qua Achilles puellari habitu educatus, Deidamiam regis filiam uitiauit, & ex ea Pyrrhum ſuſcepit, quæ ab hac inſula & ipſa Scyrias eſt appellata. Ouid. lib. 1. de Arte amandi:

Scyrias Aemonio uicta puella uiro.

Hinc Scyrius, a, um, (σκύριος.) Ouidius Epiſt. 8.

Sæpe malis ſtupeo, rerumq; oblita, lociq;,
Ignara tetigi Scyria membra manu.

Scythia, (σκυθία) regio Septētrionalis latiſſima, in duas diuiſa partes, Europæam, & Aſiaticam: quarū Europæa à Tanaïdis ripis per Mæotidis & Ponti Euxini littora, uſq; ad Iſtri oſtia expanditur. Aſiatica à limitibus oppoſitorum littorum in orientem procurrit, Oceano à Septētrione, à Meridie Tauro terminata. Vtriuſque uariæ ac propè innumeræ ſunt gentes, ad bella magis, quàm ad ullum humanitatis ſtudium appoſitæ. Vicinis inter ſe fines ulli: neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla, aut tectum, aut ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Vxores liberosq; ſecum in plauſtris uehunt, quibus imbrium, hyemisq; cauſa corio tectis, pro domibus utuntur. Iuſtitia gē tis ingenijs culta, non legibus. Nullum ſcelus apud eos furto grauius. Quippe ſine tecto, & munimento pecora, &

armenta habentibus quid ſaluum eſſet, ſi furari liceret? Aurum, & argentum perinde aſpernãtur, ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle veſcuntur. Lanæ ijs uſus, ac ueſtium ignotus. Dicta eſt autem Scythia (ut eſt autor Herodotus lib. 4.) à Scythe quodam Herculis ex muliere ſemiuipera filio, fratre Geloni, & Agathyrſi, qui primus arcus ſagittarumq; uſum creditur inueniſſe: quibus Scythæ ſemper plurimum ualuerunt. Lucan. lib. 3.

-Tinxere ſagittas
Errantes Scythiæ populi.

Scython, onis, (σκύθων) *uiri neſcio cuius nomẽ, quẽ Poëtæ fabulantur pro ſuo arbitrio modò in fœminam ſeſe cõmutaſſe, modò rurſus in uirilem formam rediſſe. Ouid. libro 4. Metamorph.*

Quid loquar, ut quondam naturæ iure nouato
Ambiguus fuerit modò uir, modò fœmina Scython.

Scythotaúri, (σκυθόταυροι) *populi Scythiæ, Tauricæ regionis iuga incolentes, qui (ut Solinus refert) pro hoſtijs aduenas cædere conſueuerant. Meminit horum & Plin. libro 4. cap. 12.*

Sebéthos, (σέβηθος) *fons apud Neapolim, cuius aqua uicatim decurrẽs, amnis ferè uſum Neapolitanis præſtat. Papinius lib. 1. Syluarum,*

-Et pulchra tumeat Sebethos alumna.

Selînis, (σελίνις) *urbs Siciliæ iuxta Lilybæum, palmis abũdans. Vergil. 3. Aeneid.*

Teq; datis linquo uentis palmoſa Selinis.

Selînus, untis, (σελινοῦς) *duorum fluuiorum nomen in Aſia, qui in mare influentes Dianæ Epheſiæ templum utrinq; complectuntur. Vide Plin. lib. 5. cap. 29. Eſt & Selînus alius in Aegiorum agro, qui eſt in Achaia propriè dicta.*

cta. Item alius in Elide. Rurſus alius in Sicilia, iuxta Megara & Hyblam montem: quorum omnium meminit Strabo libro octauo.

Sémele, (σεμέλη) Cadmi Thebarum regis filia, ex qua Iupiter Bacchum genuit; teſte Horatio primo Carm. Ode 19.

Mater ſæua Cupidinum,
Thebanæq; iubet me Semeles puer;
Et laſciua licentia
Finitis animum reddere amoribus.

Ouid. 3. de Arte:

Non mihi ueniſtis Semele, Ledéue docendæ.

Hinc Semeleius, a, um. Ouid. 5. Metamor.

Delius in coruo, proles Semeleia capro, &c.

Semíramis, (Σεμιράμις) Aſſyriorum regina, Nini regis uxor, mulierum omnium, quarum memoria ad nos peruenit, clariſsima, quæ poſt uiri obitũ, quòd intelligeret Aſſyrios grauatè mulieris imperium paſſuros, diſsimulato illius obitu, perſonam eius aſſumpſit, donec Ninus filius adoleſceret, regnoq; adminiſtrando idoneus fieret. Hæc et Babylonem muro lateritio cinxiſſe dicitur, & ſubactis uicinis regni ſui terminos latiſsimè propagaſſe. Verùm eadem tam portentoſæ libidinis fuiſſe traditur, ut & filij concubitum expetierit, & equum uſq; ad coitum adamaſſe dicatur. De hac memoriæ prodidit Valerius li. 9. ca. 3. cùm aliquando circa corporis cultum occupatæ defectio Babylonis nuntiata eſſet, ſoluta adhuc altera capillorum parte, protinus ad eam expugnãdam accurriſſe, nec prius comam in ordinem redegiſſe, quàm tantam urbem in ſuã reſtituiſſet poteſtatem. Ouid. lib. 1. Eleg.

Qualiter in thalamos formoſa Semiramis iſſe
Dicitur.

Séneca,(σενεκᾶς)natione Hiſpanus fuit, patria Corduben ſis, Academicus Philoſophus, & Neronis præceptor: à quo diuitijs ingentibus auctus, cùm in Piſonianæ coniurationis ſuſpicionem ueniſſet, eiuſdẽ iuſſu inciſis uenis mortem obijt. Fuit & alter Seneca, Tragicus Poëta, cuius fabulæ decem ad nos peruenerunt. Vtriuſq; meminit Sidonius Apollinaris ad Felicem:

Non quòd Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hîc putes legendum.
Quorum unus colit hiſpidum Platona,
Incaſſumq; ſuum monet Neronem.
Orcheſtram canit alter Euripidis,
Pictum fæcibus Aeſchylum ſecutus,
Aut plauſtris ſolitus ſonare Theſpim.
Qui poſt pulpita trita ſub cothurno
Ducebat olidæ patrem capellæ.

Senogállia,(σενογαλλία) ciuitas eſt agri Gallici, infra Picenum, teſte Plin. libr. 3. cap. 14. dicta à Senonibus Gallis, qui eam condiderunt: unde & Senam Gallicam nonnulli appellarunt. Hanc intelligit Silius ſic ſcribens libr. 8.

Et Glanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Sénones,(σένονες) Galliæ Celticæ populi, Sequanis finitimi, qui Brenno duce in Italiam irruperunt, Romanosq; ad Alliam fluuium ſibi occurrentes, ingenti clade profligarunt, indeq; Romam properantes, urbem defenſoribus uacuam nullo negotio ceperunt, captamq; incenderunt: Capitoliumq; ipſum, quò ſeſe iuuentus, ueluti in arcem, receperat, obſederunt: eoq; anguſtiæ obſeſſos redegerunt, ut ſuã urbisq; ſalutem auro redimere ſint coacti. Verùm cùm in pendendo auro ſe immoderatius gererent, Brennusq; ponderi etiam gladij capulũ adijceret, interim ador

tus

tus à tergo Camillus, ad internecionem eos cecîdit. Lu*canus libro primo,*

Nos *primi* Senonum *motus,Cimbrumq́; ruentem*
Vi*dimus,&c.*

Séquani,(*σηκόυανοι* Stephano) populi *ſunt* Galliæ, He*duis,*Lingonibus,*&* Heluetijs *finitimi : à* Sequana *fluuio, qui apud eos oritur,nomen ſortiti.*Horũ *loca hodie tenent* Burgundiones,*gens origine Germanica, quemadmodum &* Franci, *qui traiecto* Rheno *in* Galliam *irruperunt,pulſisq́; prioribus incolis, ſedes eorum inuaſerunt.* Hinc *fit adiectiuum* Sequanus,*a,um.*Luca.*lib.*1.

Optima *gens flexis in gyrum* Sequana *frænis.*

Item Sequanicus,*a,um.*Mart.*lib.*13.

Hanc *tibi* Sequanicæ *pinguem textricis alumnam,&c.*

Séquana(*σηκουάνα*) *fluuius* Galliæ *nobiliſſimus,* Lutetiã Pariſiorum *mediam interſecans,unaq́; cum* Matrona Belgas *à* Celtis *diuidens.*Hic Sequanis *populis,apud quos oritur,nomen creditur feciſſe.*

Serápis,(*σέραπις,*)*deus* Aegyptiorũ,*ſub bouis figura coli ſolitus,qui &* Apis *dicitur,&* Oſiris.*Mart.libro* 9.

–Non *illum mille cataſtæ*
Vincebant,*nec quæ turba* Serapin *amat.*

Idem:

Iſæum Serapin Nilus *ueneratur* Oſtrin.

Vide *de hoc plura in dictionibus* Apis,*&* Oſtris.

Seres,(*σῆρες*)*populi* Scythiæ Aſiaticæ, *à* Sera *urbe ſic dicti, apud quos arbores ſunt, lanam in frondibus ferentes tenuißimam, ex qua ueſtimenta conficiunt, quæ* Serica *nuncupantur.*Verg.2.*Georg.*

Velleraq́; *ut folijs depectant tenuia* Seres.

Sériphus,(*σέριφος*)*inſula eſt exigua in mari* Aegæo, *u-*

na Cycladũ,uiginti nõ amplius paſſuũ millia diſtans à Delo:ut refert Plinius lib. 4.capite 12.Iuuenal.Sat.10.

Vt Gyaræ clauſus ſcopulis,paruaq́; Seripho.

In hac inſula ranæ prorſus mutæ eſſe traduntur: unde prouerbialiter Seriphia rana,(βάτραχος ἐκ σερίφου)dicitur,in homines mutos, ac dicendi canẽdiq́; prorſus imperitos. Vide Plinium lib.8.cap.58.

Seſoſtris,(σεσώστρις)*Aegyptiorum rex,Mœridis ſucceſſor qui ſubactis maris rubri accolis,alueũ nauigabilẽ conatus eſt ducere ex Nilo in mare rubrum. Idem & Colchos & Getas creditur ſubegiſſe, regionesq́; omnes à ſe ſubactas trophæis inſigniuiſſe, quorum aliquot ſe uidiſſe teſtatur Herodot.muliebri pudẽdo inſculpta. Valer.Flaccus 5.Argon.*

-Cùm prima Seſoſtris
Intulerit rex bella Getis.

Seſtos,(σηστὸς)*urbs in littore Thracio, ab Abydo Aſiæ urbe Heleſpõti anguſtijs dirẽpta, Leãdri et Erûs amorib⁹ nobilitata.Hinc Erò ipſa Seſtias appellatur.Statius 6.Theb.*

Contrà autem fruſtra ſedit anxia turre,ſupremis
Seſtias in ſcopulis.

Sétia,(σητία) *urbs Campaniæ, non procul à Tarracina, uino generoſo nobilitata, quod ab eo Setinum appellatur. Martia.lib.13.*

Pendula Pontinos quæ ſpectat Setia campos,
Exigua uetulos miſit ab urbe cados.

Sibylla,(σίβυλλα)*nomen eſt commume mulieribus omnibus fatidicis,quæ Sibyllæ dicũtur,quaſi θεόβουλαι, hoc eſt, diuinorum conſiliorum conſciæ. σιοὺς enim deos uocant Aeoles: βουλὴν autem omnes Græci dicunt, quod nos ſententiam,ſiue conſilium.*

Sibyll

Sibyllas autē decem fuiſſe ſcribit Varro. Prima fuit Perſica, ſecunda Libyca, tertia Delphica, quarta Cumæa, quinta Erythræa, ſexta Samia, ſeptima Helleſpontiaca, octaua Phrygia, nona Tyburtina, nomine Albunea, decima Cumana, nomine Amalthea, quæ Sibyllinorum librorum autor creditur extitiſſe: de quorum origine ſic ſcribit Gellius libro 1. capite 19. Anum quandam ignotam, quæ Sibylla Cumana credita fuit, ad Tarquinium Priſcum regem nouem libros attuliſſe, ac pro eis trecentos popoſciſſe Philippeos, regeq; aſpernante pretij magnitudinem, in conſpectu eius tres libros exuſſiſſe, & pro reliquis idē pretiū poſtulaſſe: cūq; à rege uelut delira irrideretur, tres præterea alios combuſſiſſe, nihilóque minus pretij pro tribus petijſſe: regèq; tandē mulieris cōſtantia cōmotū, tres illos libros trecentis Philippeis comparaſſe, iuſſiſſeq; in Capitolio religioſiſſimè adſeruari, & de rebus dubijs, à Quindecimuiris, uelut oraculum conſuli. Hos libros Stilico, cùm aduerſus Honorium, & Arcadium principes defectionem moliretur, exuſſit. De quo Rutilius:

Ne tantum patrijs ſæuiret proditor armis,
Sancta Sibyllinæ fata cremauit opis.

Sicambri, (σίκαμβροι) *populi Germaniæ, Menapijs finitimi, utramq; Rheni ripam incolentes, flauos natura habentes capillos, quos in humeros uſq; olim promittebant, & artificio quodam intorquebant. Martial. lib. 1.*

Crinibus in nodum tortis uenere Sicambri.

Eruditi eos eſſe iudicant, quos hodie Geldrenſes uocamus: quanquàm uidentur olim latiores fuiſſe Sicambrorum, quàm hodie ſint Geldrenſium, termini.

Sicáni, (σικανοὶ) *populi origine Hiſpani, Sicoris fluuij olim accolæ, qui relictis ſedibus ſuis, Sicano duce, in Italiā*

ſe contu

ſe contulerunt, pulſisq́; Aboriginibus Latium *occupauerunt: ipſiq́; poſtea ab ipſis pulſi, quos antè pepulerant, inſulam uicinam* Italiæ *occupauerunt, & eam Sicaniam à ſuo nomine nuncupauerunt.* Vide Seruium in illud Verg. 7. Aeneidos,

> Auruncæq́; *manus,* Rutuli, *ueteresq́;* Sicani.

Sichæus, (σιχαῖος) *filius fuit* Pliſthenis Phœnicis, *ſacerdos* Herculis, *& maritus* Didûs, *Phœnicum omnium locupletiſsimus, cuius theſauris inhians* Pygmalion, *uxoris eius frater, ſacrificijs intentum, nihilq́; tale expectantem interfecit.* Verg. 1. Aen.

> *Huic coniux Sichæus erat, ditiſsimus agri*
> *Phœnicum, magno miſeræ dilectus amore.*
> *Cui pater intactam dederat, primisq́; iugarat*
> *Ominibus: ſed regna Tyri germanus habebat*
> *Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes:*
> *Quos inter medius uenit furor: ille Sichæum*
> *Impius ante aras, atq; auri cæcus amore*
> *Clàm ferro incautum ſuperat, &c.*

Sicilia, æ, (σικελία) *Tyrrheni maris inſula, à* Thucydide *Sicania dicta, frumenti adeò ferax, ut non immeritò olim* Romani *imperij horreũ fuerit appellata.* Hæc *olim agro* Brutio *creditur adhæſiſſe, poſteaq́; impetu maris auulſa fuiſſe: indeq́; extremũ agri* Brutij *oppidũ* Rhegyũ *appellatum eſſe* ἀπὸ τοῦ ῥηγνύναι, quod *eſt abrumpere.* Quin & *inſula ipſa inde nomẽ creditur traxiſſe, quaſi* Sicilita, *id eſt, reſecta.* Verg. lib. 3. Aeneid.

> *Hæc loca ui quondam, & uaſta conuulſa ruina*
> *(Tantum æui longinqua ualet mutare uetuſtas)*
> *Diſsiluiſſe ferunt, cùm protinus utraq; tellus*
> *Vna foret.*

Eadem

Eadem & Triquetra à quibuſdam appellatur, à figura triangulari. Item Trinacria, à tribus promontorijs, quorum quod in Meridiē uergit, Pachynū appellant: alterum Pelorum, quod ad Septentrionē ſpectat, & ab Italia mille quingentis paßibus diſtat: tertium Lilybeum Carthaginē maximè ſpectans, & ab Aphricæ littoribus C X X. *milibus paſſuum diſtans. Hæc ab Oriente, & Occidente, Septentrioneq́; Tyrrheno mari, à Meridie Aphrico alluitur. Patet in longitudinem à Peloro uſque ad Pachynum, milia paſſuum centum octogintaſeptem, in latitudine centum octogintanouem: in circuitu autem* D C X V I I I. *ut ex Agrippæ ſententia tradit Plinius.*

Sicyon, *(σικύων) urbs Achaïæ propriè dictæ, non procul ab iſthmo Peloponneſiaco, metallicis olim officinis & copioſo olearum prouentu in primis nobilitata. Ouidius in Ibin:*

Aut, ut oliuifera quondam Sicyone profectο, &c.

Sicoris, *(σίκορις) Hiſpaniæ Tarraconenſis fluuius, non longè ab Ilerda fluens, iuxta quem Cæſar Afranium & Petreium, Pompeianos duces, ſiti ad deditionem compulit. Lucan. lib. 4.*

Heſperios inter Sicoris non ultimus amnis.

Sidon, *(σιδὼν) urbs inſignis Phœnices, ad mare ſita, ab ijs, qui mediterranea incolebant, condita: qui cùm perpetuis uexarentur terræmotibus, relictis ſuis ſedibus, nouam urbem ad mare poſuerunt, quam à piſcium ubertate ſua lingua Sidona uocauerunt. Hinc Sidonius, a, um, antepenul. indifferente. Nam apud Græcos, teſte Stephano, indifferenter σιδώνιος ſcribitur per ω magnum, aut σιδόνιος, per ο paruum. Verg. 1. Aeneid.*

Obſtupuit primo aſpectu Sidonia Dido.

Et

Et paulò pòſt,

Sidoniaſq; oſtentat opes.

Sigálion, (σιγαλιῶν) ſimulacrũ erat apud Aegyptios in ſacris Iſidis & Serapidis, quod digito labijs impreſſo, ſilẽtiũ imperare uidebatur: unde & nomẽ accepit, ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, quod eſt ſilere. Alio nomine Harpocratẽ appellabãt. Vide plura de hoc ſuprà in dictione Harpocrates.

Sigêum, (σίγειον) promontorium & oppidum Troadis, Aiacis ſepulcro nobilitatum. Dictum σίγειον, ut quidam uolunt, ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, hoc eſt, à ſilendo, eò quòd Hercules præmio ſuo à Laomedonte fraudatus, diſsimulato diſceſſu, ibi ſe occultarit, indeq; ſilentio magno reuerſus, urbem repentè adortus, ceperit. Alij per antiphraſin Sigeum dictum putant, quòd nullum ibi unquam ſit ſilentium, aquis ſe perpetuò magno cum murmure ſaxis illidentibus. Hinc Sigêus, a, um, & Sigeïus, per quatuor ſyllabas. Verg. 2. Aeneid.

-Iam proximus ardet
Vcalegon: Sigea igni freta lata relucent.

Ouid. 13. Metamorph.

-Sigeïa toruo
Littora proſpexit uultu.

Sígnia, (σιγνία) Latij oppidum fuit, in cuius agro uinum naſcebatur mirè auſterum, ideoq; uentris profluuio ſedando utile: à loco Signinum appellatum. Martialis lib. decimotertio.

Potabis liquidum Signina morantia uentrem:
Ne nimium ſiſtant, ſit tibi parca ſitis.

Sílarus, (σίλαρος) Italiæ fluuius Picentinos diuidens à Lucanis, cuius ea fertur eſſe natura, ut uirgulta, & folia in ipſum decidentia lapideſcant: quod & à Plinio memo-

rie

riæ proditum eſt lib.2.cap.103. Silius lib.8.

Nunc Silarus quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt
Duritiem lapidis merſis inoleſcere ramis.

A Lucano lib.2. Siler appellatur.

-Radenſq; Salerni
Tecta Siler.

Silênus, (σειληνὸς) Bacchi nutritius fuit, & pædagogus, ſemper aſino uehi ſolitus: quem Aratus in gratiam alumni inter ſidera translatum dicit. Verg.6. Eclog.

-Chromis, & Mnaſylus in antro
Silenum pueri ſomno uidere iacentem,
Inflatum heſterno uenas, ut ſemper, Iaccho.

Símois, entis, (σιμόεις) fluuius eſt Troadis, qui ex Ida monte naſcens, labitur per campum Troianum, qui ab eo dicitur Simoëſius, & mari appropinquans, commiſcetur Xantho, ac in paludem cogitur, deinde exit in Helleſpontum iuxta Sigeum promontorium. In fluminis huius ripis Venus Aeneam dicitur eſſe enixa. Verg.1. Aeneid.

Túne ille Aeneas, quem Dardanio Anchiſe
Edidit alma Venus rapidi Simoëntis ad undam?

Sinon, (σίνων) filius fuit Siſyphi, & nepos Autolyci furis, qui cum Vlyſſe ad bellum Troianum profectus, cùm Græci decimo demũ anno diffidentes Iliũ ui capi poſſe, ad dolum proditionemq; confugerent, omnium maximè idoneus uiſus eſt, cui ob ingenij aſtutiam fallendorum Troianorum, equiq; aperiendi negotium imponeretur. Quare cùm Græci fugam ſimulantes, in Tenedum inſulam ſe ſe recepiſſent, Sinon egreßis urbe Troianis ultro ſe capiendum obtulit, ſimulans ſuorum ſe manus effugiſſe, cùm ab illis ad ſacrificiũ quæreretur. Deinde de equo illo ligneo interrogatus, donum illud Mineruæ eſſe ſimulat,

eiuſm

eiuſmodi præditum fato, ut intra mœnia à Troianis receptum ſummã illis felicitatem, & cõtrà uiolatum, perniciẽ exitiumq́; toti urbi afferret. Quæ cùm temere à Troianis *credita eßẽt, equus muris dirutis (maior enim erat, quàm ut portis recipi poſſet) fruſtra reclamãtibus* Laocoonte *&* Caſſandra, *in urbem eſt pertractus.* Sinon *quoque doli omnis architectus, perbenignè à* Troianis *eſt acceptus: qui proxima nocte cùm* Troianos *uino ſomnoq́; altius oppreſſos, & tantùm non ſepultos uideret, equi aluum aperit,* Græcosq́; *incluſos emittit: qui protinus cæſis uigilibus, ſuis iam à* Tenedo *regreßis portas aperiunt, urbemq́; hoſtilem ferro flammaq́; crudelißimè euertunt: ut latius narrat* Aeneas *apud* Vergilium *libro ſecundo* Aeneidos.

Sinópe, (σινώπη) *urbs* Ponti, *in colle peninſulæ cuiuſdam ſita, ex utraq; iſthmi parte portus & ſtationes habens, olim etiam frequenti gymnaſio, & rubricæ genere, quam* Sinopicã *uocant, clarißima.* Sinopem *(inquit* Strabo *lib.12.) urbium, quæ in* Ponto *ſunt, clarißimam,* Mileſij *condidere: quæ claſſe comparata, mari, quod intra* Cyaneas *eſt, imperauit.* Extra *uerò multorum certaminum particeps fuit cum* Græcis *: & cùm libera fuiſſet, tandem amiſſa libertate,* Pharnaci *obtemperauit, (fuit enim obſidione capta) poſteaq́; ſucceſſoribus eius uſque ad* Eupatorem, & Romanos, *qui illum ſuſtulerunt.* Hinc *deducitur gentile* Sinopeus, (σινωπεὺς) *per tres ſyllabas.* Ouid.1.de Ponto,

Non doluit patria Cynicus procul eſſe Sinopeus.

Sinueſſa, (σινύεσσα) *oppidũ (teſte* Plin.*lib.3.cap.5.) noui* Latij *extremum, non procul à* Liri *fluuio, olim* Sinope *appellatum, teſte* Liuio *lib.10.ab urbe: cuius ager* Sinueſſan

nueſſanus dictus eſt, copioſum apricis in ſaxis uinum gignens. Horat. lib. 1. Epiſt.

Vina bibes iterum Tauro diffuſa, paluſtres
Inter Minturnas, Sinueſſanumq; petrinum.

Sipûs, untis, (σιπποῦς) urbs Apuliæ, iuxta Garganum montem, à Diomode condita, primumq; propter multitudinem ſepiarum, quæ eo in littore capiuntur, Sepiûs appellata, teſte Strabone lib. 6. Lucan. lib. 4.

–Et ſubdita Sipûs
Montibus.

Sípylus, (σίπυλος) urbs Phrygiæ, quæ regnante Tantalo terræmotu concidit. Ouid. 6. Metamor.

Tum cùm Mœoniam uirgo, Sipylumq; colebat.

Sirênes, (σειρῆνες) monſtra marina, Poëtarum fabulis celebrata, ſuperiore ſui parte uirginis effigiem referentia, inferiore uerò in piſcis caudam deſinentia. Hæ tres fuiſſe finguntur, Acheloï fluuij, & Calliopes Nymphæ filiæ, quarum nomina fuerunt Parthenope, Ligia, & Leucoſia. Hæ cùm littus Siculum incolerẽt, nautas præternauigantes ſuauitate cãtus in naufragium pelliciebant. Vlyſſes autẽ, cùm illac ipſi iter eſſet, ſociorum aures cera obturauit, ſeipſum uerò malo nauis iuſſit alligari: eoq; modo periculum tutus euaſit. Sirenes itaq; cùm ſe contemni uiderent, impatientia doloris ſe præcipitauerunt in mare: ut latius refertur ab Homero libro 12. Odyſſ. Ouidius libr. 5. Metamorph. fabulatur, has fuiſſe comites Proſerpinæ, eamq; raptam diu quæſiſſe, eaq; non inuenta, doloris impatientia in monſtra marina eſſe conuerſas, ſuperiore corporis parte uirgineam formam, inferiore piſces referentia: uoce autem, cithara, & tibijs tam blandè canentia, ut præternauigantes ſopirent, ſopitos

demergerent,demerſos etiam deuorarent. Ver.5. *Aeneid.*

Iamq; adeo ſcopulos Sirenum aduecta ſubibat
Difficiles quondam,multorumq; oßibus albos.

Sirius,(σείριος) *ſtella eſt in ore Canis,quæ à Latinis Canicula dicitur.* Hyginus *tamen in* Tractatu *de* Signis *cœleſtibus,Sirium diuerſum facit à* Canicula,*neq; in ore Canis,ſed in capite eius collocat.* Hæc *in cœli centro cum Sole coniuncta, æſtum eius duplicat, mortaliumq; corpora nimio calore languida reddit.* Dictus *Sirius,ut quidam uolunt,*ἀπὸ τοῦ σειραίνειν,*hoc eſt, à ſiccando,propterea quòd & fluuios & fontes nimio calore exiccet:ut alij,* ἀπὸ τοῦ σειροῦν, *hoc eſt,ab euacuando, quòd corpora noſtra ſudoribus euacuet.* Lucan.*lib.*10.

-R*apidus quà Sirius ignes*
E*xerit.*

S*tatius lib.*1.*Syluarum,*

-N*ec calido latrauit Sirius aſtro.*

S*eruius enarrans illud* V*erg.*10.Aeneidos,

N*on ſecus ac liquida ſi quando nocte cometæ*
S*anguinei lugubre rubent,aut Sirius ardor.*

S*irius inquit, ſtella eſt in ore* Canis:*quæ quantum in ipſa eſt,peſtifera eſt,ſed pro qualitate adiacentium aut uincitur,aut maioribus utitur uiribus.*Hinc *eſt,quòd cùm tempore certo oriatur,non ſemper eſt noxia.* Ad *hanc ſtellã* S*ol menſe* Iulio *ueniens duplicatur æſtus, & præ nimio calore languent mortalia corpora.* Qu*um & Solẽ ipſum quidam Sirium,& aſtra omnia Siria appellarunt:ut annotauit Suidas, cuius uerba ſunt hæc :* Σείριον τὸν κύνα οἵτε δὲ καὶ τὸν ἥλιον, Ἴβυκος δὲ πάντα τὰ ἄστρα σείρια λέγει. Hoc *eſt, Sirium* Canem, *quidam* Solem:Ibycus *autem omnia aſtra Siria appellat.*

Siſyph

Siſyphus,(σίσυφος) *Aeoli filius fuit, mortalium omniū ſuæ ætatis aſtutiſsimus, qui cùm Atticam latrocinijs infeſtaret, à Theſeo occiſus eſt. Hunc Poëtæ fabulantur eo ſupplicij genere apud inferos plecti, ut ſaxum ingens in montis cuiuſdam uerticem cogatur prouoluere: quod cùm ad ſummum penè extulerit, repentè deorſum relabitur. Ouid. lib. 3. Metamorph.*

Aut petis, aut urges rediturum Siſyphe ſaxum.

Huc etiam reſpexit Verg. lib. 6. Aeneid.

Saxum ingens uoluunt alij, radijsq; rotarum
Diſtricti pendent.

Fuit & alius Siſyphus Corinthiorum rex, cui Merope Atlantis filia nupſit. Ouid. 4. Faſtor.

Septima mortali Merope tibi Siſyphe nupſit.

Hinc Siſyphius, a, um. Idem 13. Metamor.

- Quid ſanguine cretus
Siſyphio, furtisq;, & fraude ſimillimus illi,
Inſeris Aeacidis alienæ nomina gentis?

Sithónia,(σιθονία) *pars Thraciæ eſt, teſte Plinio lib. 4. cap. 11. quæ ab Hæmo monte auerſa, uergit in Pontum Euxinum. Herodotus uerò libr. 7. Sithoniam regionem in ora maritima Macedoniæ collocat, ad ſinū Thermæum: eiusq; urbes facit Toronam, Sermylam, Mecybernam, & Olynthum. Poëtæ autem Sithoniam pro ipſa Thracia ferè accipiunt: unde Sithonias niues frequenter legimus, pro altiſsimis Thraciæ niuibus. Verg. 10. Eclog.*

Sithoniasq; niues hyemis ſubeamus aquoſæ.

Smílax, (σμίλαξ) *puella fuit formoſiſsima, quæ Croci pueri amore capta, cùm ab eo ſperneretur, mutata eſt in fruticem ſui nominis, hederæ non diſsimilem, aut certè in eius flores, candore odoreq; lilium referentes. Ouidius 4.*

Metamorphoſeos,

Et Crocon in paruos uerſum cum Smilace flores.

Smyrna,(σμύρνα) *urbs Ioniæ clariſsima, Milete amne irrigata, Homeri (ut plurimi credunt) patria: qui inde à Poëtis paßim Smyrnæus cognominatur. Lucan. lib. 9.*

Quantum Smyrnæi durabunt uatis honores.

Sócrates,(σωκράτης) *Philoſophus fuit Athenienſis, Sophronici ſtatuarij, & Phanaretæ obſtetricis filius, Apollinis oraculo omnium ſapientißimus iudicatus. Vxores eodem tempore duas habuit, Myrto, Ariſtidis Iuſti filiã, & Xanthippen mulierem moleſtißimam, quæ ipſo cum diſcipulis diſſerente menſam non rarò ſubuertit. Naturalem Philoſophiam omnium primus in moralem tranſtulit, identidem inculcans, quæ ſupra nos ſunt, nihil ad nos pertinere. Accuſatus tandem ab Anyto quodam diuite, & Melito Poëta, & Lycone Oratore, quòd de Dijs malè ſentiret, iuuentutemq; præpoſtera Venere corrumperet: cùm à iudicibus de more interrogaretur, quánam potißimùm pœna ſe dignũ cenſeret, Vt, inquit, in Prytaneo alar ex publico. Qua eius uoce iritati iudices, capitis eũ damnauerunt, & ad bibendam cicutam compulerũt: qua ille intrepidè accepta, & nõ alio quàm quo uinum ſolet, uultu exhauſta, ſupremum uitæ diem clauſit. De hoc intelligendum eſt illud Perſij:*

-Barbatum hoc crede magiſtrum

Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ.

Solon,(σόλων) *unus ex ſeptem ſapientibus Græciæ, patria Salaminius, qui Athenis claruit, Tarquinio Priſco Romæ regnante, ut eſt autor Gellius lib. 17. cap. 21. Hic Athenienſibus leges dedit, tanto temperamento compoſitas, ut parem gratiam à Senatu & plebe inierit: qui duo*

Reipub. ordines irreconciliabili propemodum odio diſsidebant. Draconis autem leges (ijs exceptis, quæ in homicidas pœnas ſtatuebant) quòd iuſto atrociores uiderentur, omnes abrogauit. Illis enim in omnia ſcelera æqualis pœna ſtatuta erat, adeò ut etiam ij, qui otij damnati eſſent, aut qui olera ſurripuiſſent, capite plecterentur. Ob quam cauſam Demades dicere ſolebat, Draconem non atramento, ſed ſanguine leges ſcripſiſſe. Florebat tunc in Republica Piſiſtratus æmulus Solonis, cui & genere propinquus erat. Illius igitur eloquentia plus potuit apud populum, quàm huius ſapientia. Ceſsit ſponte Solon, tyrannũ fugiens, primùm in Aegyptũ, deinde in Cyprũ, poſtremò ad Crœſum regem: qui cùm opes ſuas ei oſtentaret, rogaretq́; nunquem ſeſe feliciorem iudicaret, reſpondit, Tellum quendam pauperem admodum, alioqui iuſtum, Athenis agentem: qui in ſuo prædiolo conſenuerat, eius limites nunquam egreſſus. Fieri tamen poſſe, ut & Crœſus ipſe olim inter felicißimos numeraretur. Cæterùm ante ſupremum uitæ diem neminem beatum eſſe iudicandum. Qua ſententia nihil uerius eſſe, Crœſus poſtea re ipſa eſt expertus. Nam cùm Cyro Perſarum, & Medorum regi bellum inferret, acie uictus, uiuus in hoſtis poteſtatem peruenit. Quo tempore pyræ impoſitus, ut uiuus exureretur, ſalubre Solonis conſilium dicitur agnouiſſe, eiusq; nomen in ſupremo illo uitæ diſcrimine ſæpius inclamaſſe. Quo audito, Cyrus ex ſuis miſit, qui cognoſcerēt, quiſnam eſſet deorum hominúmue, quem ille ſummo in periculo ſolum inuocaret: remq́; totã edoctus, memor & ipſe humanæ uiciſsitudinis, Crœſum ab incendio liberauit, ſummoq́; quoad uixit, in honore penes ſe habuit. Deceſsit autem Solon in Cypro inſula, annos na-

tus L X X X.*mandauitq́; oſſa Salaminem transferri, ibiq́; per regionem proijci ac diſsipari, ne Athenas inferrentur: quoniam diſcedens iureiurando ciues adegerat, non antiquaturos leges ſuas, donec rediret.* Reliquit *etiam conciones & epiſtolas quaſdam.* Epigramma *ſepulcro eius inſcriptum* Cicero *in hanc ſententiam commemorat* Tuſc.Quæſt.*lib.*1.

Mors mea ne careat fletu: linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum lacrymis.

Ex Plutarcho & Diogene Laërtio.

Sólymi, rum, (σόλυμοι) *populi Aſiæ,* Lycijs & Piſidis *proximi, à* Bellerophonte *ſubacti, poſtea* Milyæ *appellati: ut docet* Strabo *lib.*1.& 14. Plinius *eoſdem facit cum* Piſidis, *lib.*5.*cap.*27. *Inſident (inquit) uerticem* Piſidæ, *quondam* Solymi *appellati. Alij* Solymos *eoſdem fuiſſe cum* Lycijs *aſſerunt: quorum tamen ſententia cum* Homero *non ſatis conuenit, qui* Bellerophontē *à* Lyciorum *rege miſſum ait ad ſubiugandos* Solymos.

Sólyma, æ, *uel* Solyma, rum, (σόλυμα) *urbs clariſsima* Iudææ, *quæ poſtea addito templo* Hieroſolyma *dicta eſt.* Inde Solymus, a, um. Iuuen.Sat.6.

Interpres legum Solymarum.

Sophéne, (σοφηνὴ) *regio eſt Aſiæ,* Armeniæ *maiori ab ea parte adiacens, quà uergit in* Comagenem, *iuxta* Antitaurum & Maſium *mōtes. Huius regionis incolæ* Sopheni *à* Plin. *ab alijs* Sophenæ *appellantur.* Luc.*lib.*2.Pharſaliæ:

—Et dedita ſacris
Incerti Iudæa *Dei, mollesq́;* Sophenæ.

Sóphocles, (σοφοκλῆς) Poëta Tragicus *fuit, patria* Athenienſis, *tāta orationis ſuauitate, ut uulgò* μέλιτ]α, *hoc eſt,* Apis *cognominaretur, æqualis* Euripidis, & Periclis,

cuius

cuius etiam quandoq; collega fuit in prætura. Natus fuit Olympiade LXXIII. *ante* Socratem *annis* XVII. Primus tribus actoribus uſus eſt, adiecto eo, qui uocatur Tritagoniſta, hoc eſt, tertiarum & ultimarum partium hiſtrio. Primus etiam Choros ex iuuenibus quindecim introduxit, cùm antea duodecim tantùm introducerentur. Primus quoque tragicas contentiones ac compoſitiones inſtituit. Scripſit inſuper Elegiam & Pæanas, atq; orationē proſam;, cùm de Choro aduerſus Theſpim & Chœrylum contenderet. Obijt autem ſexto anno poſt Euripidis mortem: cui ſtyli magnitudine præfertur, licet eius ſententijs inferior. Filios habuit Iophontem, Leoſthenem, Ariſtonē, Stephanum, Meneclidem. Exhibuit fabulas cētum uiginti tres, quanquam alij dicant multò plures. Victorias autem uiginti tres reportauit: quarum poſtrema cùm præter ſpem illi contigiſſet, repentino gaudio dicitur expiraſſe: ut eſt autor Valerius libr. 5. Hinc Sophoclêus, a, um, (σοφόκλει☉.) Vergil. 8. Eclog.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Sophron, (σώφρων) *Poëta fuit Syracuſanus, cuius ſcriptis* Platonem *uſqueadeo delectatum ferunt, ut etiam moriens capiti ea habuerit ſubiecta. Scripſit* Mimos *uiriles, & fœmineos, & alia quædam non contemnenda, ſed adeò implicita, ut à paucis intelligerentur. Statius lib. 5. Sylua.*

Sophronaq; implicitum, tenuisq; arcana Corinnæ.

Sora, æ, (σώρα) *oppidum Campaniæ, cuius meminit* Plin. *lib. 3. cap. 5. Iuuen. Satyr. 3.*

–Optima Soræ,

Aut Fabrateriæ domus, aut Fruſinone paratur.

Steph. Soram alteram collocat in Phœnice.

Soracte, is, *uel* Soractis, tis, (σωράκτης) *mons eſt Faliſcorum*

liſcorum, Apollini ſacer, circa quem fiebat ſacrificium annuum, in quo Hirpiæ familiæ ſuper ambuſtam lignorũ ſtruem ambulantes, non adurebantur: ut refert Plin. lib. 7. cap. 2. Verg. 11. Aeneid.

Summe deus, ſancti cuſtos Soractis Apollo.

Plin. lib. 31. cap. 2. Varro ad Soractem ſcripſit eſſe fontẽ, cuius ſit latitudo quatuor pedum, ſole oriente eum exundare feruenti ſimilem, aueſq́; quæ guſtauerint, iuxtà mortuas iacere. Neutro genere uſus eſt Silius Italicus lib. 8.

Et ſacrum Phœbo Soracte frequentant.

Soránus, (σωρανὸς) Ditis ſeu Plutonis cognomen: à uoce Græca σῶρος, quæ tumulum ſepulcralẽ ſignificat: uel à Sora oppido, ad Soractem montẽ ſito. Tradit enim Plin. libr. 2. cap. 93. eo in tractu tam peſtiferos ſpiritus exhalari, ut auibus ſint letales. Vnde uideri poteſt Pluto dictus eſſe Soranus non diſsimili ratione ab ea, qua Auernũ pro inferis Poëtæ acceperunt.

Sparta, tæ, (σπάρτη) Peloponneſi ciuitas nobiliſsima fuit, Lycurgi legibus optimè olim inſtituta, ita dicta à Sparto Phoronei filio, aut (ut alij malunt) à Sparta Eurotæ filia: cùm antea Lacedæmon diceretur. Verg. 3. Georg.

Veloces Spartæ catulos, acremq́; Moloſſum
Paſce ſero pingui.

Hinc Spartanus, a, um, (σπαρτιατικὸς) idem quod Lacedæmonius. Verg. 1. Aeneid.

Virginis os habitumq́; gerens, & uirginis arma
Spartanæ.

Spártacus, (σπάρτακος) gladiator nobilis fuit, ex Thracia oriundus, robore animi & corporis præſtans, qui unà cum Chyſo & Oenomao, effracto Lentuli ludo gladiatorio, cùm ſeptuaginta gladiatoribus erupit Capua, manuq́;

ſeruorum

ſeruorum congregata, quaſi iuſto exercitu comparato, Ceruesiũ montem in Campania occupauit, ubi cùm à Clodio Glabro obſideretur, eius caſtra diripuit, & Campaniam populatus, raptis Prætorum faſcibus appellatus eſt Imperator. Inde Lentuli exercitum in Apennino diſsipauit: apud Mutinam Caſsij caſtra deleuit. Tandem cùm de urbe inuadẽda deliberaret, à M. Craſſo pulſus, fugatusq́;, cùm Brutium angulum occupaſſet, nec in Siciliam præ nauium penuria traijcere potuiſſet, cum ſuis omnibus fortiſsimè dimicans, occiſus eſt. Lucan. lib. 2.

-Parthorum utinam poſt prælia ſoſpes,
Et Scythicis Craſſus uictor remeaſſet ab oris,
Vt ſimili cauſa caderes, qua Spartacus hoſtis.

Sperchîus, (σπερχειὸς) *fluuius Theſſaliæ, teſte Strabone lib. 8. qui Pelio monte effuſus, uelociſsimo curſu defluit in ſinum Maliacum. Lucan. libr. 6.*

-Ferit amne citato
Maliacas Sperchios aquas, &c.

Sphinx, gis, uel gos, (σφίγξ) *monſtrũ fuit ex Typhone & Echidna natum, ut tradit Hyginus Fabular. poët. capite 151. caput & faciem habens puellæ, alas uerò auium, reliquo corpore canis referens effigiem. Sedem habuiſſe dicitur in Sphintio monte iuxta Thebas, atq; inde in uiatores impetũ facere ſolitam. Qua de re cùm Apollo conſuleretur, non alium tanti mali finem eſſe reſpondit, quàm ſiquis Sphingis ænigma diſſoluiſſet. Id autem erat huiuſmodi, Quodnam id eſſet animal, quod manè quadrupes, meridie bipes, ueſperi tripes eſſet. Quod cùm plurimi id fruſtra conati diſſoluere, à ſphinge eſſent interempti, Creon, qui id temporis Thebanis imperabat, edicto per Græciam uniuerſam promulgato, Iocaſtam ſororẽ ſuam,*

Laij uiduam uxorem ſe ei daturũ pollicitus eſt, qui ſphingis ænigma diſſoluiſſet. Cuius rei fama excitus Oedipus, hunc in modũ ænigma eſt interpretatus, ita ut hominẽ eſſe diceret, qui in infantia manibus et pedibus repens uerius, q̃ incedens, quadrupes eſſet. Deinde in medio iuuẽtæ robore, nõ alio quàm pedũ adminiculo nitens, meritò ut eſt, bipes dici poſſet. ingraueſcente autem ætate, aſſumpto ſcipione, tripes deberet iudicari. Quam ænigmatis ſolutionẽ tã ægrè illa dicitur tuliſſe, ut protinus ſeſe de ſaxo præcipitãs, fregerit ceruices. Sed hæc fabuloſa eſſe cõſtat. Re uera enim Sphinges, teſte Diodoro. lib. 4. ex ſimiarũ genere ſunt, comis uilloſis, & mammis prominẽtibus, forma haud diſsimili ab ea, qua pingũtur, ſed paulò pinguiores: natura autem manſueta, pluribus exercitijs diſciplinisq́; apta. Palæphatus hãc fabulã ex Cadmi hiſtoria natã putat, qui cũ uxorẽ haberet nomine Sphingem ex Amazonũ genere, unà cũ ea Thebas peruẽnit: ubi occiſo Dracone rege, Thebarũ regnũ inuaſit: Harmoniãq́; inſuper Draconis ſororẽ matrimonio ſibi cõiunxit. Quã rẽ Sphingẽ tam ægrè tuliſſe ferunt, ut relicto uiro, cũ pleriſq́; eorũ, quos ſecum è patria adduxerat, Sphincium montem occuparit, indeq́; quotidianas in Thebanos fecerit excurſiones: donec Oedipus regis promiſsis excitus, montẽ noctu occupauit, Sphingemq́; nihil tale ſuſpicantem de medio ſuſtulit.

Spio, (σπειώ) *Nympha marina: Nerei & Doridos filia: ſic dicta à ſpeluncis, in quibus Nymphæ habitare dicuntur. σπέος enim ſpeluncam ſonat. Verg. 4. Georg.*

Niſeq́;, Spioq́;, Thaliaq́;, Cymodoceq́;.

Spórades, (σποράδες) *inſulæ quædam circa Cretã, in mari Carpathio: ſicut Strab. libro 10. ſcribit. Dictæ quòd in mari ſparſæ ſint, non in orbem coarctatæ, quemadmodum*

Cycla

Cyclades. Sunt autē harū nomina, Helene, Phocuſa, Phæ*caſta, Schinuſa*, Pholegadros, Thera, Anaphe, Aſtypa*læa,* Laguſa, *&* Ios, *in qua* Homerus *fertur eſſe ſepultus.*

Stérope, es, (ςεϱόπη Suidæ) *Atlantis filia, una* Pleiadum: *quæ Marti Oenomaum peperit, teſte* Hygino, Fabul poët. *cap.* 159. Ouid. 4. Faſtor.

Nam Steropen Marti concubuiſſe ferunt.

Stéropes, is, (ςεϱόπης) *unus ex* Vulcani *miniſtris, à fulmine nomen habens.* Verg. 8. Aeneid.

Brontesq́;, Steropesq́;, *& nudus membra* Pyracmon.

Stesíchorus, (ϛησίχοϱος) Poëta Lyricus *fuit, ex* Himera *Siciliæ urbe, à qua &* Himeræus *eſt cognominatus.* Steſi*chorus autem dictus eſt ab eo, quòd primus cum citharæ cantu chorum coniunxerit: nam uero nomine* Tiſias *dicebatur.* Hic *cū aliquando acerrimo carmine in* Helenam, *tanquam belli* Troiani *facem, eſſet inuectus, à* Caſtore *&* Polluce *luminibus dicitur fuiſſe orbatus, alioq́; rurſus carmine cātata palinodia uiſum recepiſſe.* Quam *fabulā tangit &* Horat. *in* Epod. *ad* Canidiam *ſic ſcribens.*

Infamis Helenæ *Caſtor offenſus uice,*
Fraterq́; magni Caſtoris, uicti prece
Adempta uati reddidere lumina.

Sthénelus, (σθένελος) *Capanei &* Euadnes *filius, unus ex Græcorum ducibus, qui bello* Troiano *interfuerunt.* Hunc Ver. 2. Aen. *inter eos annumerat, qui lignei equi aluo fuerunt incluſi.* Therſandus *(inquit)* Stheneluſq́; *duces, & dirus* Vlyſſes. Fuit *& alter* Sthenelus Perſei *filius ex* Andromeda, *cuius meminit* Homerus *lib.* 2. Iliad.

Sthenobœa, (σθενόβοια Suidæ) Prœti *Corinthiorū, aut, ut alij malunt,* Argiuorum *regis uxor, filia* Iobatæ *regis* Lyciorum, *quæ* Bellerophontis *amore capta, cum repul-*

ſam

ſam tuliſſet, apud uirum eum detulit, tanquam uim ſibi afferre uoluiſſet. Quam fabulam qui latius noſſe cupit, ui deat ſuprà in dictione Bellerophontes.

Sthenyo, (σθενυὼ) *fuit una ex filiabus* Phorci, *&* *belluæ marinæ*, Meduſæ *ſoror, &* Euryales: *de quibus latius egi mus ſuprà in dictione* Gorgones.

Stella Aruntius, *Poëta* Patauinus *lepidiſſimus, familia Cõ ſulari ortus.* Violantillam *amauit, puellam* Neapolitanam, *quam tandẽ duxit uxorem.* Hæc *in delicijs habuit columbam, auem dicatam* Veneri, *quam* Stella *defunctam pulcherrimo defleuit carmine: opusq́; ipſum columbam inſcripſit.* Marti. *libro* 12.

Laurigeros habitat facundus Stella *penates.*

Stentor, (στέντωρ) *Græcorum omnium uocaliſſimus, qui quinquaginta hominum clamorẽ uocis magnitudine adæquabat, ut placet* Homero 5. Iliad. Vnde Prouerb. *Stentore clamoſior.* Iuuen. *Satyr.* 13.

Tu miſer exclamas, ut Stentora uincere poſſis.

Stiphelus, (στίφελος) *unus ex* Centauris, Ixionis *&* Nubis *filius, à* Cæneo *interfectus ea in pugna, quæ in* Pirithoi *nuptijs commiſſa eſt inter* Lapithas *&* Centauros. Ouid. 12. Metamor.

Quinq́; neci Cæneus *dederat* Stiphelũq́, Bromũq́, *&c.*

Stœchades, (στοιχάδες) *inſulæ ſunt numero tres,* Maſſilienſium *littori uicinæ: ſic dictæ propter ordinem quo ſitæ ſunt.* Plin. *lib.* 3. *capite* 5. *Stœchades tres à uicinis* Maſſilienſibus *dictæ propter ordinem: quas item nominant ſingulis uocabulis,* Proten, *&* Meſen, *quæ &* Pomponiana *uocatur: tertia* Hypæa. Luca. *lib.* 3.

Et iam turrigeram Bruti *comitata carinam*
Venerat in fluctus Rhodani *cum gurgite claſſis*

Stœcha

Stœchados arua tenens.

Striges, (*στίγγοι*) *à ueteribus creditæ ſunt aues eſſe funeſtæ, infantium labris ubera ſua immulgentes, eoſdemq; ex cunis rapientes, ſanguinemq; omnem ijs exugentes: ita dictæ à ſtridore, quem noctu lugubrem edunt, & horrendim. Ouidius lib. 6. Faſtor.*

Sunt auidæ uolucres, non quæ Phineïa menſis
Guttura fraudabant: ſed genus inde trahunt.
Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ:
Canities pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte uolant, puerosq; petunt nutricis egentes.
Et uitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactentia uiſcera roſtro:
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis ſtrigibus nomen: ſed nominis huius
Cauſa, quòd horrenda ſtridere nocte ſolent.

Stróngyle, es, (*στρογγύλη*) *inſula eſt maris Tyrrheni, non procul à Sicilia, una Aeolidum, cuius incolæ triduo antè ex fumo prædicere ſolebant, quinam flaturi eſſent uenti: unde factus eſt locus fabulæ, ut Aeolus qui in hac inſula regnabat, uentorum rex crederetur. Dicta eſt autem Strongyle à rotunditate: nam Græci rotundum στρόγγυλον appellant. A Silio Italico li. 14. Strongylos appellatur,*

Mille Agathina dedit, perflataq; Strongylos Auſtris.

Strongyle item dicta fuit Aegæi maris inſula, una Cycladum, quæ notiore nomine Naxos appellatur. Vide eundem Plin. lib. 4. capite 12.

Stróphades, (*στροφάδες*) *duæ ſunt inſulæ in mari Ionio, ad occidentale latus Peloponneſi, quæ antea Plotæ dicebãtur. Strophades dictæ ἀπὸ τῆς στροφῆς, hoc eſt, à conuerſione Calais & Zethæ, qui ad has uſq; inſulas Harpyias perſecuti,*

ſecuti, inde retrorſum ſe conuerterunt. Verg. 3. Aen.

Seruatum ex undis Strophadum me littora primùm
Accipiunt: Strophades Graio ſunt nomine dictæ
Inſulæ Ionio in magno, quas dira Celæno
Harpyiæq; colunt aliæ.

Stróphius, (στρόφιος) *rex fuit Phocidis, & pater Pyladis, cuius beneficio Oreſtes matris ſuæ crudelitati eſt ereptus, & unà cum Pilade eius filio liberaliſſimè educatus: ut latius ſuprà docuimus in dictionibus Oreſtes, & Pylades.*

Strymon, (στρύμων) *fluuius eſt Macedoniã à Thracia diuidens, ut Plinio placet. Nam Ptolemæus Neſſo fluuio eas diſterminat. Oritur in Hæmo monte, ſeptemq; efficit lacus, quibus deinde in unum alueum collectis, iuxta Amphipolim influit in maris Aegæi ſinum, qui ab ipſo Strymonicus appellatur.* Verg. 4. Georg.

Rupe ſub aduerſa deſerti ad Strymonis amnem.

Inde Strymonius, nia, um: ut, Grues Strymoniæ. Idẽ 10. Aen.

- Quales ſub nubibus atris
Strymoniæ dant ſigna grues.

Stymphalus, (στύμφαλος) *oppidum eſt Arcadiæ, iuxta Stymphalidem lacum, ex quo Eraſinus fluuius erumpit.* Ouidius lib. 2. Faſtorum:

Teſtis erit Pholoë, teſtes Stymphalides undæ.

Ab hoc lacu Stymphalides aues appellatæ ſunt, quæ tãtæ magnitudinis fuiſſe dicũtur, ut Solis radios obũbrarent, omnẽq; Arcadiã deuaſtarent, donec ab Hercule ænei crepitaculi ſonitu pellerentur. Verg. de. Herculis ærumnis:

Stymphalidas pepulit uolucres diſcrimine quinto.

Styx, gis, (στύξ) *fons eſt ad Nonacrin Arcadiæ, è ſaxis profluens, exitioſus omnibus animalibus, tamq; frigidus,*

ut

ut potus ſtatim enecet, ferrumq́; ac æs erodat, ſolaq́; mulæ ungula poſsit contineri: cætera uaſa frigoris uehementia ſtatim dirumpens. Hoc ueneno quidam Alexandrum ab Antipatro ſublatum putant, non ſine Ariſtotelis conſilio. Poëtæ fabulantur Stygem paludem eſſe apud inferos, à ſuperis tanta in ueneratione habitam, ut nefas ducerent, quidquam eorum, quæ Styge teſte curaſſent, quouis modo uiolare. Siquis contrà feciſſet, totos centum annos diuinitate ſpoliatus, à nectare arcebatur. Verg. 6. Aeneidos,

Cocyti ſtagna alta uides, Stygiamq́; paludem,
Dij cuius iurare timent, & fallere numen.

Hinc Stygius, a, um: ut, Iupiter Stygius, pro Plutone, apud Vergil. 4. Aeneid.

Sacra Ioui Stygio, quæ ritè incepta paraui,
Perficere eſt animus.

Item Stygius canis, id eſt, Cerberus inferorum cuſtos. Seneca in Hercule furente:

Hic ſæuus umbras territat Stygius canis.

Suadêla, quæ & Suada, perſuaſionis dea, quæ à Græcis πειθὼ appellatur. Horat. lib. 1. Epiſt.

Et bene nummatum decorat Suadela, Venusq́;.

Subſolânus, (ἀπηλιώτης) uentus ſpirans ab ortu æquinoctiali, aduerſus Fauonium: ita dictus, quòd ſub Sole naſci uideatur: unde & Græci Apelioten appellarunt. Plin. lib. 2. cap. 47. Ab oriente æquinoctiali Subſolanus, ab Oriente brumali Vulturnus. Illum Apelioten, hunc Græci Eurum appellant.

Suburra, uicus Romæ, ut ex Iunij ſententia refert Varro libro 4. de Ling. Lat. ſic dictus ab eo, quòd ſitus ſit ſub loco, quem Terreum murum appellant. Verùm ego, inquit

(inquit Varro) potius à pago Succuſano puto dictam Succuſam, inde mutatis literis Suburram. Cuius rei indicium eſt, quòd antiquitus per c, literam, non per b, ſcribebatur. Feſtus uerò Verrium ſequutus, à ſuccurrendo dictam exiſtimat, quòd in ea ſtationem ſoleat habere præſidium ſtatiuum, ut Exquilijs ſuccurreret, Gabinis eam partem infeſtantibus. Vnde & ſuo ſeculo Succurranam tribum aſſerit per c, literam ſcribi ſolere, non Suburranam per b. Hinc uicina regio dicta eſt Suburrana, in qua meretricum diuerſoria erant, quæ ob id Suburranæ dicuntur à poëtis. Mart. lib. 6.

Famæ non nimium bonæ puellam
Quales in media ſedent Suburra,
Vendebat modò præco Gellianus.

Sueui, (σόυηβοι) bellicoſiſſimi Germaniæ populi, olim Albis, hodie Danubij accolæ, flauis inſignes capillis, quos & ferro olim criſpabant, & nodo ſubſtringebant. Luca. libro primo,

Fundat ab extremo flauos Aquilone Süeuos.

Sulmo, (σȣλμὼρ) oppidum Pelignorum, in quarta regione Italiæ, nonageſimo ab urbe diſtans lapide, Ouidij Poëtæ patria, ut ipſe teſtatur 4. Triſt. ſic ſcribens:

Sulmo mihi patria eſt, gelidis uberrimus undis,
Millia qui nouies diſtat ab urbe decem.

Dictus Sulmo, à Solymo Aeneæ comite, conditore eius urbis, ut teſtatur idem Ouid. 4. Faſtor.

Huius erat Solymus Phrygia comes unus ab Ida,
A' quo Sulmonis mœnia nomen habent.

Summanus, (ἅδης, ἀϊδωνεὺς) Pluto, deus inferorum, ita dictus, quaſi ſummus deorum Manium: ut in Nupt. Philologiæ docet Martianus. Huic Romani nocturna fulmina

mina aßignabant, quemadmodum diurna Ioui, teſte Plin. lib.2.cap.51. Ouid.6.Faſtor.

Reddita (quiſquis is eſt) Summano templa feruntur
Tum, cùm Romanis Pyrrhe timendus eras.

Suſa,orum, (*σοῦσα Ptolemæo*) *urbs nobiliſsima, inter Perſidem, & Babyloniam ſita, Perſarum olim regia, à Dario Hyſtaſpis, (ſi Plinio credimus) aut (ut Strab. placet) à Tithono Memnonis patre condita, trans Choaſpem fluuium: à cuius urbis nomine circumiecta regio dicta eſt Suſiana. In hac urbe fuit nobilis illa Cyri regia, è candido uarioq; marmore, columnis aureis, magnaq; gemmarum copia exornata, cœli in lacunaribus habens ſimulacrum, ſtellis micantibus inſignitum. Propertius lib.2.*

Non tot Achæmenijs armantur Suſa ſagittis.

Lucanus lib. primo,

Non tot Achæmenijs decurrunt Medica Suſis
Agmina.

Dicta autem putantur Suſa, à liliorum copia, quæ illorũ lingua Suſa dicuntur.

Sybaris, (*σύβαρις Stephano*) *Magnæ Græciæ oppidum, inter Crathin, & Sybarin amnes, ab Achiuis conditum, qui poſt Troiæ excidium ui tempeſtatis eò fuerunt appulſi. Huius olim tanta fuit potentia, ut quaternas proximas rexerit gentes, & uigintiquinq; urbes ſuo ſubdiderit imperio, & contra Crotoniatas trecenta hominum millia armarit. Autor Strabo lib.6. Eſt & Sybaris (ut iam diximus) fluuij nomen iuxta urbem eiuſdem nominis, à cuius potu incolæ ſubmouent greges, ſiue quòd pecora ſternutamentis exagitet, ut uiſum eſt Straboni: ſiue quòd uellera nigrore inficiat, cùm Crathis uicinus amnis candorem ijs inducat, ut tradit Plin. lib.31. cap.2. Eſt*

item Sybaris adoleſcentis nomen, apud Horatium *libro* 1. *Carminum* Ode 8.

Lydia dic, per omnes
Te deos oro, Sybarim cur properes amando
Perdere.

Sybaris urbis incolæ dicti ſunt Sybaritæ, (συβαρῖται) ingenioſißimi omnium uoluptatum architecti, omniq́; deliciarum genere adeò effœminati, ut Sybaritica menſa in prouerbiū abierit. Traditur hiſce fuiſſe conſuetudo, ut conuiuas in proximum annum inuitarent, ne ſpatium interim deeſſet, aut conuiuatori conquiſitis terra mariq́; delicijs epulas inſtruendi, aut conuiuis ipſis corpus auro, gemmisq́; exornandi. Hi *poſtremò aduerſus* Crotoniatas *bello ſuſcepto cùm trecenta hominum millia in aciem eduxiſſent, turpißimè tamen uicti, unaq́; cum urbe ſua ſunt deleti.* Hinc Sybaritis, *idis*, (συβαρῖτις.) *Ouidius* 2. *Triſt. ad Auguſtum:*

Nec qui compoſuit nuper Sibaritida, fugit.

Quo in loco Sybaritida uocat Ouidius, *opus* Hemitheonis *cuiuſdam cinædi de generibus uoluptatum, & obſcœnarum libidinum.*

Syéne, (συήνη) *urbs in confinibus* Aethiopiæ *atq;* Aegypti, *non procul à* Nilo, *ſupra* Alexandriam *uerſus meridiem quinq; millibus ſtadiorum, ſub tropico* Cancri *directè locata: unde Sole exiſtente in* Cancro, *medio ſolſtitij die, ſupra uerticem ciuitatis, nullam prorſus ibi corpora umbram iaciunt, ut eſt autor* Plin. *lib.* 2. *cap.* 73. Lucan. *libro ſecundo,*

–Vmbras nuſquam flectente Syene.

Syla, (σύλας) *mons* Lucaniæ, *ſyluam habens eiuſdem nominis, latrocinijs crebris infamem.* Vnde *& nomen ac-*

cepiſſe

cepiſſe uidetur, ἀπὸ τ͂ συλᾶν, quod eſt, prædari. Vergil. 12. Aeneidos,

Ac uelut ingenti Syla, ſummóue Taburno,
Cùm duo, &c.

Sylla, (σύλλας) Romanus nobilis fuit, teſte Salluſt. ex antiqua Scipionum familia originem ducens. Hic in adoleſcentia omnibus flagitijs inquinatam uitam egit uſq; ad Quæſturam, quam ſub Mario adeptus eſt, in qua uitam omnem penitus commutauit. Literis Græcis & Latinis bene eruditus fuit, facundus, acer, aſtutus, gloriæ cupidus, ſui ſecurus, pecuniæ maximus largitor, animo grandis: adeò ut de illo dubitari potuerit (inquit Salluſtius) fortiórne, an felicior eſſet. Miſſus à Mario ad Bocchum regem legatus, Iugurtham uinctum retulit. Deinde & Mithridatem Aſiam crudeliſsimè uaſtantem compeſcuit: ſocialis belli luctus repreſsit: Cinnæ dominationem fregit: & Marium, qui olim ſe Quæſtorem faſtidierat, ipſam illam prouinciam proſcriptum & exulem petere coëgit. Dictator deinde effectus, ita Rempub. oppreſsit, ut teſte Cicerone in Verrem, nemo illo inuito, nec bona, nec patriam, nec uitam retinere potuerit. poſtremò Repub. cōſtituta, Dictaturam depoſuit, & priuatus Puteolos conceſsit: ubi & pediculari morbo perijt. Hinc Syllanus, a, um. Lucan. lib. 1.

Sic & Syllanum ſolito tibi lambere ferrum
Durat, Magne, ſitis.

Syluânus, ſyluarum Deus, qui Cypariſſum puerum in delicijs habuiſſe dicitur, eundemq; in arborem ſui nominis, hoc eſt, in cupreſſum transformaſſe. Fabulantur enim poëtæ, Cypariſſum ceruam habuiſſe manſuefactam, eamq; unicè adamaſſe: quam cùm Syluanus imprudens oc-

cidiſſet, puer doloris impatientia contabuit. Cuius mortē ægrè ferens Syluanus, in arborem cupreſſum eum commutauit, quam amaſij deſiderio ſemper dicitur circunferre. Quidam Syluanum eundem eſſe putarunt cum Pane. Verg. tamen lib. 1. Georgic. manifeſtè eos diſtinguit. Nam cùm dixiſſet, Pan ouium cuſtos, &c. interiecta deinde Mineruæ, & Triptolemi mentione, ſubdit tandem,

Et teneram ab radice ferens Syluane cupreſſum.

Symæthus, *(σύμαιθος) fluuius Siciliæ, non longè ab Aetna, qui, ut ait Strabo lib. 6. agrum Catanæum irrigat. Hinc deducitur adiectiuum Symæthius, a, um. Verg. 9. Aeneidos,*

Eductum Martis luco Symæthia circum
Flumina.

Symplégades, *(συμπληγάδες) quæ & Cyaneæ, inſulæ duæ ſunt, ſiue potius ſcopuli, trans Boſphorum Thraciū, in ipſo Ponti Euxini oſtio, mille quingentis paßibus ab Europa diſtātes: tā modico autē inter ſe diſcretæ interuallo, ut ex aduerſo quidem intrantibus geminæ cernantur, paulum uerò deflexa acie, coëuntium ſpeciem præbeant. Quæ res occaſionem præbuit Poëtarum fabulis, qui eas olim inter ſe concurriſſe tradunt. Vnde & nomē acceperunt, ἀπὸ τοῦ συμπλήκεσθαι, hoc eſt, à concurrendo, ſeu conflictando. Ouid. 7. Metamor.*

Compreſſos utinam Symplegades eliſiſſent.

Syphax, acis, *(σύφαξ) Numidiæ rex fuit, qui cùm Scipioni per Lælium fuiſſet conciliatus, belliq; ſocietatem cum eo iniſſet, poſtea uiolata fide Annibali adhæſit. Tandem uictus à Maſiniſſa, uiuus in Scipionis manus perductus eſt, à quo in triumpho circunductus, & deinde in carcerem incluſus, inedia uitam finijt, regno eius Maſiniſſæ*

conceſſo

conceſſo. Claudian. de Bello Gildonico, Syphacem extulit media ſyllaba correpta:

-Haurire uenena

Compulimus durum Syphacem, fratremq; Metelli.

Alij tamen ferè omnes conſtanter producunt. Propertius libro tertio,

Annibalis ſpolia, & duri monumenta Syphacis.

Ouidius ſexto Faſtorum:

Poſtera lux melior: uincit Maſiniſſa Syphacem.

Syracûſæ, (συρακοῦσαι) ciuitas Siciliæ ampliſſima, ſub Pachyno monte ſita, ubi fons Arethuſa ab Alpheo (ut creditur) Elidis fluuio per ſubterraneos cuniculos means, magna aquarum ubertate erumpit. Cic. 6. Verr. ſcribit, Syracuſas urbem eſſe maximam Græcarum urbium, pulcherrimamq́;, quæ ex quatuor quaſi urbibus maximis conſtare uideatur, quarum una Inſula nominatur, altera Acradina, tertia Tyche, à nobili Fortunæ templo, in ea extructo: quarta Neapolis. Hinc Syracuſius, a, um, uel abiecta uocali ſubiunctiua Syracoſius, (συρακόσιος.) Ouid. in Ibin:

Vtq; Syracoſio præſtricta fauce Poetæ,

Sic animæ laqueo ſit uia clauſa tuæ.

Syria, (συρία) regio Aſiæ, quæ ab Oriente fluuio Euphrate, ab Occidente noſtro mari, & Aegypto terminatur, à Septentrione habens Ciliciam, & partem Cappadociæ, à meridie Arabiam: cuius inſignes ciuitates (ut lib. 5. refert Ptolem.) ſunt Laodicea, Hierapolis, Antiochia, Apamea, Palmyra, Heliopolis, Ptolemais, Sidon, Tyrus, Berytus, Botrys, Tripolis, Byblus, Seleucia, Cæſarea, & Damaſcus: Montes clari, Carmelus, Caſius, Libanus: Fluuij, Euphrates, Chryſorrhoas, Singas: Regiones, Phœni-

ce, Paleſtina, Iudæa, Idumæa, Comagena, Samaria, & Syria Cœle. Sunt qui quadripertitam faciunt diuiſionē, in Syros, Aßyrios, Leucoſyros, & Cœloſyros. Plin.lib. 5.cap. 12. Meſopotamiam quoq; & Babyloniam Syriæ attribuit: totiusq; Syriæ partem facit Aßyriam. Multi confundunt, ut Herodotus, qui Syros à Græcis dictos, Aſſyrios à Barbaris dici ſcribit, & illis Chaldæos adnumerat. Acron quoq; & Porphyrio, inſignes grammatici, apud Horatium, eam, quæ nunc Syria dicitur, detracta ſyllaba, olim Aſſyriam dictam ſcribunt. Huius regionis incolæ Syri dicti ſunt, qui olim aſtutiæ nomine malè audierunt, quemadmodum & Phœnices. Hinc factus eſt locus prouerbio, Σύροι πρὸς φοίνικας, hoc eſt, Syri aduerſus Phœnices: quo utimur, quoties ſignificare uolumus, duos egregie aſtutos hoc agere, ut dolis ſe mutuò circumueniant. Ex Syria maximi uænalitiorum greges Romam aduehebantur, quos oneribus baiulandis, & cæteris id genus ſordidioribus munijs præficiebant. Iuuenalis Sat. 6.

Quàm quæ longorum fertur ceruice Syrorum.

Syrinx, gis, (σύριγξ) *Nympha fuit Arcadica, una Naïadum, quæ cùm uim Panos alioqui effugere non poſſet, inuocato ſororum numine, in calamos paluſtres eſt mutata. Ouid. 1. Metamorph.*

Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas
Naïas una fuit: Nymphæ Syringa uocabant.

Syrtes, tiū, (σύρτεις) *duo ſunt ſinus periculoſißimi, in mari Libyco, quà Africam propriè dictam alluit: quorum alter, qui Carthagini propinquior eſt (minorem Syrtim uocant) CCC. M. paſſuum ambitum habet. Alter, qui in Cyrenaicam uergit, maior Syrtis dicitur: habetq; circuitum*

DCX

DCXXXV.M. *paſ. Vtraq; Syrtis nauigantibus eſt periculoſiſsima, quòd mare ibi uadoſum ſit, arenæ uehens cumulos, qui loci faciem uiciſsim immutant, dorſaq; & breuia in alia, atq; alia loca transferunt.* Lucan. *lib.* 1.

Reppulit *à* Libycis *immenſum Syrtibus æquor.*

Syrtium harum naturam ſic deſcribit Salluſt. in Iugurth. Duo *ſunt ſinus propè in extrema Africa, impares magnitudine, pares tamen natura, quorum proxima terris perlata ſunt, cæterùm uti ſors tulit, alta, aliâs tempeſtate uadoſa.* Nam *ubi mare magnum eſſe & uentis ſæuire cœpit, limum, arenamq; & ſaxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum uentis ſimul mutatur.* Hæc *Salluſt. Sunt & in terra Syrtes in eadem Africa, uento arenas excitante, & proxima quæq; operiente. Vnde Solinus autor eſt, ijs in locis, quamuis terra iter facientes, curſum ſideribus regere.* Nam *arenarum cumuli uento agitati locorum faciem mutant: & quemadmodum in mari, nũc aggere ſublimia faciunt, quæ prius deſidebant, nunc uallibus profunda, quæ prius excelſa erant, deniq; procellarum ritu arenæ exagitantur, Syrtimq; faciunt terreſtrem, paris cum illis æquoreis periculi.* Parum *enim refert, undiſne an arena quis obruatur.* Hæc *Solinus.*

T

TAburnus, (*τάβουρνον*) *mons Campaniæ, oliuetis abundans.* Vergil. 2. *Georg.*

-Iuuat I*ſmara* B*accho*

Conſerere, atq; olea magnum ueſtire T*aburnum.*

Tænarus, ri, *ſiue* Tænara, orum, (*ταίναρον*) *promontorium eſt* L*aconicæ regionis, circa medium meridionalis lateris* Peloponneſi, *quàm longiſsimè in mare procurrẽs, oppidũ habens eiuſdem nominis.* Ταίναρον (*inquit*

Suidas) ἀκρωτήριον Λακωνικῆς, ἐν ᾧ στόμιον ἦν κατάγον εἰς ἅδου, ἔνθα καὶ Ποσειδῶνος ἱερὸν ἀσφαλίου, ἐκεῖσε δὲ τοὺς εἵλωτας ἱκέτας καθεσθέντας ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ποσειδῶνος οὐδὲν δείσαντες ἀνεῖλον οἱ Λακεδαιμόνιοι: id eſt, Tænarum promontorium Laconiæ, in quo fauces erant ad inferos deducentes, ubi & Neptuni præſidis templum: illic ſupplicãtes in ſacello Neptuni Helotes nihil ueriti Lacedæmonij interfecerunt. Circa Tænarum antrum oſtendebatur, per quod Herculem ab inferis rediſſe Poëtæ fabulati ſunt, Cerberumq́; uinctum ad ſuperos traxiſſe. Vulgoq́; creditum eſt, eas inferorum eſſe fauces. Ver. 4. Geor.

Tænarias etiam fauces, alta oſtia Ditis.

Ibidem marmor Laconicum effodiebatur, coloris uiridis, quod & à loco Tænarium cognominatur. Propertius libro ſecundo,

Quòd non Tænarijs domus eſt mihi fulta columnis.

Táges, is, (τάγης) filius Genij, teſte Feſto, & nepos Iouis, qui adhuc puer XII. Hetruriæ populos haruſpicinam traditur docuiſſe. De hoc Cic. libr. 2. De diuin. ſcribit ad hunc modum: Tages quidam dicitur in agro Tarquinieñſi, cùm terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus, extitiſſe repentè, & eum affatus eſſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris eſt Hetruſcorum, puerili ſpecie dicitur uiſus, ſed ſenili fuiſſe prudentia. Eius aſpectu cùm obſtupuiſſet bubulcus, clamoremq́; maiorem cum admiratione ediđiſſet, concurſum eſſe factum, totamq́; breui tempore in eum locum Hetruriam conueniſſe, tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia eius uerba exceperint, literisq́; mandauerint: omnem autem orationem fuiſſe eã, qua haruſpicinæ diſciplina contineretur: eam poſtea creuiſſe rebus nouis cognoſcendis, & ad eadem illa principia

pia referendis. Hactenus Cice. *Ouid. lib. 15. Metam.*

Indigenæ dixere Tagem, *qui primus* Hetruſcam
Edocuit *gentem caſus aperire futuros, &c.*

Tagus, (τάγος) *Luſitaniæ fluuius eſt, aureas uoluens arenas.* Iuuenalis Sat. 5.

Quod Tagus & *rutila* Pactôlus *uoluit arena.*

Circa hunc fluuium (ſi Plinio *credimus) equæ in* Fauoniũ *obuerſæ concipiunt, equoſq; ita gignunt perniciſſimos, ſed tertium ætatis annum non excedentes.*

Talthybius, (ταλθύβιος) *præco fuit in* Græcorum *exercitu ad* Troiam, *teſte* Homero 1. Iliad. *qui unà cum* Eurybate *ab* Agamemnone *miſſus eſt ad* Achillis *caſtra, ut* Briſeidem *ab eo abduceret.* Ouid. *in* Epiſt. Briſeid. *ad* Achil.

Nam *ſimul* Eurybates *me,* Talthybiuſq; *uocarunt,*
Eurybati *data ſum,* Talthybioq; *comes.*

Tánagrus, *ſiue* Tánager, (τάναγρος) *fluuius eſt* Lucaniæ, *quæ eſt regio* Italiæ *inter* Picentinos & Brutios. Verg. 3. Georg.

–Et *ſicci ripa* Tanagri.

Tánais, (τάναϊς) *fluuius* Scythiæ, *Aſiam diuidens ab* Europa, *à* Septentrione *in* Meridiem *fluens,* Nilo *aduerſus, ut inquit* Strabo lib. 11. *paulò tamen* Orientalior, *per* Scythas & Sarmatas *in* Mæotim *defluens.* De *hoc* Lucan. *libro tertio,*

–Quà *uertice lapſus*
Rhiphæo Tanais *diuerſi nomina mundi*
Impoſuit *ripis,* Aſiæq; & *terminus idem*
Europæ *mediæ dirimens confinia terræ, &c.*

Tántalus, (τάνταλος) Iouis *ex* Plote *nympha filius fuit,* Agamemnonis & Menelai *auus, qui ab eo* Tantalidæ *dicti ſunt.* Hic *cùm deos conuiuio excepiſſet, ut eorũ diuini*-

tatem experiretur, Pelopem *filium membratim diſcerptum, coctũq; ijs appoſuit comedẽdum. Illi uerò à nephandis epulis abſtinuere omnes, una* Cerere *excepta, quæ pueri humerum deuorauit: pro quo illi* Dij *eburneum reſtituerunt, reuocataq; per* Mercurium *ab inferis anima,* Pelopi *uitam reddiderunt.* Patrem *uerò tanti ſceleris autorem ad inferos detruſerunt, ubi perpetua fame & ſiti torquetur,* Eridani *fluuij aquis, quibus mento tenus dicitur immerſus, & pomis, quæ capiti eius imminent, captationem eius fugientibus.* Quam *fabulã mythologici de auaris interpretantur, qui bonis partis frui non audent.* Horat. *libro* 1. Serm. Satyr. 1.

> Tantalus *à labris ſitiens fugientia captat*
> Flumina. *quid rides? mutato nomine, de te*
> Fabula *narratur. congeſtis undiq; ſaccis*
> Indormis *inhians, & tanquam parcere ſacris*
> Cogeris, *aut pictis tanquam gaudere tabellis.*

Hinc *deducuntur* Tantalides, *dæ, patronymicũ maſculinum, &* Tantalis, *idis, patronymicũ fœmininum.* Ouid. *in* Epiſt. Hermiones *ad* Oreſtem:

> Aut *ego* Tantalidæ Tantalis *uxor ero.*

Taprobáne, (*ταπροβάνη*) *inſula eſt omnium, quæ ueteribus cognitæ fuerunt, maxima, à* Colaico Indiæ *promontorio in* Auſtrum *quatridui nauigatione recedens, in qua* Septentriones *negant cõſpici poſſe.* Lucet *ibi* Canopos, *ſidus clarũ & amplißimũ.* Homines *corporũ magnitudine alios antecellũt, cæruleis oculis, atroci uiſu, terrifico ſono uocis.* Viuũt *ultra annos centũ.* Naſcũtur *in ea berylli & hyacinthi, ut* Ptolemæus *li.* 7. *refert.* Vide *plura de hac inſula apud* Plin. *li.* 6. *capite* 22. *&* Vadianũ *in* Melæ *lib.* 3.

Tarchon, *ſiue* Tarcho, (*τάρχωρ*) Hetruriæ *dux & aruſpex*

ruſpex inſignis fuit, qui Aeneæ ſuppetias tulit aduerſus Turnum & Rutulos. Verg. Aen. 8.

Haud procul hinc Tarcho, & Tyrrheni tuta tenebãt
Caſtra locis.

Idem 10. Aeneid.

-Haud fit mora, Tarchon
Iungit opes, fœdusq́; ferit.

Tarentum, (τάρας) *Magnæ Græciæ urbs clariſſima, in intimo receſſu ſinus, qui ab ea dicitur Tarentinus. Hæc à Tarante Neptuni filio primùm condita fuit, à quo & nomen accepit: deinde à Laconibus aucta, qui duce Phalanto illuc aduentãtes, expulſis incolis (uti Iuſtinus li. tertio ſcribit) eã tenuerunt. Huius incolæ dicuntur Tarentini,* (ταραντῖνοι) *qui cum Romanis aliquandiu bellũ geſſerunt: quibus cùm pares non eſſent, Pyrrhum Epirotarum regem auxilio ſibi acciuerunt. De hac Verg. Aen. 3.*

Hic ſinus Herculei (ſi uera eſt fama) Tarenti
Cernitur: attollit ſe diua Lacinia contrà,
Caulonisq́; arces, & nauifragum Scylaceum.

Sunt qui Tarentum non à Tarante Neptuni filio, ſed à Sabina uoce Tarentum deducant, quæ illis molle ſignificat: propterea quòd in agro Tarentino & nuces, & lanæ molliſſimæ prouenirent. Tarenti item purpura tingebatur, à loco Tarentina cognominata. Horat. 2. Epiſt.

Lana Tarentino uiolas imitata ueneno.

Tarpéia, (ταρπηΐα) *uirgo Veſtalis fuit, teſte Varrone, quæ arcem Capitolinã, patris ſui Tarpeij cuſtodiæ cõmiſſam, Sabinis prodidit: à quibus cùm proditionis mercedẽ peteret (pacta enim erat, quicquid in ſiniſtris brachijs geſtarent, armillas intelligens, quas illi aureas gemmatasq́; læuo in brachio ferebant) ſcutis illorum obruta, Tarpeio monti*

monti nomen fecit, qui prius Saturnius dicebatur. Verg. 8. Aeneid. Sedem Tarpeiam appellat,

Hinc ad Tarpeiam ſedem, & Capitolia ducit,
Aurea nũc, olim ſylueſtribus horrida dumis.

Tarphe, es, (*τάρφη Steph.*) *urbs Locrorũ Epicnemidiorũ, iuxta Pharygas: cuius meminit Homer. in Catalogo:*

Τάρφην τε, θρόνιόν τε, βοάγριον ἀμφὶ ῥέεθρα.

Nomen habet à Tarphe propinquo fonte, ſiue ab arborum denſitate. ταρφὺς enim Græci denſum appellant.

Tarquinius Priſcus, *Demarathi Corinthij filius, Tarquinijs urbe Tuſcorũ natus, primũ Lucumo dictus, qui ubi ſe in patria nullo in honore eſſe uidet, quòd peregrino patre eſſet prognatus, ſuaſu uxoris (ea mulier fatidica erat, nomine Tanaquil) Romam ſeſe contulit: ubi breui propter opes ingenijq; dexteritatẽ in Anci regis amicitiam inſinuatus, ab eodem relictus eſt liberorum eius tutor: quorum tamen commoda proprijs rationibus poſthabuit, breuiq; perfecit, ut magnò plebis conſenſu rex crearetur. Quare ut regnum parum iuſtè partum ſtabiliret, centum patres in Senatum allegit, qui minorum deinde gentium dicti ſunt, ſuæ eos factionis futuros ratus, cuius beneficio in Senatum ueniſſent. Bellum primùm cum Latinis geſſit, oppidumq; Appiolas ui cepit. Circo maximo primus locum deſignauit, locaq; patribus equitibusq; diuiſit, ubi ſibi quiſque ſpectacula facerent. Sabinos uictos Collatia, agroq; Collatino mulctauit. Corniculum, Ficulneam ueterem, Cameriam, Cruſtumerium, Ameriolam, Meduliam, & Nomẽtum, priſcorum Latinorum oppida partim expugnauit, partim in deditionẽ accepit. Tandem cùm annos duodequadraginta regnaſſet, dolo liberorum Anci, in Curia eſt obtruncatus. Vide hæc latius apud*

pud Liuium libro 1. ab Vrbe.

Tarquinius Collatinus, *Aegerij ex Tarquinij Superbi ſorore filius fuit, & gener Sp. Lucretij, qui Romæ præfectura urbis fungebatur. Hic cùm in Ardeæ obſidione, cũ regijs iuuenibus cœnaret, exorta de uxoribus mentione, cùm ſuã quiſq; certatim laudaret, Collatinus negat uerbis opus eſſe, paucis id quidem horis ſciri poſſe, quantum cæteris præſtet ſua Lucretia. Quid multa? citatis pariter equis Romam aduolant, regiasq́; nurus in conuiuijs luxuq́; cum æqualibus depræhendunt. Deinde Collatiam petẽtes, Lucretiam nocte ſera lanæ deditam inter lucubrantes ancillas in medio ædium ſedentem inueniunt. Quare muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. Adueniens uir, Tarquinijq́; benignè accepti, uictor maritus comiter inuitat regios iuuenes. Ibi Sextum Tarquinium mala libido ſtuprandæ per uim Lucretiæ capit: tum forma, tum ſpectata caſtitas incitat. Diſsimulata tamen in præſens cupiditate, tum quidem unà cum cæteris in caſtra redit: ſed paucis pòſt interiectis diebus Collatiam reuerſus, & à muliere propinqua hoſpitio exceptus, nocte intempeſta conceptum animo facinus ui minisq́; exequitur. Quam rem mulier caſtiſsima tam ægrè tulit, ut poſtridie uiro patreq́; per literas accerſito, cùm rem, uti geſta erat, expoſuiſſet, necem ſibi conſciuerit. Pulſis deinde ob facinus tam tetrum Tarquinijs, Collatinus Bruto in Conſulatu datus eſt collega: quo tamen non multò pòſt coactus eſt ſe abdicare, non aliam ob cauſam, niſi quòd Tarquiniorum propinquus eſſet, eodemq́;, quo illi, nomine diceretur. Vide hæc latius apud Liuium lib. 1. & 2. ab Vrbe cõdita.*

Tarquinius Superbus, *ſeptimus & ultimus Romanorum rex fuit, à moribus cognomen adeptus. Hic Tul-*

lam

lam Seruij Tullij filiam uxorem duxerat, præferoci ingenio mulierem, cuius conſilio ſocerum interfecit, regnumq́; ſceleſte occupauit. Bello tamen ſtrenuus fuit: Latinos Sabinosq́; domuit. Sueſſam Hetruſcis eripuit. Gabios per Sextum filium ſimulato perfugio in ditionem redegit. Ferias Latinas primus inſtituit. Capitolium ſtructurus, caput humanum in fundamentis inuenit. Qua de re Aruſpices conſulti reſponderunt, eam arcem caput gentium futuram. Demùm cùm Sextus eius filius Lucretiæ per uim ſtuprum intuliſſet, cum uniuerſa familia in exilium actus, ad Porſenam Hetruriæ regem ſe contulit: qui pro eius reſtitutione nequicquam Romanis bellum intulit. Vergil. 8. Aen.

Nec non Tarquinium eiectum Porſenna iubebat
Accipere: ingentiq́; urbem obſidione premebat.

Tárracon, *ſiue* Tárraco, onis, (ταῤῥάκων) *Hiſpaniæ citerioris urbs olim clariſſima, Scipionũ opus, à qua præcipua Hiſpaniæ pars Tarraconenſis cognominatur: quæ (ut Põponius ſcribit li. 2.) altero capite Gallias, altero Bæticam Luſitaniãq́; contingẽs, mari latera obijcit, Mediterraneo, quà Meridiẽ ſpectat: quà Septẽtrionẽ, Oceano. Fuit autẽ hic Hiſpaniæ tractus generoſiſſimi olim uini genere nobilitatus, quod à loco Tarraconẽſe dicebatur, proximam uinis Campanis bonitatis palmam obtinens. Marti. li. 2.*

Tarraco Campano tantum ceſſura Lyæo.

Silius lib. tertio,

—Dat Tarraco pubem
Vitifera, & Latio tantùm ceſſura Lyæo.

Tarſus, (ταρσὸς) *urbs Ciliciæ clariſſima, teſte Strabone lib. 15. & regionis totius caput, in Campis ſita, & Cydno amne irrigata: cuius conditorem uolunt fuiſſe Perſeum*

Danaës

Danaës filium. Lucan. libro 4.

Deſeritur Tauriq́; nemus, Perſeaq́; Tarſus.

Alij tamen urbis huius originẽ ad Sardanapalũ referunt, poſtremum Aßyriorum regem: cuius etiam monumento inciſum erat, quòd Tarſum & Anchialon die uno condidiſſet: ut Suidæ teſtimonio ſuprà docuimus in dictione Sardanapalus.

Tártarus, ri, *ſiue* Tártara, orum, *(τάρταρος, καὶ τάρταρα, τὰ) locus profundißimus inferorum, in quo ſontes plectuntur. A' uerbo Græco ταράττω, conturbo, quòd illic omnia plena ſint perturbationis: uel, quod ueriſimilius eſt, ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν, id eſt, à tremore frigoris. Sole enim caret, inquit Seruius. Vergilius ſexto Aeneidos:*

-Tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps tantum, tenditq́; ſub umbras,
Quantus ad æthérium cœli ſuſpectus Olympum.

Hinc Tartareus, a, um, (ταρτάρειος.) Verg. 7. Aeneid.

-Cornuq́; recuruo
Tartaream intendit uocem.

Tarteſſus, *(ταρτησσὸς) Hiſpaniæ Bæticæ oppidum, in littore Oceani ſitum, ea in parte, quà primum ex anguſtis freti faucibus panditur mare. Hæc eadem eſſe creditur cum ea, quam noſtri Carteiam appellant, dicente Plin. lib. 3. cap. 1. Carteia, quam Græci Tarteſſum appellant. Quod & ipſum confirmat Strabo, ita ſcribens lib. 3. Tarteſſum huius temporis nonnulli Carteiam appellant. Silius tamen libr. 3. Tarteſſum omnino aliam facit à Carteia: quàm rectè, ipſe uiderit. Liu. certè lib. 8. Decad. 3. ſitum Carteiæ deſcribens, omnino eaſdem fuiſſe oſtendit. Dum hæc (inquit) ad Bætim fluuium geruntur, Lælius*

lius interim freto in Oceanum *euectus ad* Carteiam *claſſe acceßit.* Vrbs *ea in ora* Oceani *ſita eſt, ubi primùm è faucibus anguſtis panditur mare.* Tarteſſus *olim uiuaciſſimis regibus celebrata fuit, ex quibus* Arganthonius *centum quinquaginta annos dicitur regnaſſe.* Hinc Tarteſſiacus, *ca, cum, poſſeßiuum : ut,* Tarteßiaci *thyrſi, apud* Colum. *libro decimo.*

Tátius, (τάτιος) *Sabinorum dux fuit, acerrimusq́; pop.* Rom. *hoſtis, qui proditione* Tarpeiæ *uirginis* Capitolio *capto, ex ſuperiore loco aduerſus* Romanos *in aciem deſcendit: ubi cùm aliquandiu acerrimè, ſed uaria uictoria pugnatum eſſet, tandem dirempto interuentu* Sabinarum *prælio, pax ita conuênit, ut* Sabini *in urbẽ,* Tatius *in regni partem acciperetur. Verùm cùm poſtea* Tatij *propinqui* Laurentium *legatos pulſaſſent, eamq́; iniuriam* Tatius *inultam reliquiſſet, illorum pœnam in ſe conuertit. Nam cùm* Lauinium *ad ſolenne ſacrificium ueniſſet, concurſu oppidanorum facto, eſt interfectus. Autor* Liuius *lib. 1. ab urbe.* Verg. *lib. 8.* Aeneid.

– Subitoq́; nouum conſurgere bellum
Romulidis, Tatioq́; *ſeni,* Curibusq́; *ſeueris.*

Taulántij, (ταυλάντιοι) Illyrici *populi, teſte* Plin. *libr. 3. cap. 22. qui poſtea mutatis ſedibus, in eam* Macedoniæ *partem ſe contulerunt, quæ mari* Adriatico *incumbit, non procul à* Dyrrhachio*: ubi* Arniſſam *oppidum incoluerunt, teſte* Ptolem. *lib. 3. cap. 13. Horũ meminit & Lucanus libro ſexto:*

Quemq́; uocat collem Taulantius *incola* Petram,
Inſedit caſtris.

Tauri, orum, (ταῦροι) *Sarmatiæ* Europææ *populi, ad* Boſphorum Cimmerium, *peninſulam inhabitantes, eodem*

Boſph

Boſphoro, Bycę palude, & Carcinite ſinu circumfuſam, tenui tantùm Iſthmo continenti adhærentem: quæ de incolarum nomine Taurica appellatur. Iuuenalis Sat. 15.

-Quippe illa nefandi Taurica ſacri
Inuentrix homines tantùm immolat: ulterius nil,
Aut grauius cultro timet hoſtia.

Fuerunt autem Tauri omnino inhoſpitales, moribusq; immaniſsimis, ut qui hoſpites omnes Dianæ ſoleant immolare: cuius ſacrificij primus autor Thoas fuiſſe perhibetur: unde & Diana ipſa Thoantea dicitur à Silio libro quarto:

Sacra Thoanteæ, ritusq; imitata Dianæ.

Herodotus tamen libro quarto autor eſt, non Dianam eſſe, ſed Iphigeniam Agamemnonis filiam, cui Tauri humanas uictimas ſoleant immolare, naufragos præſertim, & Græcos, quouis caſu illuc delatos: quorum poſt preces peractas caput claua feriebant: truncum de rupe deturbabant: caput cruci affigebant. Hoſtibus autem in bello captis, aut in prælio occiſis, capita præcidebant, & perticæ ſuffixa quàm maximè ſublimia ſupra fumarium ſtatuebant, exiſtimantes hoc ad totius domus tutelam cuſtodiamq; pertinere.

Taurominium, (ταυρομένιον Ptolemæo, ταυρομένειον Stephano) Siciliæ oppidum eſt, à Zanclæis conditũ, non procul à Drepano promontorio, teſtibus Plinio libro 3. cap. 8. & Strabone lib. 6. Hinc Taurominitanus, a, um. Silius libro decimoquarto,

Taurominitana cernunt à ſede Charybdim.

Taurus, (ταῦρος) mons Aſiæ totius longè maximus, qui ab Indico mari exurgens, uaſtè ſatis attollitur: dein dextro latere ad Septentrionem, ſiniſtro Meridiem uerſus

flectitur, in Occidentem *rectus & perpetuo iugo, multarumq́; gentium, quà dorſum agit, terminus: ſed pro gentium ac linguarum uarietate diuerſa habet nomina.* Pri*ma ſui parte* Imaus *dicitur, mox* Edigis, Paropaniſus, Circius, Chambades, Pharphariades, Choatras, Oreges, Orates, Niphates, Taurus: *atq; ubi ſe quoq; exuperat,* Caucaſus: *ubi brachia emittit, ſubinde tentanti maria ſimilis,* Sarpedon, Coraceſius, Cragus, *iterumq́;* Taurus: *aliaq́; alijs in locis aſſumit nomina: in uniuerſum tamen à Græcis* Ceraunius *appellatur: ut eſt autor* Plin. *libro* 5. *cap.* 27. *quo in loco montis huius deſcriptionem latißimè exequitur.* Silius *libro* 12.

Hinc Cilicis Tauri ſaxoſa cacumina uiſet.

Eſt item Taurus, *ſecundum zodiaci ſignum, ſtellarum, ut* Hygino *placet, quatuordecim, quod à* Sole *ſubitur tertio* Idus Apriles. Hunc Poëtæ *ſabulantur* Taurum *cum fuiſſe, qui* Europam *è* Phœnice *tranſuexit in* Cretam, *cuius operæ* Iupiter *eam illi gratiam retulit, ut inter ſidera illum collocarit.* Vergil. 1. Georg.

Candidus auratis aperit cum cornibus annum

Taurus.

Taygete, es, *uel* Taygeta, tæ, (ταϋγέτη) *Atlantis, &* Pleiones *filia, teſte* Hygino, *una* Pleiadum, *quæ* Ioui *peperit* Lacedæmonem, *urbis ſibi cognominis conditorē.* Vergil. 4. Georg.

Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum

Pleias, &c. Vide Pleias.

Taygetus, ti, *ſeu* Taygeta, orum, (ταΰγετον) *mons eſt* Laconiæ, *teſte* Strabone, *non ille quidem admodum magnus, ſed tamen excelſus & erectus,* Spartæ *&* Amyclis *imminens, quem* Libero *patri ſacrum fuiſſe tradit* Ser-

nius in illud Vergilij 2. Georg.

–O ubi campi,
Sperchiuſq; & uirginibus bacchata Lacænis
Taygeta.

Huius montis bona pars cùm terræmotu corruiſſet, Spartanorum urbem oppreßit: ut refertur à Cicerone lib. 1. de Diuinat. & à Plinio lib. 2. cap. 79.

Teànum, (τεανὸν Steph.) *duarũ ciuitatum nomen eſt in Italia. Eſt enim Teanum Sidicinũ in Appia uia, & Teanum Apulum in finibus Apuliæ, diſtans à Larina XVIII. M. paßuum. Huius meminit aliquoties Cic. in Orat. pro Cluent. Illius mentionem facit Horat. lib. 1. Epiſt.*

–Cras ferramenta Teanum
Tolletis fabri.

Tégea, (τεγέα) *Arcadiæ oppidum, in quo Pan præcipuis honoribus colebatur, qui inde dictus eſt Tegeæus. Vergil. primo Georgicorum,*

Pan ouium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ,
Adſis ô Tegeæe fauens.

Vrbis huius incolæ Tegeates (τεγεάται) dicuntur: unde rurſus fit aliud adiectiuum Tegeaticus, a, um: quo cognomine Mercurius à Statio inſignitur, lib. 1. Syluar.

Et cum Mænalia uolucer Tegeaticus umbra.

Télamon, (τελαμὼν) *rex Salaminis inſulæ, Aeaci filius, unus ex Argonautis, ſociuſq; Herculis in expugnatione Troiæ, qui quòd omnium primus murum conſcendiſſet, uirtutis ergô donatus eſt Heſione Laomedontis filia, ex qua Teucrũ ſuſcepit, cùm iam Aiacẽ ex alia uxore genuiſſet, qui à patris ſui nomine paßim Telamonius à Poëtis cognominatur. Ouid. 13. Metamor.*

Ne mandate mihi: melius Telamonius ibit.

Telchînes, (τελχῖνες) *filij Mineruæ, & Solis, uel, ut alij malunt, Saturni & Aliopes, qui olim Rhodum tenuerunt: unde etiam inſula ea dicta eſt Telchinis. Hos quidam maleficos homines fuiſſe prodiderunt, aſpectu ſolo omnia effaſcinantes. Quorum ſententiam ſecutus eſt Ouid. 7. Metam. ſic ſcribens:*

Phœbeamq; Rhodon, & Ialyſios Telchinas,
Quorum oculos ipſo mutantes omnia uiſu
Iuppiter exoſus fraternis ſubdidit undis.

Alij eoſdem faciunt cum Curetibus & Dactylis Idæis, ſummosq; artifices fuiſſe tradunt: ueneficiorum autem infamiam ab illorum æmulis fuiſſe diſperſam. Vide Strabonem libro decimo.

Télchius, (τέλχιος) *alter ex Caſtoris & Pollucis aurigis, qui unà cum Amphito Dioſcuriadem urbem apud Colchos traditur condidiſſe, referente Plin. lib. 6. cap. 5.*

Teléboæ, (τηλεβόαι) *Aetoliæ populi fuerunt, latrocinio infamati, qui poſtea relicta patria Telone duce in Italiam uenerunt, Capreasq; tenuerunt, exiguam mediterranei maris inſulam: quod & Seruius annotauit in illud 7. Aeneidos,*

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale, quem generaſſe Telon Sebetide nympha
Fertur, Teleboûm Capreas cùm regna teneret
Iam ſenior.

Teléboas, (τηλεβόας) *unus ex Cẽtauris, Ixionis ex Nube filius. Ouidius lib. 12. Metamor.*

-Chthonius quoq;, Teleboasq;
Enſe iacent noſtro.

Telégonus, (τηλέγονος) *filius fuit Vlyßis ex Circe, qui cùm iam adoleuiſſet, uidendi patris cupidus, in Ithacam*

cam nauigauit: cumq; à miniſtris paternis incognitus aditu prohiberetur, aliquot ex ijs occidit. Ad quem tumultûm excitus Vlyſſes, cùm & ipſe iam ſenior ſuis opem ferret, à filio ſuo eſt occiſus oſſe piſcis cuiuſdam, qui à Græcis Xiphias dicitur. Quod ubi cognouit Telegonus, relicta Ithaca, in Italiam uenit, ubi Tuſculum condidit. Ouidius 3. Faſtorum,

Et iam Telegoni, iam mœnia Tyburis udi
Stabant, agricolæ quæ poſuere manus.

Telémachus, (τηλέμαχος) Vlyßis ex Penelope filius, quem ad Troiam proficiſcens apud matrem reliquit: ubi multis à procis affectus iniurijs, tandem patri domum reuerſo in illis ulciſcendis ſe præbuit adiutorem. Ouid. in Epiſt. Penelopes:

Tres ſumus imbelles numero: ſine uiribus uxor,
Laërtesq; ſenex, Telemachusq; puer.

Télemus, (τηλεμος) Eurymi filius fuit, & inter Cyclopas uates egregius, qui Polyphemo prædixit, quæcunq; poſtea ab Vlyſſe paſſus eſt. Ouid. lib. 13. Metamorph.

Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit: lumenq;, quod unum
Fronte geris media, rapiet tibi, dixit, Vlyſſes.

Télephus, (τήλεφος) Myſorum rex fuit, & Herculis filius, ex Auge nympha: qui cùm aui iuſſu in ſyluis expoſitus eſſet, à cerua aliquandiu dicitur educatus. Quæ res tantam futuræ claritatis opinionem de eo præbuit, ut mox à Myſiæ rege adoptatus ſit, & regni hæres inſtitutus. Factus itaq; Myſorum rex, cùm Græcos ad Troianã expeditionem proficiſcentes prohibere conaretur, ne per Myſiam iter facerent, ab Achille uulneratus eſt. Cuius plagæ cùm nullum ſatis efficax inueniretur remedium, o-

raculo reſponſum eſt, fore, ut eadem haſta, qua uulneratus erat, ſanaretur. Reconciliatus itaq; Achilli, ab eo impetrauit, ut ex haſtæ, qua ictus erat, rubigine malagma conficeret, & uulneri ſuo imponeret: quo facto, ſtatim ſanitatem eſt conſecutus. Ouid. 13. Metamor.

—Ego Telephon haſta
Pugnantem domui, uictum orantemq; refeci.

Tellus, uris, (ῥέα, κυβέλη) terræ Dea, rerũ omnium mater & alumna: quanquam non rarò pro ipſa accipitur terra. Verg. 1. Aeneid.

—Ac magno telluris amore
Egreßi optata Troës potiuntur arena.

Telmeſſus, (τελμησσὸς) oppidum fuit Lyciæ, ſeu (ut alij malunt) Cariæ, haruſpicum diſciplina in primis clarum: cuius meminit & Plinius lib. 5. cap. 27. Hinc fit Telmeßis, idis. Lucan. lib. 8.

—Magnosq; ſinus Telmeßidos undæ.

Témeſa, (τεμέση) agri Brutij oppidum, æris fodinis olim nobilitatum: quod poſtea literæ unius mutatione Tempſam appellarunt, teſte Plinio lib. 3. cap. 5. Ouidius 15. Metamorph.

Thurinosq; ſinus, Temeſenq;, & Iapygis arua:

Hinc Temeſæus, a, um: ut, Aes Temeſæum. Idem 7. Met.

—Quamuis Temeſæa labores
Aera tibi minuant.

Tempe, (τέμπη) Theſſaliæ loca, quinque millia paſſuũ longitudine, & fermè ſex latitudine, Peneo amne irrigua, cuius ripæ gramine uiridi, amœnißimisq; ueſtiuntur arboribus. Ouid. 1. Metamorph.

Eſt nemus Aemoniæ, prærupta quod undiq; claudit
Sylua, uocant Tempe, per quæ Peneus ab imo

Effuſus

Effuſus Pindo ſpumoſis uoluitur undis.

Sunt & Tempe in Bœotia, quæ Teumeßia dicuntur, à Teumeſſo monte Bœotiæ, ab Ouidio Cygneia dicta. Sunt & alia in Sicilia, à nomine amnis Heloria. Deniq; quælibet loca amœna, nemora præſertim, atq; aquas habentia, καταχρηστικῶς *Tempe uocamus. Verg. 2. Georg.*

Speluncæ, uiuiq; lacus, ac frigida Tempe.

Ténedos, (τένεδος) *inſula inter Leſbum, & Helleſpontum, contra Troiam, à Sigeo littore* XII. M. *paß. diſtans, à Leſbo* LVI. M. *Hæc prius Leucophrys,* (λευκόφρυς) *appellabatur, à nonnullis etiã Phœnice & Lyrneſſos, teſte Pli. lib. 5. cap. 31. In hanc ex Troade nauigauit cum nouis colonis Tenes Cygni filius, cõditaq; urbe de nomine ſuo Tenedon eam uocauit: à qua & inſula denominata eſt. Cice. 3. Verrin. Tenedo (prætereo pecuniam quam eripuit) Tenem ipſum, qui apud Tenedios ſanctißimus Deus habetur, qui illam urbem dicitur condidiſſe, cuius ex nomine Tenedus nominatur: hunc ipſum, inquam, Tenem, pulcherrimè factum, quem quondã in comitijs uidiſtis, abſtulit magno cum gemitu ciuitatis. Inſula hæc ante bellum Troianum florẽtißima fuit: in qua Græci ſupremas illas, quibus Troia perijt, inſidias ſtruentes, ſeſe occultarunt: quod & Vergilius teſtatur lib. 2. Aen. ſic ſcribens:*

Eſt in conſpectu Tenedos notißima fama
Inſula, diues opum, Troiæ dum regna manebant:
Nunc tantum ſinus, & ſtatio malè fida carinis.
Huc ſe prouecti deſerto in littore condunt.

Téntyra, orum: *ſiue* Téntyris, idis, (*τέντυρα Ptolemæo, & Straboni, τεντυρίς Stephano*) *urbs eſt Aegypti in eiuſdẽ nominis inſula, quam Nilus efficit. Iuuen. Sat. 15.*

Qui uicina colunt umbroſæ Tentyra palmæ.

Huius incolæ Tentyritæ,(τεντυρῖται) dicuntur, qui tanto crocodilis terrori eſſe dicuntur, ut ſola uoce eorum audita in fugam uertantur: ut eſt autor Plinius libr. 8. cap. 25. & Strabo lib. 17.

Teos,(τέως Stephano) Ioniæ ciuitas, Anacreontis Poëtæ patria, qui ab ea Teïus eſt cognominatus. Horat. in Epod.

Non aliter Samio dicunt arſiſſe Batyllo
Anacreonta Teium.

Terentus,(τέρεντος) locus in campo Martio, ita dictus, quòd in eo ara Ditis patris in terra occultaretur: quæ ludis tantum ſecularibus effoſſa terra oſtendebatur: iiſq; peractis rurſus claudebatur. Martialis:

Bis mea Romano ſpectata eſt uita Terento.

Hoc eſt, binos ſpectaui ludos ſeculares. Idem lib. 4.

Et quæ Romuleus ſacra Terentus habet.

Hinc Ludi Terentini dicti ſunt, qui alio nomine ſeculares uocantur, qui centeſimo quoque anno tribus diebus continuis, tribusq; noctibus celebrabantur, tametſi poſtea ambitione principum minore interiecto ſpatio aliquoties fuerint celebrati. Auſonius in Ternario:

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Tereus,(τηρεὺς) rex Thracum, Martis ex Biſtonide nympha filius: qui cùm Prognen Pandionis Athenarum regis filiam uxorem duxiſſet, eius etiam ſororem Philomelam per ſpeciem uiſendæ ſororis à patre abductam uitiauit, uitiatæq; linguã præcidit: arctiſſimeq; eã cuſtodiæ incluſit. Quod facinus cùm illa indicare alioqui nõ poſſet, acu in tela depictũ ſorori ſuæ trãſmiſit. Qua re cognita Progne, ultionem in Orgiorum tempus differt: quo tempore matronis pluribus comitata, quæ bacchantium ritu thyrſos & cornua geſtabant, ſororem carceri eripit, bacchantisq;

habitu

habitu indutam, in aulam perducit, ubi cum illa communicato conſilio, Itym *filium arreptum dilacerat, patriq́; comedendum apponit. Quod cùm ille ex pueri capite, ſub cœnæ finem in cõuiuium allato cognouiſſet, iamq́; ſtricto gladio ad ultionem properaret,* Progne *mutata eſt in hirundinem,* Philomela *in auem ſui nominis,* Itys *in phaſianum,* Tereus *autem in upupam, etiam hodie criſtam, tanquam militaris uiri inſignia quædam, retinentem.* Hæc Seruius, *enarrans illud* Vergilij,

Aut ut mutatos Terei *mutauerit artus.*

Lege *fabulam hanc latius apud* Ouid. li. 6. Metam. *& ſuprà in nominibus* Philomela *&* Progne.

Terpsichore, (τερψιχόρη) *una nouem* Muſarum, *ſic dicta, quòd choreis, & tripudijs delectetur: uel, ut* Plutarchus *ait, quòd maxima uitæ pars ea delectetur et gaudeat.* Huic *quidam citharæ inuentionem tribuunt.* Verg. *de nouem* Muſis:

Terpſichore *affectus cithara mouet, imperat, auget.*

Teſqua, *loca edita, aſpera, & inculta, ipſo ſitu atq́; ſilẽtio religionem quandam & horrorem incutientia.* Horatius 1. Epiſt. 14.

–Nam quæ deſerta & inhoſpita Teſqua
Credis, *amœna uocat, mecum qui ſentit: & odit,*
Quæ *tu pulchra uocas.*

Varro *lib. 6. de* Ling. Lat. Teſca *ſcribit per c. literam: putatq́;* Teſca *dicta, quaſi* Tueſca, *à tuẽdis ſacris: locaq́; quædam agreſtia interpretatur,* Deo *cuipiam conſecrata:* Accij *teſtimonio id ipſum confirmans ex* Tragœdia, *cui* Philoctetæ *nomen eſt, in hunc modum citato:* Quis *tu es mortalis, qui in deſerta, & teſca te apportes loca?* Quid *autẽ* Teſcorum *nomine ibidem intelligere debeamus, explicat*

idē Accius, paulò pòſt ſubiūgēs, Celſa Cabyrū delubra te nes, myſteriaq́; priſtina caſtis cōcepta ſacris. Hæc Varro.

Tethys, yos, (τῆθυς) Cœli & Veſtæ filia, ſoror Saturni, coniux Neptuni, fluuiorum & Nympharum mater: ut eſt autor Heſiodus in Theogonia. Ouid. tamen lib. 5. Faſt. uidetur ſentire illam fuiſſe Titani filiam, qui fuit Saturni frater natu maior. Ait enim:

Duxerat Oceanus quondā Titanida Tethyn.

Teucer, (τεῦκρος) Scamandri Cretenſis filius, qui in Troade unà cum Dardano genero regnauit: unde Ilienſium regum fluxit origo. Ab huius nomine Troia, Teucria dicta eſt, & Troiani ipſi Teucri. Verg. 2. Aen.

Ergo omnis longo ſoluit ſe Teucria luctu.

Et paulo pòſt,

-Equo ne credite Teucri.

Fuit & Teucer alius, Telamonis ex Heſione filius, ſagittandi peritiſsimus, quem Homerus lib. 8. Iliad. inducit ſub Aiacis fratris ſui clypeo latentem, multosq́; Troianorum occultè ex inſidijs uulnerantem. Hic cùm euerſa Troia in patriam rediſſet, indignatus Telamon, quòd necem Aiacis fratris ſui, Vlyßis inſidijs circunuenti, ultus non eſſet, Salamine eū expulit. Patria itaq; profugus, nauigauit in Cyprum, ibiq; urbem condidit, quam de nomine relictæ patriæ Salaminem appellauit. De hoc Verg. lib. 1. Aen.

Atq; equidem memini Teucrum Sidōna uenire,
Finibus expulſum patrijs, noua regna petentem.

Teumeſſus, (τευμησὸς) Bœotiæ exiguus mons, in quo Hercules adhuc penè puer leonem Teumeſium occidit, eiq́; pellem detraxit, qua ſemper poſtea pro pallio uſus eſt. Leo autem à Ioue in cœlum translatus dicitur, ut gloriæ Herculis conſuleret, qui eum inermis occiderat. Numeratur

meratur autem hic mons inter eos qui Bacchi *ſacris erant dedicati:unde* Liberi *patris ſacerdotẽ* Thyadem Teumeſſiam *uocat* Statius *lib.5.*

-Veſano ueluti Teumeßia Thyas Rapta *deo.*

Teutátes, (τεύτάτης) *lingua* Gallica *dictus.eſt* Mercurius,*qui ab illis humano ſanguine placabatur.*Hunc Plato *inuentorem fuiſſe* Geometriæ, *&* Aſtronomiæ, *& aleæ ſcribit.*Lucan.*lib.1.*

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates,*horrensq; feris altaribus* Heſus.

Téuthras,antis,(τεύθρας)Ciliciæ, *&* Myſiæ *rex fuit, qui* Augen Alæi *filiam,ab* Hercule *compreſſam, ideoq; patris iuſſu unà cum* Telepho *filio arcæ incluſam, et ad oſtium* Caïci *fluminis delatam, uxorem duxit,filiumq; eius* Telephũ *pro ſuo educauit:ut ex* Euripidis *ſentẽtia refert* Strabo *li.13.Sunt qui* Teuthrantẽ *hũc quinquaginta filias habuiſſe tradãt,quas* Hercules *omnes nocte una cõpreßit, grauidasq; reliquit.*Ouid. *in* Epiſt. Deïaniræ *ad* Herculẽ:

Nec tibi crimen erunt Teuthrantia *turba ſorores,*
Quarum de populo nulla relicta tibi eſt.

Téutones,*ſiue* Téutoni, (τεύτονες) Germaniæ *populi,* Ingeuonibus *à* Plin. *annumerati:ita dicti à* Teutone *ipſorum deo* (Tacitus Tuiſconem *appellat*) *quem indigenam, & terra ortum exiſtimabant.*Lucan.*lib.6.*

-Aut ſi tibi terga dediſſet
Cantaber *exiguus,aut longis* Teutonus *armis.*

Hinc Teutonicus,*a,um*,(τευτονικὸς.)*ut* Teutonici *capilli.* Mart.*libro 14.*

Cauſtica Teutonicos *accendit ſpuma capillos:*
Captiuis poteris cultior eſſe comis.

Thais(θαὶς) *meretrix nobilis fuit, patria* Alexandrina,

quæ

quæ cùm Athenas quæſtus gratia ſeſe contuliſſet, Atticæ iuuentutis florem in ſui amorem pellexit. Hanc *carminibus ſuis celebrauit Menander Comicus Poëta:unde & Menãdreæ epitheto à Poëtis inſignitur.Propertius lib.3.*

Turba Menandreæ fuerat nec Thaïdos olim
Tanta,in qua populus luſit Erichthonius.

Thalía, (θάλεια) *una ex nouem Muſis:* ἀπὸ τοῦ θάλλειν, *quòd inter cætera ſignificat uirere,ſeu florere:propterea quòd Poëtarum fama nullo tempore marceſcat.Vergilius ſexta Eclog.*

Noſtra nec erubuit ſyluas habitare Thalia.

Thámyras,*ſiue* Thámyris, (θαμύρας, ἢ θάμυρις *Suidæ)poëtæ nomen ex Thracia, qui cùm omnes pulchritudine præcelleret, ab initio mares dilexit:deinde mutata conſuetudine,Muſas amauit, cum quibus de cantu certauit hiſce conditionibus,ut ſi uinceret, earũ complexu poti retur:ſin ſuccũberet, ab illis pateretur,quicquid eis uideretur.Itaque ſuperatus, & oculis & lyra priuatus eſt.*Hinc *manauit prouerbium in eos qui præter ingenium propriũ aliquid agunt,Thamyras inſanit,* θαμύρας μαίνεται. *Ouid.libro 3.de Arte:*

Tu licet & Thamyram ſuperes,atque Orphea cantu,
Non erit ignotæ gratia magna lyræ. &c.

Thapſus,(θάψος) *inſula decem ſtadijs à Sicilia diſtans, non procul à Syracuſis,plana, & quàm minimum è mari eminens,adeò ut undis merſa uideatur.Vnde & Thapſus dicta eſt,* ἀπὸ τοῦ θάπτεσθαι, *quòd in mari quodammodo ſepulta uideatur.Verg.lib.3.Aeneid.*

-Viuo præteruehor oſtia ſaxo
Pantagiæ,Megaroſq; ſinus, Thapſumq; iacentem.

Thaſus,ſi,(θάσος)*inſula eſt maris Aegæi,Thraciæ adiacens*

cens, contra Neßi fluminis oſtia: oppidum habens eiuſdem nominis, à Phœnicibus, qui Europam terra mariq; inueſti gantes, eò peruenerunt, conditum: ut eſt autor Herodotus lib. 2. Statius lib. 5. Thebaid.

-Et Paros, & nemoroſa Thaſos.

Huius incolæ Thaſij, (θάσιοι) dicuntur, generoſis uitibus, & inſigni marmoris genere nobilitati. Vergil. 2. Georg.

Sunt Thaſiæ uites, ſunt & Mareotides albæ.

Thaumántias, (θαυμαντιὰς) Thaumantis & Electræ filia, & Iunonis nuntia, proprio nomine Iris dicta: Thaumantias autem à patre cognominata. Verg. 9. Aen.

Ad quem ſic roſeo Thaumantias ore locuta eſt.

Eadem & Thaumantis dicitur à Statio lib. 1. Syluar.

Theanò, (θεανὼ) Antenoris uxor fuit, & ſacerdos Palladis: ut eſt autor Homerus lib. 6. Iliad. Fuit & Theano altera, Metaponti Icariæ regis uxor, quā cū ob ſterilitatē maritus repudiare uellet, illa paſtores ſubornat, ut puerū unum aut alterum inuenirent, quē pro ſuis ſupponeret. Opportunè id temporis Menalippe Deſmontis filia (quā Neptunus compreſſerat) gemellos pepererat. Quod tam ægrè tulit Deſmontes, ut & filiā excæcatā carceri incluſerit, infantes autē feris obijci iuſſerit. In hos itaq; cùm paſtores incidiſſent, diuinitus ſibi eos oblatos rati, ad Theanò deferunt, quæ eos pro regijs pueris educauit. Verùm cùm poſtea ex Metaponto concepiſſet, gemelloſq; pepeſſet, uirumq; ſuum animaduerteret maiore ſuppoſititiorum, quam legitimorum amore teneri: utcunq; potuit, ad tēpus dolorē diſsimulauit. Verū cū iam ad legitimā ætatē liberi perueniſſēt, indicat ijs, duos maiores natu, quos fratres ſuos eſſe rebātur, ſuppoſititios eſſe: hortaturq; ut in uenationem perductos interficerent. Quod cùm illi conarentur

narentur, Neptunus filijs ſuis ſuppetias tulit, cuius opera adiuti illi, Theanûs filios interfecerunt. Quorum corpora cùm in regiam eſſent allata, Theanò uenabulo incumbens ſe interfecit. Vide hæc latius apud Hyginum Fab. Poë. capite 186.

Thebe, bes, & Theba, bæ, (θήβη) *&* Thebæ, *barum,* (θῆβαι) *nomina ſunt multarum urbium, quarum una fuit in Aegypto, à Buſiride rege condita, ambitu centum quadraginta ſtadiorũ, uti refert Herodotus: centum portis, unde & Hecatompylos cognominatur, alijsq́; publicis priuatisq́; ædificijs inſignis, totaq́; penſilis, adeo ut reges, uel maximos exercitus ſoleant educere, nullo oppidanorum id ſentiente. Huius incolæ Thebæi dicuntur, et uicina regio Thebais, in Aethiopiam uergens. De hac Iuuenalis Sat. decimaquinta,*

Atq; uetus Thebe centum iacet obruta portis.

Aliæ fuerunt Thebæ, in Bœotia, à Cadmo primùm conditæ, deinde ab Amphione ſplendidius inſtauratæ: quãquam Varro Rei Ruſt. libr. 3. urbis huius originem ad Ogygem referre mauult. Cuius ſententiæ ſubſcribit & autor Aetnæ: cùm Thebas Ogygias appellat:

Nunc iuuat Ogygijs circundata mœnia Thebis, &c.

Hanc urbem Poëtæ à numero ſeptem portarũ peculiari epitheto Heptapylon cognominãt. Hinc ortum traxerũt Hercules, & Liber pater, & Pindarus uates, & præter hos Pelopidas & Epaminundas, præſtantiſsimi ætatis ſuæ duces. Eadem dicta fuit & Dircæa, à Dirce propinquo fonte: unde & ager Thebanus à Poëtis paſsim Dircæus appellatur. Fuerunt & Thebæ aliæ in Cilicia, Eëtionis regia, & patria Andromaches, quam Ouidius idcirco Thebaidem cognominat lib. tertio de Arte:

Quòd

–Quòd erat longiſſima, nunquam
Thebaïs Hectoreo nupta reſedit equo.

Thébaïs, ïdis, (Θηβαΐς) Aegypti regio, Aethiopiæ cōtermina, à Thebis urbe potentiſſima, totiusq; tractus illius capite nomen habens: ut eſt uidere apud Plinium lib. 5. cap. 9. Eſt item Thebaïs, inſigne Statij opus, totis duodecim annis ſumma cura ab eo elaboratum. Nomen autem habet ab argumento, eò quòd bellum contineat inter Eteoclem & Polynicem ad Thebas geſtum, in quo duo fratres mutuis uulneribus perierunt. Papinius libro ultimo,

–Bis ſenos uigilata per annos Thebaïs.

Themis, Themis, uel Themidis, uel etiam Themiſtos, (Θέμις) Cœli & Terræ filia, quæ Iouis nuptias fugiens, ab eo in Macedonia compreſſa fuit. Hæc dea putabatur, quæ præciperet hominibus id petere, quod fas eſſet, ut ait Feſtus. (nam Θέμις Græcè fas dicitur) habuitq; uetuſtiſſimum oraculum in Bœotia, ad Cephiſſum amnem. Ouid. 1. Metamor.

Fatidicamq; Themin, quæ tunc oracla tenebat.

Claudianus:

–Sic Atropos urget,
Sic cecinit longæua Themis.

Themiſtocles, (Θεμιστοκλῆς) Athenienſis fuit clariſſimus, qui cùm adoleſcentiam in omni luxus laſciuiæq; genere peregiſſet, tandem cùm in uirum euaſiſſet, iuuentæ ſuæ maculas præclariſſimis geſtis deleuit. Nam & primus Piræeum muniuit: & prælio nauali Perſas apud Salaminem uicit. Poſt hæc ab ingrata patria exul factus, ad Xerxem confugit, à quo dux exercitus aduerſus Athenienſes magno cum honore creatus cùm uideret patriæ ſuæ ingentis cladis periculum immĭnere, hauſto tauri ſang

ri ſanguine ſeipſum interemit, ne aut regi de ſe bene merito infidelis eſſet, non pugnando uiriliter, aut patriæ ſuæ hoſtis atq; oppugnator uideretur. Patrem habuit nomine Neoclem: à quo & ipſe Neoclides à Poëtis appellatur. Ouid.1.de Ponto:

Arma Neoclides qui Perſica contudit armis.

Theócritus,(θεόκριτος) *Poëta Syracuſanus, Praxagoræ, ſiue (ut alij malunt) Symmachi, & Philinæ filius, qui ſub Ptolemæo Lagi filio floruit. Alij Coum fuiſſe uolunt, ſed admodũ iuuenẽ Syracuſas cõmigraſſe. Scripſit Idyllia in genere bucolico, quæ Virgil. ſibi imitanda propoſuit.*

Thera,(Θήρα, ἡ Θήρη) *inſula eſt in mari Aegæo, una Cycladum, Callimachi Poëtæ patria, ex qua profecti ſunt, qui Cyrenen in Africa condiderunt. Hæc alio nomine Calliſte dicta fuit: quod & ipſum teſtatur Callimachus, hoc diſticho:*

Καλλίστη πρόπαρ οἱ θε, τὸ δ' ὕστερον οὔνομα Θήρη
Μητὴρ εὐίππου πατρίδος ἡμετέρης. Hoc *eſt*,

Nomine Calliſte primum, ſed poſtmodo Thera
Dicta fuit tellus urbis origo meæ.

Therapnæ, arum, (θέραπναι) *uicus eſt Laconiæ, teſte Mela, in quo Leda Caſtorem & Pollucem, Helenam & Clytæmneſtram peperit. Stat.lib.1.Theb.*

Tænareumq; cacumen, Apollineasq; Therapnas.

Dictæ autem putantur Therapnæ, ἀπὸ τοῦ θεραπεύειν, *quòd ibi Dioſcuri religioſiſſime colerentur. Hinc deducitur adiectiuum Therapnæus,a,um. Ouidius in Epiſtolis Paridis ad Helenam,*

Da modò te facilem: nec dedignare maritum
Rure Therapnæo nata puella Phrygem.

Thermódoon, oontis, *uel* Thermódon, ontis, (θερμώδ

(θόρμώδων Suidæ) fluuius eſt Themiſcyræ (quæ eſt regiuncula Cappadociæ contermina) Amazonum ſedibus nobilitatus. Verg. 11. Aeneid.

Quales Threïciæ cùm flumina Thermodontis
Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis.

Quo in loco nonnulli legunt Thermodoontis impari ſyllabarum numero: ſed perperam, cùm ſecunda ſyllaba ſcribatur per ω μέγα. Hinc fit adiectiuum Thermodonteus, (θερμωδόντειος.) Propert. lib. 3.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis,
Thermodonteis turba lauatur aquis.

Thermópylæ, (θόρμοπύλαι) mons Græciæ longiſsimus, qui à Leucade incipiens, inde in ortum flexus, in Aegæum uſque mare protenditur, mediamq; Græciam ita dirimit, quemadmodum Italiam Apenninus. Dictæ Thermopylæ ab anguſtis faucibus, aquis calidis ſcatentibus. Montium enim anguſtias, ut Latini Portas, ita Græci πύλας appellant. Thermas autẽ aquas calidas eſſe, nemo eſt qui ignoret. Catullus:

Lymphaq; in Oetæis Mallia Thermopylis.

Montem autem hunc maximè illuſtrem reddidit Lacedæmoniorum cum Mardonio pugna, & Leonidæ Regis interitus: de quo uide Herodotum lib. 7.

Therſander, ſiue Therſandros, (θέρσανδρος) Polynicis filius fuit ex Argia, teſte Statio, qui unà cum cæteris Græcorum principibus ad Troiam nauigauit. Hunc Vergil. lib. 2. Aeneid. inter eos enumerat, qui tempore excidij Troiani in equo ligneo fuerunt occultati:

-Lætiq; (inquit) ſe robore promunt
Therſandrus, Stheneluſq; duces, & dirus Vlyſſes.

Therſilochus, (θόρσιλοχος) Antenoris filius, in bello

Troiano occiſus: quem Vergil. lib. 6. Aeneid. inter uiros fortes enumerat, qui etiam apud inferos arma tractent.

-Quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumq́; Medontaq́; Therſilochumq́;
Treis Antenoridas, Cereriq́; ſacrum Polybetem.

Therſites, (θέρσίτης) Græcorũ omnium fœdiſsimus fuit, idemq́; ignauiſsimus, quem Achilles ſibi procaciter conuitiantem pugni ictu interfecit. Huius inſignis deformitas ab Homero libr. 2. Iliad. graphicῶs expreſſa, effecit, ut cùm hominem uehementer fœdum ſignificare uelimus, θερσίτειον βλέμμα, id eſt, Therſitæ faciem eum habere dicamus. Iuue. Satyr. 8.

Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Aeacidæ ſimilis, &c.

Theſeus, (θησεὺς) Aegei regis Athenarum filius, ex Aethra Pithei filia, qui adhuc adoleſcens, opera Medeæ nouercæ pene ueneno perijt. Sed poſt mortem patris ad regnum euectus tam multa memoratu digna geſsit, ut inter plures Hercules unus connumeretur. Debellauit Amazonas, earumq́; reginam Hippolyten ſecum abduxit: ex qua & Hippolytum genuit. Creontem regem Thebanorum cadauera Argiuorum, qui Thebano in bello ceciderant, ſepeliri prohibentem interfecit. Oppreſsit & terribilem taurum in Attica. Minotaurum in Labyrintho occîdit, & Ariadnam Phædramq́; Minois filias clàm ſecum abduxit: ſed relicta Ariadna in Chio inſula, Phædrã ſibi coniugio copulauit. Scironẽ, Procruſtem, & Schinim latrones Atticæ neci dedit: debellauit Centauros: Thebas domuit. Pirithoũ præcipua coluit amicitia, quo cũ deſcẽdit ad inferos ad rapiendã Proſerpinam: ſed occiſo Pirithoo, ipſe aliquandiu in uinculis Plutonis fuit detentus,

donec

donec ab Hercule,*qui illum ſumma proſequebatur bene= uolentia,liberaretur.*Poſtremò *iam ſenior, tot tantiſq; re bus geſtis,patria regnoq; pulſus, in* Scyrum *inſulam na= uigauit : ubi & perijt,à rege* Lycomede *(ut quidam tra= dunt) interfectus, aut (ut alij malunt) cùm à cœna de= ambularet,ex loco edito delapſus.* A' Theſeo *fit patro= nymicum* Theſides, (θησείδης) *quo poëtæ utuntur pro* Hippolyto Theſei *filio.*Ouid.Epiſt.4.

Theſides,Theſeuſq; *duas rapuere ſorores.*

Item Theſeis,*idis,*(θησηΐς) *pro poëmate,* Theſei *geſta cō plectente.*Iuuenal.*Satyr.*1.

Vexatus toties rauci Theſeïde Codri.

Theſmophoria, (θεσμοφόρεια) *Cereris ſacra, quæ &* Cerealia *à Latinis, &* Initia *dicuntur.*Græci *enim* Cere= rem θεσμοφόρον *appellant,quaſi legiferam:quo etiam epi theto noſtri eam inſigniuerunt.*Verg.4.Aeneid.

-Mactant lectas de more bidentes

Legiferæ Cereri.

Prima *enim* Ceres *mortalibus leges dediſſe putatur,pro= pterea quòd ex agrorum diuiſione primùm nata credan= tur iura.*Ouid.5.*Metamorph.*

*Prima dedit leges:*Cereris *ſunt omnia munus.*

Théſpiæ, (θεσπιαὶ) *oppidum* Bœotiæ, Heliconi *proxi= mum,ſed eo magis* Auſtrale,Criſſæo *imminens ſinui,teſte* Strabone *lib.*9.*Numerantur autem* Theſpiæ *inter ea lo= ca, quæ* Muſis *conſecrata credidit antiquitas : unde &* Muſæ *ipſæ* Theſpiades *cognominantur.* Ouid.5.*Metam.*

-Nobiſcum,ſi qua eſt fiducia uobis,

Theſpiades *certate* Deæ.

Theſpis, (θέσπις) *Poëta fuit* Athenienſis, *qui primus* Tragœdiam *dicitur inueniſſe, & uicatim plauſtris cir=*

cumuexiſſe, actorumq́; faciem, quòd nondum repertus eſſet perſonarum uſus, fæcibus obleuiſſe. Horat. *in* Arte:

Ignotum Tragicæ genus inueniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris uexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent agerentq́; peruncti fæcibus ora.

Theſprótia, (θεσπρωτία) *Epiri regio Chaoniæ proxima, teſte Plinio in proœmio lib. 4. cuius incolæ dicuntur Theſproti,* (θεσπρωτοί *Stephano.*) *Lucan. lib. 3.*

Theſproti, Dryopesq́; ruunt.

Theſſália, (θεσσαλία) *regio Græciæ, ex una parte Bœotiam, ex altera Macedoniam habens, ad mare inter Peneum amnem, & Thermopylas extenſa: prius Aemonia dicta ab Aemone rege, & Pelaſgicon Argos, & Hellas, & Dryopis: ut eſt autor Plinius lib. 4. cap. 7. & 8. Olim etiam Pyrrhæa dicta eſt, teſte Strabone libr. 10. à Pyrrha Deucalionis uxore: cuius tempore (ut inquit Ariſtoteles) ingens imbrium illuuies maiorem partem populorũ Theſſaliæ abſumpſit, paucis, qui ad montium culmina ſeſe receperãt, conſeruatis. Inter quos Deucalion cùm Parnaſſum petijſſet, ratibus ad ſe confugientes, per ſumma Parnaßi iuga benignè fouebat. Propter quod dictus eſt genus humanum reparaſſe. In Theſſalia ſunt montes uigintiquatuor, quorum nobilißimi Olympus, Pierus, patria domusq́; Muſarum, Pelion, & Oſſa, gigantum bello memorati. Item Pindus, & Othrys Lapitharum ſedes. Flumina inſigniora ſunt Apidanus, Enipeus, Onochonus, Pamiſus, Peneus, & Phœnix.*

Theſtíades, (θεστιάδες) *filiæ Theſtij, (qui Erichthei, aut, ut alij uolunt, Teuthrantis filius fuit) numero quinquaginta, ex diuerſis mulieribus natæ; quas Hercules adhuc adoleſcens, ſed iam tum corporis robore præſtans, omnes*

uitia

uitiauit,totidemq; liberos maſculos ex ijs ſuſtulit, qui & ipſi ab aui nomine Theſtiadæ dicti ſunt. Hi poſt mortem patris cum Iolao illius ex Iphiclo fratre nepote, in Sardiniam profecti,multas in ea urbes condiderunt. Autor Diodorus libro quinto:

Théſtius,(θέςιος) Parthaonis filius, & pater Toxei, & Plexippi,& Althææ matris Meleagri:à quo illi quidem Theſtiadæ, hæc autem Theſtias appellatur.Ouid. 8. Metamorphoſeos:

-Ne titulos intercipe fœmina noſtros,
Theſtiadæ clamant.

Et paulò pòſt:

Theſtias haud aliter dubijs affectibus errat.

Théſtylis,(θέςυλις) mulieris ruſticæ nomen, apud Theocritum, & Vergilium 2.Eclog.

Theſtylis & rapido feßis meſſoribus æſtu
Allia,ſerpyllumq; herbas contundit olentes.

Theſtor,(θέςωρ) Idmonis & Laothoës filius, pater autem Calchantis,peritißimi Græcorum Auguris, qui à nomine patris Theſtorides à poëtis appellatur. Ouidius libro duodecimo Metamor.

-At ueri prouidus augur
Theſtorides, Vincemus,ait &c.

Thetis,idis,(θέτις) Nerei & Doridis filia, quam cùm Iupiter, pulchritudine eius captus, adamaret, uxoremq; ducere decreuiſſet, monitus eſt à Prometheo, ita eſſe in fatis,ut quicunq; ex ea naſceretur, patre maior eſſet futurus. Quare audita Iupiter,à nuptijs eius abſtinuit, ueritus,ne quemadmodum Saturnum patrem ſuum regno pepulerat, ita ipſe uicißim à filio cœli poſſeßione deijceretur. Thetidem autem poſtea Peleus uxorem duxit,

Aeaci filius, qui Achillem ex ea ſuſcepit. Vide de hac plu ra apud Ouid. lib. 11. Metamor. & ſuprà in nominibus Peleus, & Achilles.

Thiódamas, antis, (Θειοδάμας) *pater fuit Hylæ, adoleſcentis formoſiſsimi, quem Hercules, amore eius captus, Colchicæ expeditionis comitem aſſumpſit, eundemq; in Myſiæ ſyluis poſtea amiſit: ut latius docuimus ſuprà in dictione Hylas. Hinc Thiodamanteus, a, um. Propertius libro tertio,*

Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.

Thiodamas alius fuit Melampodis filius, teſte Statio libro quarto Thebaidos,

Inſignem fama, ſanctoq; Melampode cretum
Thiodamanta uolunt.

Thisbe, es, (Θίσβη) *puella fuit Babylonia, mutuo Pyrami uicini adoleſcentis amore capta: quorum miſerabilem exitum uide ſuprà in dictione Pyramus.*

Thoa, æ, *ſiue* Thoë, es, (θόη) *Nympha marina, Tethyos & Oceani filia, à natandi celeritate dicta. Heſiodus in Theogonia:*

Μηλόβοσίς τε, Θοή τε, καὶ εὐειδὴς Πολυδώρη.

Thoas, antis, (θόας) *Tauricæ regionis rex, ad quem delata eſt Iphigenia Agamemnonis filia, & ab eodem Dianæ Tauricæ ſacris præfecta. Hunc poſtea occidit Oreſtes, à ſorore adiutus, cùm illum quoq; Thoas Dianæ aræ deſtinaſſet. De hoc Ouid. lib. 3. de Ponto,*

Regna Thoas habuit Mæotide clarus in ora:
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.

Alter fuit Thoas, Lemni inſulæ rex, Liberi patris filius, ex Ariadne Minois filia, & pater Hypſipyles, ſolus filiæ pietate ſeruatus, cùm cæteræ omnes Lemniæ mulieres, ui-

ros

ros ſuos & parentes trucidarent. Ouid.*lib.7.*Metamor.

Tum primùm ſeſe trepidus ſub nocte Thyoneus
Detexit nato,portans extrema Thoanti
Subſidia,&c.

Idem in Epiſt.Hypſipyles *ad* Iaſonem:

En ego Minoo *nata* Thoante *feror.*

A' *Thoas fiunt patronymica* Thoantis,idos, & Thoantias:*quæ apud* Statium *frequenter occurrunt pro* Hypſipyle *Thoantis filia.*

Thoóſa,(θοώσα) *Phorci filia fuit,ex qua* Neptunus Polyphemum *ſuſcepit:ut placet* Homero *lib.1.*Odyß.

Thrácia,(θράκη)*latißima* Europæ *regio,* Macedoniæ *ad* Occaſum *proxima,* Neſſoq́; *flumine (ut* Ptolemæo *placet)aut (ut* Plinius *mauult)* Strymone *amne ab eadem dirempta: à* Septentrione Iſtrum *habens, ab* Oriente Pontum, *à* Meridie Aegæum *mare.* Thracia *dicta à* Thrace Martis *filio,aut certè à regionis aſperitate,quam* τραχῦνηνα *Græci appellant. Eſt enim hæc regio,teſte* Pomponio,*in primis aſpera,nec cœlo,nec ſolo tractabilis,& niſi quà mari propior eſt, frigida prorſus & infœcunda.* Eadem & Thraca *dicitur,* η *Græci nominis in* a *conuerſo.* Vergil.12.Aen.

-Gemit *ultima pulſu*
Thraca *pedum.*

Huius incolæ Thraces *dicuntur.* Idem 3.Aen.

Terra procul uaſtis colitur Mauortia *campis:*
Thraces *arant.*

Fœminæ autem Threiſſæ,(θρῇσσαι.)Idem.1.Aeneid.

-*Qualis equos* Threiſſa *fatigat* Harpalyce.

Hinc deducuntur denominatiua Thracius,(θράκιος) & Threicius,(θρηίκιος) Idem 5.Aen.

 -Quem

-*Quem Thracius albis*
Portat equus bicolor maculis.

Idem lib.ſexto,

Threicia fretus cithara fidibusq; canoris.

Thráſeas,(*θρασέας*) *Auguris nomen, qui in ſumma ſiccitate* Buſirim Aegypti *tyrannum adiens, oſtendit à ſuperis poſſe exorari pluuiam, ſi* Ioui *hoſpites immolaret.* Quærente *deinde tyranno, quiſnam & cuias eſſet, cùm ſe peregrinum profiteretur,* Tu *igitur primus, inquit* Buſiris, Aegypto *aquam dabis.* Ouid.3.de Arte,

Dicitur Aegyptus *caruiſſe rigantibus arua*
Imbribus, atque annis ſicca fuiſſe nouem:
Cùm Thraſeas Buſirin *adit, monſtratq; piari*
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Iouem.
Illi Buſiris, *fies* Iouis *hoſtia primus,*
Inquit, & Aegypto *tu dabis hoſpes aquam.*

Hunc tamen nonnulli Thraſium *potius, quàm* Thraſeam *malunt appellare.* Fuit & Thraſeas *alter,* Philoſophus Stoïcus *ſub* Nerone *: à quo cùm iuſſus eſſet mori, fletum ſuorum magna conſtantia compeſcuit: porrectisq; alacriter ad inciſionem brachijs, humũq; cruore aſpergẽs,* Hunc, *inquit, ſanguinem libemus* Ioui *liberatori.* Autor Tacitus *lib.16.* Meminit *huius &* Martialis *lib.1.*

Quod magni Thraſeæ, *conſummatiq;* Catonis &c.

Thraſumênus, (*θρασύμηνος*) *lacus in agro* Peruſino, Annibalis *uictoria, &* Flaminij Conſulis *clade nobilitatus.* De *hoc* Ouid.*lib.6.*Faſt.

Sunt tibi Flaminius, Thraſumenaq; *littora teſtes.*

Dictus à Thraſumeno *puero, quem ad hunc lacum* Aegyla *nympha dicitur rapuiſſe.*

Thryon, (*θρύον*) Meſſeniæ *oppidum, non ita procul ab*

Alpheo

Alpheo fluuio:huius meminit Homerus *in* Catal.*nauium, & Strabo lib.8.*

Thule,es,(θούλη)*inſula eſt in ditione Scotorum,in Septẽtrionem uergens,ultra* Orcadas,*latitudinem habens graduum* L X I I I.Quo *fit,ut circa æſtiuum ſolſtitium quàm breuißimæ ibi ſint tenebræ,Sole ab illorũ horizonte quàm minimum recedente : quemadmodum contrà circa ſolſtitium hybernum nihil ferè aut quàm minimum habent diei,* Sole Tropicum Capricorni *ab illis diſiunctißimum perambulante.* Hæc *extrema fuit earum , quæ in* Septentrio*nali* Oceano Romanis *fuerunt cognitæ:unde etiam à* Ver*gilio ultima* Thule *appellatur.1.*Georg.

Tibi(inquit)ſeruiat ultima Thule.

Thúrium,(θούριον) *urbs* Magnæ Græciæ, *olim nobilißima,ad ſinum* Tarentinum *ſita, inter* Crathin *&* Sybarin *amnes:à* Thuria *uicino fonte nomen habens.*Huius *incolæ* Thurij *dicti ſunt,&* Thurini,(θούριοι,καὶ θουρῖνοι) *qui cùm aliquandiu floruiſſent,à* Lucanis *in ſeruitutẽ tracti ſunt, teſte* Strabone *lib.6. & à* Tarentinis *infeſtati , tandem in* Romanorum *tutelam ſeſe dedere ſunt coacti,qui eò deducta colonia , urbem eorum pro* Thurio Copias *appellarunt.*Hinc Thurinus,*a,um.* Ouid.15.Metam.

Thurinosq; *ſinus,*Temeſamq;,*&* Iapygis *arua.*

Thuſcia,(τυῤῥηνία)*fœcũdißima* Italiæ *regio,à* Latio Ti*beri,à* Liguribus Macra *fluuio dirempta,alio nomine* He*truria appellata.* Dicta *ante* Thuſcia(*ut quidã exiſtimat*) ἀπὸ τοῦ θύειν,*quod eſt ſacrificare,propterea quòd* Tyrrhe*ni ſemper habiti fuerint religioſi , deorumq; cultui & ſacrificijs ad ſuperſtitionem uſq; dediti.* Hinc Thuſci *dicti ſunt regionis huius incolæ , qui &* Tyrrheni (τυῤῥηνοὶ)*dicuntur.*Luca.*lib.1.*

-*Flexa ſic omnia Thuſcus*
Inuoluens, multaq́; tegens ambage canebat.

Thuſſágetæ, *ſiue* Thyſſágetæ, (θυσσαγέται) *populi ſunt Scythici, ſupra Mæotidē paludē, rapto et uenatu uictitantes, teſte* Herodoto *lib.* 4. Pomponius *Thyrſagetas appellat, ſi modò emēdata ſit lectio.* Geloni *(inquit) urbem ligneā habitant: iuxta Thyrſagetæ Turcæq́; uaſtas ſyluas occupant, aluntur q́; uenando. Quo pacto & apud Valerium Flaccum legitur lib.* 6.

Non ego ſanguineis geſtantem tympana bellis
Thyrſageten, &c.

Thyíades, (θυάδες) *Bacchi ſacrificulæ, quæ & Bacchæ, & Mænades, & Baſſarides dicuntur.* Rationem *autem huius nominis quidam referunt ad Thyiam quandam Cephiſſi filiam, quæ prima omnium* Dionyſio *initiata, Orgia eius celebrauit, Bacchicoq́; furore correptis nomen reliquit, ut ab ea Thyiades dicerentur: teſte* Herodoto *li.* 7. *quāquam alij hanc non Cephiſſi, ſed Caſtalij cuiuſdam indigenæ filiam fuiſſe uolunt. Statius* 5. *Thebaïd.*

-*Veſano ueluti Teumeſſia Thyias*
Rapta deo.

Thyaſus, (θίασος) *ſaltatio, ſiue chorea dicitur, quæ Baccho exhibebatur, à uerbo θυάζειν, quod eſt Orgia celebrare.* Verg. 5. Eclog.

Inſtituit Daphnis thyaſos inducere Baccho.

Thyeſtes, (θυέστης) *filius Pelopis ex Hippodamia, ac Tantali nepos, qui cùm Atreo fratri, cui peſſimè cupiebat, aliter nocere non poſſet, uxorē eius per adulterium polluit. Atreus uerò ei filiū epulandū appoſuit. Ob quæ flagitia Sol, ne pollueretur, retrorſum curſum ſuū fertur conuertiſſe, ut latius ſuprà docuimus in dictione Atreus. Hinc*

Thyeſtēus,a,um,(θυέςειος.)Ouid.15.Metam.

Néue Thyeſteis cumulemus uiſcera menſis.

Thymbræus,(θυμϐραῖος)Apollinis cognomentum,ſiue à Thymbra Troadis campo, ſiue ab eiuſdem nominis urbe,in qua colebatur, impoſitum. Campo autem Thymbræ nomen factum putatur à Thymbræ herbæ copia,quã Latini cunilam uocant, cuius hoc in campo maximus eſt prouentus:ut annotauit Seruius in illud Verg.3. Aneid.

Da propriam Thymbræe domum.

Apollinis Thymbræi templum Strabo ea in parte Troadis fuiſſe tradit,qua Thymbrius fluuius in Scamandrum influit: quo in templo ferunt Achillem à Paride fuiſſe interemptum.Vnde factus eſt locus fabulæ, Achillem Apollinis ſagittis fuiſſe confixum.

Thymele,(θυμέλη)ſaltatricula fuit notiſsima Domitiani temporibus, cuius geſticulatione Domitianus impensè fertur delectatus.Martialis lib.1.

Qua Thymelen ſpectas,deriſoremq; Latinum,
Illa fronte,precor,carmina noſtra legas.

Thymœtes,(θυμοίτης)filius fuit Priami ex Ariſbe, aut (ut alij malunt) Ariſbes maritus, cuius uxor cùm filium peperiſſet eodem die, quo Hecuba Paridem, aſſerentibus hariolis,eo die natum eſſe puerum, cuius cauſa Ilium euerteretur,iuſsit Priamus utrunq; interfici. Et Paris quidem matris aſtu clàm traditus eſt educandus:Thymœtis autem puer eſt interfectus.Cuius iniuriæ ultione in multos annos dilata,Thymœtes cùm equi lignei dolum ſentiret, commodum ſibi uindictæ tempus oblatum ratus, primus autor fuit,ut in urbem reciperetur.Hæc ferè Seruius enarrans locum illum Vergilij,

-Primusq; Thymœtes

Duci

Duci intra muros hortatur, & arce locari,
Siue dolo, ſeu iam Troiæ ſic fata ferebant.

Thyóneus, (θυωνεὺς) *unum ex* Bacchi *cognomentis,* ἀπὸ τοῦ θύειν, *hoc eſt, à ſacrificando impoſitum, propterea quòd illi adhuc inter homines uerſanti ſacrificaretur. Quanquam non deſunt, qui id cognominis à* Semele *matre ſua eum uelint accepiſſe, quæ alio nomine dicta eſt* Thyone, (θυώνη.) Ouid. 4. Metamor.

Additur his Nyſeus, *indetonſusq́;* Thyoneus.

Tiberis, *qui &* Thybris, (θύβρις Dionyſio, καὶ θύμβρις Stepha.) *celeberrimus* Italiæ *fluuius, è media ferè longitudine* Apennini, Arretinorum *finibus defluens, qui multis deinde fluminibus auctus, ab* Hetruria Latiũ, Ianiculumq́; *ipſum ab urbe* Romana *dirimit, tandemq́; decimoquinto ab urbe lapide duobus oſtijs modico interuallo diremptis in mare euoluitur, ea in parte, qua* Ancus Martius Oſtiam *extruxit.* De *ratione nominis diuerſi diuerſa prodiderunt, adeò ut non facile fuerit certi aliquid conſtituere.* Liuius *à* Tiberino Albanorum *rege dictum exiſtimat, in traiectu eius ſubmerſo, cùm antea* Albula *diceretur.* In *qua ſententia* Ouidius *quoq́; fuiſſe uidetur, ſic ſcribens libro 2.* Faſtorum,

Albula, quem Tiberim *merſus* Tiberinus *in undis*
Reddidit, hybernis fortè tumebat aquis.

Seruius Tiberis *nomen ipſa etiam* Alba *uetuſtius eſſe contendit: ideoq́; nominis eius originem ad* Thybrin *potius* Hetruſcorum *regem referendum exiſtimat, qui* Latium *crebris latrocinijs infeſtans, tandem circa hunc fluuium eſt occiſus.* Quod & Vergilius *non obſcurè aſſerit, apud quem ſic loquitur* Euander *lib.* Aeneid. 8.

Tum reges, aſperq́; immani corpore Thybris:

A' quo

A quo pòſt Itali fluuium cognomine Thybrim
Diximus.

Alij non tã à regis huius nomine, quàm ab iniurijs & contumelijs, quibus in obuiũ queq; circa hũc fluuiũ graſſabatur, appellationẽ hanc tractam exiſtimant: unde Thybrim ſcribendum cõtendunt, quaſi τὴν ὕβριν, *ut dictionẽ conflatam intelligamus ex articulo fœminino, & nomine* ὕβρις: *quam ſcripturam etiam apud* Dionyſium Afrum *obſeruauimus.* Nos Thybridis *nomen antiquius eſſe putamus,* Tiberis *recentius, literis aliquot (ut ſolet) temporis lapſu immutatis. Quò fit, ut illud* Poëtis, *hoc* Oratoribus *ſit uſitatius.* Stephanus *quoq; in urbium* Onomaſtico *utrunq; nomen agnoſcit, niſi quòd apud illum* θύμβρις *legitur,* μ, *litera communi* Græcorum *conſuetudine adiecta.* θύμβρις *(in quit)* ποταμὸς ῥώμης, ὃς καὶ τίβερις. *Hiſce rationibus in eam potiſſimum ſententiam adducor, ut* Thybris *diſſyllabum, th, aſpirato, & y* Græco *ſcribendum putemus:* Triſſyllabum *autem* Tiberis, *t, tenui, & i, noſtro.* Quam *ſcripturæ rationem etiam à* Græcis *uidemus obſeruari, apud quos* τίβερις, τιβέριος, τιβερῖνος, τιβεριὰς, *& cætera omnia hinc deriuata per iota ſcribi uidemus.* Hinc Tiberinus, *a, um: ut,* Tiberina *oſtia, apud* Verg. 1. Aeneid.

Tiberînus, ini, (τιβερῖνος) *Capeti filius, &* Albanorũ *rex, qui in uicino flumine ſubmerſus, effecit, ut pro* Albula Tiberis *diceretur.* Liu. *lib.* 1. *ab* Vrbe: Latino Alba *ortus,* Alba Atys, Aty Capys, Capy Capetus, Capeto Tiberinus, *qui in traiectu* Albulæ *ſubmerſus, celebre ad poſteros nomen flumini dedit.* Tiberinus *item à ſuperſtitioſa antiquitate creditus eſt deus eſſe,* Tiberis *fluuij præſes, cuius monitu* Aeneas Euandri *ſibi auxilia adſciuit: de quo ſic ſcribit* Verg. *libr.* 8. Aeneid.

Huic

Huic deus ipſe loci fluuio Tiberinus amœno,
Populeas inter ſenior ſe attollere frondes
Viſus: eum tenuis glauco uelabat amictu
Carbaſus, & crines umbroſa tegebat arundo.

Quin & fluuius ipſe in ſacris dictus eſt Tiberinus, teſte Seruio, quemadmodum ἐν τῇ κοινολεξίᾳ *Tiberis, & in poëſi Thybris.*

Tibur, *(*τίβυρις, τίβυρα, καὶ τίβουρα *Stephano) ciuitas in Sabinis, decimoſexto ab urbe lapide, crebris fontibus irrigua, & ſingulari aëris temperie commendata. Ouid. 4. Faſtorum:*

Et iam Telegoni, iam mœnia Tiburis udi
Stabant.

Martialis libro ſexto Epigrammatum,

—Cùm mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt.

Eſt autem hoc oppidum origine Græcum, à Tiburto, Catyllo, & Corace, Amphiarai liberis, poſt prodigioſum patris ad Thebas interitum communiter conditum, & à Tiburti nomine, qui ex tribus natu maximus erat, Tibur appellatum. Autores Cato in Orig. Solinus, & Sextus ſcriptor Græcus. Hinc Tiburs, urtis, gentile. Vergil. 11. Aeneidos:

Haud aliter Tarchon Tiburtum ex agmine prædam
Portat ouans.

Ticînus, *(*τίκινος*) fluuius Inſubriæ, in Ticinum influens, à quo uicinum oppidum Ticinum eſt appellatum. Silius libro nono,*

Dum Romana tuæ Ticine cadauera ripæ
Non capiant.

Tigilînus Ophónius, *uir Romanus fuit uitæ corruptiſ-*

ruptiſſimæ, qui Neroni intimarum libidinum conſcientia cùm eſſet familiaris, plurimis ſummis uiris per calumniā exitium machinatus eſt. Poſtea rerum potito Othone, ad aquas Sueſſanas ſupremæ neceſſitatis nuntio accepto, inter concubinarum oſcula fauces ſibi præcidit, teſte Tacito lib. 17. Meminit huius & Iuuenalis Sat. 1.

Pone Tigillinum, teda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Tigránes, nis, (τιγράνης) rex fuit maioris Armeniæ, qui auxilium ferens Mithridati regi, uictus eſt primò à Lucullo, deinde à Pompeio Magno in deditionē acceptus eſt, & in regnū reſtitutus, perſolutis ſex talentorum millibus: ut eſt autor Strabo lib. 11. Lucan. lib. 2.

Tigranemq́; meum, nec Pharnacis arma relinquas.

Tigris, (τίγρις, Straboni & Ptolemæo) inſignis Aſiæ fluuius, qui in Armenia maiore, loco plano & conſpicuo naſcens, per Arethuſam lacū ita transfluit, ut neq; aquæ, neq; piſces commiſceantur. Occurrente deinde Tauro in ſpecum demergitur, & ab altero eius montis latere erūpit: & mox per Teſbitem lacum tranſuectus, rurſus in cuniculos mergitur, & poſt XXV. M. paſſ. luci redditur. Poſt hæc Meſopotamiam ab ortu alluit, tandemq́; in duo diuiſus cornua in Euphratem influit: à quo in Perſicum ſinū defertur. Dictus Tigris à curſus celeritate, propterea quòd ſagittæ (quam Tigrim ſua lingua Medi appellant) uelocitatem adæquare uideatur. Lucan. lib. 2.

Quaq́; caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, &c.

Timáuus, (τίμαυος) fluuius eſt Venetiæ, qui ex Alpibus defluens, terra abſorbetur, occultisq́; meatibus fertur ſtadijs trecentis & triginta, iterumq́; luci redditus, in mare

Adriaticum pluribus influit oſtijs, quæ accolæ ſinus Terge-ſtini fonticulos appellant. Verg. 1. Aeneid.

Antenor potuit medijs elapſus Achiuis
Illyricos penetrare ſinus, atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontes ſuperare Timaui:
Vnde per ora nouem uaſto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arua ſonanti.

Tiphys, yos, (τίφυς) *primæ nauis, quæ Argo dicta eſt, gubernator fuit, & Argonautarum in Colchica expeditione ſocius.* Verg. 4. Eclog.

Alter erit tum Tiphys, & altera, quæ uehat Argo
Delectos herôas, &c.

Ouidius 2. de Arte:

Tiphys in Aemonia puppe magiſter erat.

Tiréſias, (τειρεσίας) *uates Thebanus fuit, Euero patre genitus, qui cùm aliquando in Cithærone uidiſſet duos dracones coëuntes, obſeruata fœmina ex ijs, occidit illã: quo facto in fœminam & ipſe mutatus eſt. Deinde cùm rurſus poſt ſeptem annos eodem pacto & marem draconem interfeciſſet, in priſtinam formam redijt. Quo factũ eſt, ut exorto poſtea iocoſo inter Iouem & Iunonem certamine, uirine, an fœminæ maiorem ex Venere uoluptatem caperent, ille potiſsimum iudex ſit adhibitus, ut qui utrunq; fuiſſet expertus. Tireſias autem pro Ioue ſententiam tulit, aſſerens multo plus ex coitu uoluptatis percipere fœminas. Ob quod à Iunone excæcatus eſt. Alij uerò propterea excæcatum dicunt, quòd Palladem nudam in fonte conſpexiſſet. Iupiter autem in ſolatium uiſus amiſsi diuinationis peritiam illi dedit.* Stat. lib. 10. Thebaid.

—Sibi callidus iſta
Tireſias natæq; canat, &c.

Huius

Huius animam euocat Vlyſſes apud Homerum libr. 10. Odyß. multaq; ab ea futura edocetur. Autor eſt Strabo lib. 9. Tireſiæ monumentum fuiſſe ſub Tilphoſſo monte Bœotiæ, iuxta fontem eiuſdem nominis, ubi profugus diẽ ſuum obijt, cùm iam ſenex gelidißimam Tilphoſſæ aquam hauſiſſet: ibidemq́; Thebanos ſepulto diuinos honores tribuiſſe. Iuuenalis Satyr. 13. Tireſiã appellatiuè poſuit pro homine cæco, cùm ait,

Nec ſurdum, nec Tireſiam quenquam eſſe deorum.

Tiryns, ynthos, (τίρυνς) agri Argiui oppidum, iuxta eiuſdem nominis fluuium, Hercule alumno nobilitatum, qui ob id Tirynthius cognominatur. Verg. 8. Aeneid.

Ecce furens animis aderat Tirynthius heros.

Titan, anis, ſiue Titânus, ni, (τιτὰν) Cœli & Veſtæ filius, & frater Saturni, natu maior, ad quem quamuis paternæ hæreditatis ius pertineret, quoniam tamen matrem & ſororem in Saturnum propenſiores eſſe ſentiebat, ſuo illi iure ea ceßit lege, ne quam ſobolem maſculam educaret, ſed cœli imperium ad liberos ſuos rediret. Verùm cùm poſtea Opis dolo factum intelligeret, ut primùm Iupiter, deinde & Neptunus, & Pluto clàm eſſent educati, eaq; uia liberos ſuos auita ſucceßione deiectos uideret: unà cum filijs ſuis (qui & ipſi Titanes dicebantur) bellum aduerſus fratrem ſuſcepit: cuius exitus is fuit, ut uictus prælio Saturnus, unà cum matre & ſorore in hoſtium manus peruenerit, arctißimæq; cuſtodiæ fuerit incluſus: donec adultus Iupiter uictis Titanibus eum liberauit. Ex Titanum numero fuit Hyperion, pater Solis: quò factum eſt, ut Poëtæ Titanem non rarò pro ipſo accipiant Sole. Ouid. 1. Metamor.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan.

Hinc Titanius,a,um. Vergil. 6. Aeneid.

Lucentemq́; globum Lunæ, Titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit.

Titaréſius, (τιταρήσιος Homero) *fluuius eſt* Theſſaliæ, *qui in* Titaro *monte, (qui* Olympo *uicinus eſt) ortum habens, decurrensq́; uerſus plagam* Tempe *contingentem, in* Peneum *influit: ob aquarum tamen craßitudinem illi non admiſcetur, ſed in modum olei ſuperfluit.* Plinius Euroton *uocat libr. 4. cap. 8.* Lucanus Titareſum *appellat per quatuor ſyllabas lib. 6.*

Solus in alterius nomen cùm uenerit undæ,
Defendit Titareſus *aquas, lapſusq́; supernè*
Gurgite Penei *pro ſiccis utitur aruis.*

Tithônus, (τιθωνὸς) *Laomedontis Troianorum regis filius, qui cùm ob formæ præſtantiam ab* Aurora *adamaretur, ab eadem raptus eſt, & curru eius in* Aethiopiam *auectus: ubi &* Memnonem *ex ea genuit. Fabulantur* Poëtæ, *hunc ſummi muneris loco longißimam uitam ab* Aurôra *petijſſe: eaq́; impetrata, cùm ætates plurimas uixiſſet, decreſcente quotidie ex ſenio corpore, tandem in cicadam uerſum fuiſſe.* Horat. 2. Carm. Ode 16.

Longa Tithonum *minuit ſenectus.*

Titij, *ſacerdotes fuerunt* Apollinis, *à* Titijs *auibus, quas in augurijs certis obſeruare ſolebant, ſic appellati, ut ait* Varro *lib. 4. de* Ling. Lat. Lucanus *lib. 1.*

Et doctus uolucres augur ſeruare ſiniſtras,
Septemuiriq́; epulis feſtis, Titijq́; *ſodales.*

Tityus, (τίτυος) Iouis *filius fuit ex* Elara Orchomeni *filia, quam cùm* Iupiter *compreßiſſet, grauidamq́; reddidiſſet, ueritus* Iunonis *indignationem, intra terræ uiſcera eam occultauit. Inſtante uerò legitimo partus tempore,*

pore, Elara miræ magnitudinis puerum enixa eſt, qui quòd dehiſcēte terra luci redditus eſſet, Terræ filius creditus eſt. Hic cùm poſtea adultus, Iunonis inſtinctu Latonam de ſtupro interpellaſſet, uimq; illi inferre conatus eſſet, Iouis fulmine ictus, aut, ut alij malunt, Apollinis telis confixus eſt, & ad inferos detruſus: ubi humi exporrectus nouem terræ iugera dicitur occupare, iecurq; perpetuò cum Luna renaſcens, uulturi, aut (ut Hygino placet) ſerpenti exedendum præbere. Ouid. 4. Metamor.

-Viſcera præbebat Tityus lanianda, nouemq;
Iugeribus diſtractus erat.

Tlepólemus, (τληπόλεμος) Herculis & Aſtioches filius, quam ex Ephyra urbe Peloponneſi rapuerat, (ut eſt autor Homerus in nauium Catalogo) clarus rebus bellicis, corporisq; proceritate inſignis. Hic cùm adoleuiſſet, Licymnium auunculum ſuum Marte progenitum, & patri ſuo chariſsimum iam ſenem interfecit. Propter quod fabricatis nauibus contractaq; iuuenum manu, patriam reliquit, Rhodumq; tenuit, in qua trium urbium regnum obtinuit. Belli uerò Troiani tempore nouem nauium claſſe Græcis ſuppetias tulit: quo in bello à Sarpedone Iouis filio fuit interfectus.

Tmolus, (τμῶλος) Lydiæ mons, Sardibus incumbens, ex quo Pactolus amnis profluit, aureas trahēs arenas. Ouid. 6. Metamorph.

-Riget arduus alto
Tmolus in aſcenſu, cliuoq; extenſus utroq;
Sardibus hinc, paruis illinc finitur Hypæpis.

Antiquis Timolus dicebatur per tres ſyllabas. Plin. libr. 5. ca. 29. Celebratur Lydia maximè Sardibus in latere Tmoli montis, qui antè Timolus dicebatur. Ouid. 6. Metam.

Deſeruere ſui nymphæ uineta Timoli.

Tómarus, (τόμαρος Straboni & Stephano) mons eſt Theſprotiorum, Dodonæo oraculo imminens, centū fontibus inclytus, qui & Tmarus dicitur per conciſionem. Strabo libro 7. Ἡ Δωδώνη τοίνυν τὸ μὲν παλαιὸν ὑπὸ Θεσπρωτοῖς ἦν, καὶ τὸ ὄρος ὁ Τόμαρος, ἢ Τμάρος, (ἀμφοτέρως γὰρ λέγεται) ὑφ᾽ ᾧ κεῖται τὸ ἱερόν, &c. Dodona (inquit) olim ſub Theſprotijs erat, & mons Tomarus, ſiue Tmarus, (nam utroq; modo dicitur) cui ſubiacet oraculum.

Tomos, (τομὶς Straboni) ciuitas in Ponto, Ouidij exilio nota: ab eo dicta, quòd illic Medea Abſyrti fratris mēbra fruſtulatim conciderit: ut patrem inſequentem remoraretur. Ouid. 3. Triſtium:

Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
 Membra ſoror fratris conſecuiſſe ſui.

Conditam apparet à Mileſijs: quod & ipſum teſtatur idē Ouid. lib. Triſt. 1.

A' quibus aduenit Miletida ſoſpes ad urbem,
 Offenſi quò me contulit ira Dei.

Torquatus, cognomen Titi Manlij, à torque impoſitum, quem occiſo ad Anienem Gallo detraxit. Hic eſt ille Torquatus Manlius, cuius iniuſſu cùm filius aduerſus hoſtem, à quo prouocatus fuerat, pugnaſſet, eoq; occiſo equeſtria ſpolia uictor ad patrem tuliſſet, ſubitò eum, quòd aduerſus edictum ſuum, & rei militaris diſciplinam feciſſet, uirgis cæſum ſecuri iuſſit percuti. Verg. 6. Aen.

-Sæuumq; ſecuri
Aſpice Torquatum.

Trachin, inis, (τραχὶν Straboni) oppidū eſt in finibus Phthiotidis, ad Oetam montem, & Thermopylarum anguſtias,

ſtias,à loci aſperitate nomen habens, cùm alio nomine ab Hercule conditore Heraclea *dicatur, teſte* Plinio *libr.4. cap.8.* In *hac urbe* Ceyx *regnauit,* Alcyones *maritus, quẽ* Poëtæ *idcirco* Trachiniũ *cognominant.* Ouid.11. *Metam.*

-Hunc contra placido Trachinius ore
Talibus alloquitur.

Trallis,ium,(Τράλλεις) *Aſiæ urbs,inter* Mæandrum *&* Cayſtrum *fluuios, à* Plinio *&* Ptolemæo *Cariæ, à* Strabone *Ioniæ, à* Stephano *Lydiæ annumerata, alijs nominibus* Euanthia, Seleucia, *&* Antiochia *appellata.* Iuuenal. *Satyra 3.*

Hic alta Sicyone, aſt hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis,
Exquilias, dictumq; petunt à uimine collem.

Trébia,(Τρεβίας) *Galliæ Ciſalpinæ fluuius, non procul à* Placentia, *ex* Apennino *defluens, iuxta quem* Annibal L. *Sempronium Conſulẽ maxima clade profligauit.* Lucan. *libro ſecundo,*

-Quid non in Punica nati
Tempora Cannarum fuimus, Trebiæq; iuuentus.

Trébula, (Τρεβύλη) *oppidum fuit* Sabinorum, *cuius incolæ dicti ſunt* Trebulani, *quos* Plinius *collocat in quarta* Italiæ *regione. Apud hos præſtantiſsimi fiebant caſei,qui à loco dicti ſunt* Trebulani: *de quibus* Martialis *lib.14.*

Trebula nos genuit: commendat gratia duplex;
Siue leui flamma, ſiue domemur aqua.

Tréuiri,(Τρήβιροι, Ptolemæo) *populi* Galliæ *inter* Belgas, *ad* Moſellam *fluuium,* Leucis *&* Mediomatricibus *finitimi, uetuſti ſanè, nomenq; retinentes, nec priſtinæ cedentes famæ: apud quos inſignis olim fuit cognoſcendarum cauſarum populi* Romani *curia,* Treuirorum *cognominata.*

Cuius in Floriano meminit Vopiſcus. Luca. lib. 1.

Tu quoq; lætatus conuerti prælia Treuir.

Trinácria, (τρινακρία) *inſula eſt maris Tyrrheni, anguſtiſſimo freto ab Italia dirempta, cum qua olim creditur cohæſiſſe: unde Siciliam dictam uolunt à Siciliendo, hoc eſt, abrumpendo. Eadem quoq; à triangulari figura dicta eſt Triquetra. Trinacria autem à tribus promõtorijs, Pachyno ſcilicet, Lilybæo, & Peloro. Græci enim ἄκρα iuga uocant, uel promontoria. Verg. 3. Aeneid.*

–Sic deniq; uictor

Trinacria fines Italos mittêre relicta.

Et paulò pòſt:

–Intremere omnem Murmure Trinacriam.

Hinc Trinacris, (τρινακρὶς) denominatiuum fœmininũ. Ouidius 2. Faſtorum,

Terra tribus ſcopulis uaſtum procurrit in æquor,

Trinacris à poſitu nomen adepta loci.

Item Trinacrius, a, um, (τρινάκριος) id eſt, Siculus. Verg. 3. Aeneidos,

Præſtat Trinacrij metas luſtrare Pachyni.

Triptólemus, (τριπτόλεμος) *Eleuſij (ut Hygino placet) aut (ut Pauſanias mauult) Celeï Eleuſinis regis filius, qui primus in Græcia agriculturæ rationem creditur inueniſſe. Eleuſin (inquit Seruius) ciuitas eſt Atticæ prouinciæ, non longè ab Athenis, in qua cùm regnaret Celeus, & Cererem filiam quærentem, liberaliſſimè hoſpitio ſuſcepiſſet, illa pro remuneratione oſtendit ei omne genus agriculturæ. Filium quoque eius Triptolemum recèns natum, per noctem igne fouit, per diem diuino lacte nutriuit: & eum impoſitum, qui alatis ſerpentibus trahebatur, per totum orbem miſit, ad uſum frumentorum*

homin

hominibus indicandum. Verg. *in* Culice:

Quercus antè datæ, Cereris quàm ſemina, uitæ,
Illas Triptolemi mutauit ſulcus ariſtis.

Vide *de hoc plura ſuprà in dictione* Ceres.

Triton, onis, (τρίτων) *deus marinus,* Neptuni *&* Salaciæ *marinæ nymphæ filius, quem poëtæ fingunt* Neptuni *tubicinem eſſe.* Ouid. 2. Metamorph.

Cæruleos habet unda deos, Tritona canorum,
Proteaq́; ambiguum.

Eſt præterea Triton Africæ *fluuius, ex* Tritonide *palude erumpens: à cuius nomine* Pallas Tritonis *&* Tritonia *eſt appellata, quòd circa hunc fluuium, uel lacum primùm apparuerit.* Verg. 2. Aeneid.

Nec dubijs ea ſigna dedit Tritonia *monſtris.*

Triuia, (τριοδῖτις) *Dianæ cognomentum, ab eo impoſitum, quòd triuijs præeſſet, unde & tres facies habere fingebatur.* Ouid. 3. de Pont. Eleg. 2.

Protinus immitem Triuiæ ducuntur ad aram,
Euincti geminas ad ſua terga manus.

Vergil. 6. Aeneid.

– Atq; unà Phœbi, *Triuiæq́; ſacerdos.*

Troas, Troadis, (τρωὰς) *regio eſt Aſiæ minoris, quam* Ptolemæus *minorem* Phrygiam *appellat,* Helleſponto *adiacens.* Hanc Homerus *ab* Aeſepo *fluuio uſq; ad* Caici *fluminis oſtia produxit.* Plinius *autem cæteriq; recentiores* Lecto *promontorio eam ab* Aeolide *diuidunt. In ea fuit* Ilion, *mille quingentis paßibus à portu diſtans,* Homeri *&* Vergilij *carminibus nobilißimum.*

Trœzen, ênis, (τροιζὴν) *oppidum fuit* Peloponneſi, *ad ſinum* Argolicum, Pitthei *olim regia, &* Theſei *patria, qui inde à* Poëtis Trœzenius *appellatur.* Ouid. 5. Metam.

Hic Ixionides, illic Trœzenius heros.

Troia, (τροία) *regio minoris Aſiæ, teſte Seruio, cuius caput fuit Ilium, Homeri Vergilijq́; carminibus notiſsimũ: ita dicta à Troë rege Erichthonij filio, cùm antea à Teucro Teucria, & à Dardano Dardania diceretur. Non raro tamen Troia à Poëtis pro ipſo accipitur Ilio. Ouid. in Epiſt. Penelopes ad Vlyſſem:*

– Troia iacet ce rtè, Danais inuiſa puellis

Vergil. 3. Aeneidos,

– Et campos, ubi Troia fuit.

Hinc Troianus, a, um: ut opes Troianæ, apud Vergil. 2. Aeneid. Item Troïus, a, um, (τρώϊος) ut, Troïa gaza, apud eundem 1. Aeneidos.

Tróilus, (τρώϊλος) *Priami & Hecubæ filius, qui iuuenili audacia ferox, cum Achille congredi non dubitauit: à quo nullo negotio interemptus, temeritatis ſuæ pœnas dedit. Vergil. 1 Aeneid.*

Parte alia fugiens amiſsis Troïlus armis,
Infelix puer, atq; impar congreſſus Achilli,
Fertur equis, curruq; hæret reſupinus inani.

Tros, Troïs, (τρῶς) *rex fuit Troianorum, Erichthonij filius, & pater Ili, Aſſaraci, & Ganymedis, à quo Phrygia minor Troas appellata eſt. Verg. 3. Georg.*

Aſſaraci proles, demiſſæq; ab Ioue gentis
Nomina, Trosq; parens, & Troiæ Cynthius autor.

Quin & Troiani ab huius nomine Troës dicti ſunt. Vergilius primo Aeneidos,

Egreſsi optata potiuntur Troës arena.

Tullus Hoſtilius, *tertius Romanorum Rex, ne ipſo quidem Romulo belli gloria inferior, qui pop. Romanum otio, pacisq; artibus ſub Numa aſſuetum, ad belli ſtudia re-*

uocauit.Verg.6.Aeneid.

-Cui deinde ſubibit
Otia qui rumpet patriæ,reſidesq́; mouebit
Tullus in arma uiros,& iam deſueta triumphis
Agmina,&c.

Túſculum, (τουσκλανὸμ, καὶ τόυσκλομ *Straboni*) *Latij oppidum,* XII.*ab urbe lapide arduo in colle ſitum, opus Telegoni, Vlyßis & Circes filij.* Hinc *Tuſculus, a, um. Silius libro ſeptimo,*

Quod peperere decus Circæo Tuſcula dorſo
Mœnia,Laërtæ quondam regnata nepoti.

Tyâna, (τύανα) *Cappadociæ ciuitas, ad radices Tauri montis, patria Apollonij, ſiue ille Magus, ſiue Philoſophus fuit : cuius uitam fabuloſißimo uolumine exequitur Philoſtratus.* Hinc *Tyanëus, a, um,* & *quandoque Tyaneïus per quinque ſyllabas. Ouidius octauo Metamorphoſeos,*

-Oſtendit adhuc Tyaneïus illic
Incola de medio uicinos corpore truncos.

Tyberis, Tyberias, Tyberius, Tyberinus, Tybur, Tyburs, & Tyburtinus, & *ſiqua alia ſunt id genus, rectius i, noſtro ſcribuntur,cùm præſertim etiã apud Græcos per iota ſcribantur. Quapropter eorum ſignificationem uide ſuprà ſuis locis.*

Tyche,es, (τύχη) *Nympha marina, Oceani & Tethyos filia.Heſiodus in Theogonia:*

Ἐυδώρη τε,Τύχη τε,καὶ Ἀμφιρὼ,Ὠκυρόη τε.

Fuit item Tyche,una ex quatuor Syracuſanæ urbis partibus,à nobili Fortunæ templo denominata: cuius meminit Cicero 6.Verr.

Tychius, (τυχίος) *celeberrimi fabri nomen apud Homerum*

merum 7. Iliad. qui Aiacis clypeum ſabricauit. Ouidius tertio Faſtorum,

Nec quiſquam inuita faciet bene uincula plantæ
Pallade, ſit Tychio doctior ille licet.

Tydeus, (τυδεύς) *filius Oenei regis Calydoniæ, & Eribœæ, uel, ut alijs placet, Althææ: qui quum fratrem ſuum Menalippum inſcius occidiſſet, ad Adraſtum regem perfugit, cuius filiam Deiphilen coniugem duxit. Poſtea à Polynice, qui alteram Adraſti filiam, Argiam nomine uxorem habebat, legatus ad Eteoclem, regem Thebarum miſſus eſt, ut pacti memor fratri regnum redderet. Ad quē cùm ueniſſet, regiamq; eſſet ingreſſus, Eteocles negauit ſe regno ceſſurum eſſe. Quo reſponſo Tydeus uehementer commotus eſt, ita ut non ſit ueritus & hoſtis, & ſolus, Thebanos omnes quotquot tum fortè cum Eteocle eſſent in conuiuio, ad quodlibet certaminis genus prouocare. Atq; ut animosè prouocauit, ita omnes (ſic illi Pallas propitia erat) ſtrenuè uicit. Quamobrem Thebani dolore ac indignatione accenſi, reuerſuro inſidias tetenderunt, collocatis ad opportunum locum, quà Tydeus tranſiturus erat, quinquaginta iuuenibus, cum duobus ducibus, Mæone Aemonis, & Lycophonte Autophoni filio: quos Tydeus in ſe impetum facientes trucidauit, uni tantum parcens Mæoni, quem acceptæ cladis nuntium ad Eteoclem remiſit. Profectus deinde unà cum Polynice & Adraſto, reliquisq; Græciæ principibus ad bellum Thebanum, poſt multas res præclariſſimè geſtas, à Menalippo quodam Thebano letaliter uulneratus, occubuit. Vide hæc latius in Statij Thebaïde.*

Tydides, dæ, (τυδείδης) *patronymicum maſcul. à Tydeo deductum: quo Poetæ utuntur pro Diomede Tydeï filio.*

ſilio. Verg. 1. Aeneidos,

–O' Danaûm fortiſsime gentis
Tydide.

Horat. 1. Carm. Ode ſexta,

Quis Martem tunica tectum adamantina
Dignè ſcripſerit, aut puluere Troïco
Nigrum Merionen, aut ope Palladis
Tydiden ſuperis parem?

Tyndarus, (τύνδαρος) rex fuit Oebaliæ, & maritus Ledæ, quæ eodem tempore duo peperit oua, è quorum altero, quod ex Ioue conceperat, excluſi fuerunt Pollux & Helena: ex altero, quod conceperat ex Tyndaro, Caſtor & Clytæmneſtra. Ex his priores duo immortales fuerunt, poſteriores mortales. Mortuo tamen Caſtore, Pollux à Ioue impetrauit, ut ſibi cum fratre immortalitatem communicare liceret, alternisq; cum illo uitam morte commutare. Cui fabulæ occaſionem ſubminiſtrauit ſiderum illorum natura, quæ talis eſt, ut uno oriente, alterum occidat. Ambo autem à Poëtis dicuntur Tyndaridæ, non quòd uterq; è Tyndaro fuerit natus: ſed καταχρηστικῶς, quemadmodum Herculem ijdem appellant Amphitryoniaden. Sic etiam Helenam Tyndaridem uocant, quæ tamen fuit Iouis, non Tyndari filia. Alioqui ſi mortali patre nata fuiſſet, tot ſecula uiuere non potuiſſet. Conſtat enim fratres eius cum Argonautis nauigaſſe. Argonautarum autem filij cum Thebanis dimicauerunt. Horũ uerò filij bello Troiano interfuerunt. Dicimus & Tyndareos, ſeu Tyndarëus, per quatuor ſyllabas. Ouid. in Epiſtola Hermiones:

Me tibi Tyndareus, uita grauis autor & annis,
Tradidit.

Typh

Typhoeùs, *per tres ſyllabas, eu, diphthongum in ulti-ma habens,* (τυφωεὺς) *unus è* Gigantibus, Terr*æ & Ti-tani filius, quem illa* Ioui *irata in perniciem cœleſtium fertur edidiſſe.* Hic *cùm in ingentem corporis molem ad-oleuiſſet, eò uæcordiæ prouectus eſt, ut* Iouem *de cœli poſſeſsione deijcere conaretur. Quapropter fulmine ab eodem ictus eſt, & ſub* Inarimen *inſulam detruſus: ut placet* Homero *in* Catalogo. Verg. 9. Aeneid.

Tùm *ſonitu* Prochyta *alta tremit, dirumq; cubile*
Inarime Iouis *imperijs impoſta* Typhoeo.

Lucanus *libro quarto,*

Conditur Inarimes *æterna mole* Typhoeus.

Ouidius *tamen lib. 5.* Metamorph. *&* Strabo *libr. 13.* Pin-darum *ſecuti, in* Sicilia *ſub* Aetna *monte ſepultum uo-lunt.* Hinc Typhoëus, *a, um,* (τυφώειος) Vergilius *primo* Aeneidos,

Nate *patris ſummi, qui tela* Typhoëa *temnis.*

Typhon, (τυφὼν) *unus ex* Gigantibus, Titani *&* Ter-*ræ filius, qui alio nomine* Typhoeus *dicitur.* Seneca *in* Hercule *furente:* Non *tam ferum* Typhonem *neglecto* Ioue *irata* Tellus *edidit quondam parens. Huius autem nominis prior ſyllaba producitur, cùm in* Typhoeus *pri-ma corripiatur.* Ouidius 2. Faſtor.

Terribilem *quondam fugiens* Typhona Dione.

Fuit *& alter* Typhon, *teſte* Diodoro, Oſiridis Aegyptio*rum regis frater, qui illo interfecto, & in partes quinque & uiginti diſcerpto, regnum occupare eſt conatus.* Tan-*dem tamen ab* Iſide *uictus, meritas impietatis ſuæ luit pœnas.*

Tyras, ræ, (τύρας) *ſiue (ut apud* Plinium *legitur)* Ty-*ra, fluuius* Sarmatiæ Europææ, *inter* Iſtrum *&* Bory-

ſthen

ſthenem in mare Euxinum *illabens:ut eſt uidere apud* Pto*lemæum lib.3.cap.5.*Ouid.4.de Ponto,Eleg.10.

Partheniusq́; rapax,& uoluens ſaxa Cynapes
Labitur,& nullo tardior amne Tyras.

Tyro,(*τυρὼ*) *uirguncula fuit* Theſſala,*Salmonei filia,ex qua* Neptunus Neleum *&* Peliam *ſuſcepit.* Propertius *libro ſeptimo,*

Vobiſcum eſt Ioppe,*uobiſcum candida* Tyro,*&c.*

Tyrrhéni,(*τυῤῥηνοὶ*) *populi ſunt* Italiæ,*inter* Macram *&* Tyberim *fluuios incolentes, quos* Latini Hetruſcos *appellant, &* Thuſcos. *Tyrrhenos autẽ* Græci *nominarunt à* Tyrrheno Atyos *filio, qui è* Lydia *colonos in hãc regionem deduxit.* Atys *enim ex poſteritate* Herculis *&* Omphales *unus,quum ſterilitate ac fame populum ſuũ emittere cogeretur, è duobus filijs, ſorte iacta,* Lydum *quidem regni ſucceſſorem tenuit,* Tyrrhenum *autem cum bona populi parte ad quærendas nouas ſedes emiſit : qui cùm poſt longos errores in inferi maris ora ſedes fixiſſet, totum eum tractum de ſe* Tyrrheniam, *& mare ipſum* Tyrrhenum *appellauit.* Verg.*lib.7.*

Primus init bellum Tyrrhenis *aſper ab oris*
Contemptor diuûm Mezentius,*&c.*

Tyrrhênum mare,(*τυῤῥηνὸν θάλασσα Stephano*)*idem eſt cum mari infero : ita dictum quòd* Tyrrheniam, *hoc eſt,* Thuſciã *alluat:unde &* Thuſcum *dicitur.* Vel *à* Tyrrhenis *nautis,qui ſe in hoc mare præcipitauerunt.* Nanq; *hoc habet fabula:* Dormientem *in littore* Liberum *patrẽ adhuc puerum nautas abſtuliſſe* Tyrrhenos:*qui quum eſſet experrectus in naui,quò duceretur, interrogauit.* Reſponderunt *illi,* Quò *uellet.* Liber *ait,* Ad Naxum *inſulam ſibi ſacratam. Sed cùm aliò uela deflecterent, iratum*

numen

numen tigres ſibi ſacratas oculis eorum obiecit: quo terrore ſe illi in fluctus dedere præcipites, ſtatimq́; in delphines ſunt transformati: ut fabulatur Ouid. 3. Metamor. *& poſt eum* Seruius *in illud* Vergilij 1. Aeneidos:

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.

Tyrrheus, (τυῤῥεύς) *Latini regis armentarius, cuius ceruus manſuetus ab* Aſcanij *comitibus occiſus, primam belli cauſam præbuit inter* Troianos *&* Latinos. *Hinc* Tyrrhides *patronymicum, maſc.* (τυῤῥείδης) Ver. 7. Aeneid.

Ceruus erat forma præſtanti & cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri, quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheusq́; pater, cui regia parent
Armenta, & latè cuſtodia credita campi.

Tyrus, (τύρ☉) *urbs totius* Phœnices *olim celeberrima, una ex iis, quæ* Tripolim *efficiunt, olim inſula, ſed* Alexādri *operibus continenti coniuncta.* Tyrus *(inquit* Plinius *lib. 5. cap. 19.) quondam inſula, præalto mari ſeptingentis paßibus diuiſa: nunc uerò* Alexandri *eam oppugnantis operibus continens. Olim portu clara, urbibus genitis* Lepti, Vtica, *& illa* Romani Imperij *æmula, terrarum orbis auida,* Carthagine, *etiam* Gadibus *extra orbem conditis. Nunc omnis eius nobilitas conchylio, & purpura conſtat. Olim* Sarra *fuit nuncupata, ut ait* Gellius *lib. 14. cap. 6. Vnde* Sarranum *oſtrum pro purpura* Tyria *dicimus.*

V

VAcūna, *ruſticorū dea, quæ præeſſe uacantibus, & otioſis putabatur: cui cùm agricolæ à laboribus ruris uacarent, ut poſt perceptos fructus requieſcerent, per hyemem, uota ſoluebant, & ſacrificabant.* Oui. lib. 6. Faſt.

Nam quoq; cùm fiunt antiquæ ſacra Vacunæ,
Ante Vacunaleis ſtantq́; ſedentq́; focos.

Hæc in agro Reatino inſignia habebat nemora, quorum meminit Plinius lib.3.capite 12.

Vagéni,*populi Alpini,ex Caturigibus oriundi.Plin.lib.3.capite 20.Inter Alpinas genteis finitimi Centrones,& Cotianæ ciuitates,Caturiges, & Caturigibus orti Vageni Ligures.Silius:*

Tum pernix Ligur,& ſparſi per ſaxa Vageni.

Vangíones,*populi ſunt Galliæ Belgicæ, Coloniæ Agrippinenſi finitimi:hodie Vormacienſes. Lucan.libro 1.*

Et qui te laxis imitantur Sarmata bracchis
Vangiones.

Meminit horum Cornel. Tacitus lib.20. & Plin.lib.4.capite decimo ſeptimo.

Varius,*Poëta Tragicus fuit, Vergilij & Horatij familiaris,unus ex ijs,quibus Auguſtus Aeneïdem commiſit emendandam.Horat.1.Serm.Sat.5.*

Plotius,& Varius Sinueſſæ,Vergiliusq́;
Occurrunt,&c.

Varus,*(ὄύαρ⊕ Straboni)fluuius eſt Galliam Narbonenſem à Liguria dirimens. Varus Quintilius, Galliæ Ciſalpinæ præfectus fuit ſub Auguſto, cuius auxilio Vergilius amiſſos recuperauit agros,cuius beneficij memor Poëta, ſexta illum Ecloga miris laudibus in cœlum extollit. Hic poſtea Germanicano exercitui præfectus, dum fœderibus nuper initis plus ſatis confidit, & à belli cogitatione ad ius dicendum ſe conuertit, repentè ab Arminio circunuentus,cum tribus legionibus obtruncatur. Mortem eius deflet Horatius libro 1.Carm.*

Vaſcónes,*(ὄάσκωνες)populi citerioris Hiſpaniæ,quà in Gallicum & Britannicũ Oceanum uergit, ad Pyrenæum poſiti.Hi à Metello Romanorum duce obſeßi, in tantam*

famem compulſi ſunt, ut humana carne ueſcerentur. Iuuenalis Satyr. 15.

Vaſcones (fama eſt) alimentis talibus uſi
Produxere animas.

Vaticanus, (βατικανὸς) collis eſt, non procul à Tiberi, ſuprà molem Adriani, conterminus Ianiculo, uinum quidẽ ſatis copioſum gignens, ſed parũ laudatũ. Marti. li. 6.

Quid te Tucca iuuent miſero miſcere Falerno
In Vaticanis condita muſta cadis?

Dictus Vaticanus ſiue à uaticinijs, quæ eo in monte dabantur: ſiue à Vaticano deo, montis huius præſide, penes quem eſſe putabantur humanæ uocis initia. Gellius lib. 16. capite 17. Et agrum Vaticanum (inquit) & eiuſdem agri Deum præſidem appellatum acceperamus à uaticinijs, quæ ui atq; inſtinctu eius Dei, in eo agro fieri ſolita eſſent. Sed præter hanc cauſam Marcus Varro in libris rerum diuinarum, aliam eſſe tradit iſtius nominis rationem. Nam ſicut Aius, inquit, Deus appellatus, araq; ei ſtatuta eſt, quæ eſt in infima noua uia, quòd eo in loco diuinitus uox edita erat: ita Vaticanus Deus nominatus, penes quem eſſent uocis humanæ initia: quoniam pueri, ſimulatq; parti ſunt, eam primã uocem edũt, quæ prima in Vaticano ſyllaba eſt. Idcirco uagire dicitur, exprimente uerbo ſonum uocis recentis. Hactenus Gellius.

Vcalegon, (οὐκαλεγὼν) unus ex Troianis proceribus, qui belli tempore, quòd annis confectus eſſet, prælio abſtinuit, ut refert Homerus 13. Iliad. Verg. 2. Aeneid.

-Iam proximus ardet
Vcalegon.

Quo in loco domini nomen figuratè pro ipſis ædibus poſuit.

Vectônes

Vectônes, (ὀυέκτωνες) populi Hiſpaniæ citerioris, ab Aſturibus Durio amne diſcreti, teſte Plin. lib. 4. cap. 20. Lucan. libro quarto,

Vectonesq́; leues.

Véiouis, apud Romanos inter ſiniſtra ſeu noxia numina habebatur, quem nō auxilij alicuius ſpe uenerabantur, ſed ideo tantúm, ne quid ipſis noxæ inferret. Huius ſimulacrū effingebatur ſpicula manu tenens, eaq́; minaciter intentans. Vnde quidam eundem cum Apolline eſſe putarunt, qui ſpiculis, hoc eſt, radijs ſuis multa morborum genera immittit. Cic. tertio de Nat. deor. Quid Veioui facies? quid Vulcano?

Veij, (βεοὶ Plutarcho) urbs fuit Hetruriæ, non procul ab urbe Roma, quam Camillus poſt decennalem obſidionem per cuniculos cepit. Tanta autem fuit urbis huius claritas, tanta ſitus opportunitas, ut Romani exuſta deformataq́; à Gallis urbe, Veios potiſsimùm delegerint, quò Romani imperij ſedem transferrēt: à quo incepto grauiſsimis Camilli concionibus ægrè ſunt reuocati. Huius incolæ dicti ſunt Veientes, Fabiorum clade notiſsimi. Hinc Veientanus, a, um, poſſeſsiuum: ut, Vinum Veientanum. Horat. 2. Serm. Sat. tertia,

Qui Veientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla, uappamq́; profeſtis.

Velabrum, (βήλαβρον) locus in urbe iuxta Auentinum montem, uelis obtenſus, ſub quibus oleum & ſimilia uendebantur. Plaut. in Captiuis: Quaſi in Velabro olearij. Horat. 1. Serm. Satyr. 3.

Cùm ſcurris fartor, cum Velabro omne macellum
Manè domum ueniant.

Hinc Velabrenſis, & hoc, enſe. Mart. lib. 11. Epigrāmatum,

Vel Velabrenſi maſſa recocta foco.

Velabrenſis caſeus, qui in Velabro conficiebatur, cunctis præferendus. Martialis libro 13.

Non quemcunq; focum, nec fumum caſeus omnem,
Sed Velabrenſem qui bibit, ille ſapit.

Velia, (βελία *Stephano*) *Lucaniæ oppidum, in ſinu Pæſtano conditum à Phocenſibus, antea Elea* (ἐλέα) *dicta, & incolæ ipſi Eleatæ. Hinc deducitur adiectiuum Velinus, a, um. Verg. lib. ſexto Aeneidos:*

-Portusq; require Velinos.

Venafrum, (βέναφρον) *ciuitas Campaniæ, abundans oleis. Mart. lib. 13.*

Hoc tibi Campani ſudabit bacca Venafri.

Horat. 2. Carm. Ode 6.

—Viridiq; certat Bacca Venafro.

Hinc deducitur adiectiuum Venafranus: ut, Ager Venafranus, Oleum Venafranum: quod & Venafranum dicitur abſolutè, Iuuenal. Satyra quinta,

Ipſe Venafrano piſcem perfundit.

Véneti, (ἐνετοὶ) *populi ſunt Italiæ, ab Henetis Paphlagoniæ populis, & Troianis oriundi: qui Troia euerſa, cum magna manu Henetũ, duce Antenore in intimũ maris Adriatici ſinũ peruenerũt, pulſisq; Euganeis, qui inter Alpes et mare incolebant, eas occuparunt terras, & ubi primũ egreſſi ſunt, oppidum condiderunt, quod de nomine relictæ patriæ appellauerunt Troiam. Gens autem tota, aſpiratione in u conſonantem commutata, uno nomine Veneti appellati ſunt. Lucanus lib. 4.*

Sic Veneti ſtagnante Pado.

Horũ regio Venetia dicitur, Adriatico mari proxima, & à Padi fluminis oſtijs poſt Iſtriam uſq; protenſa. Inſignes urbes

urbes habet, Veronam, Vicentiam, Pataium, & Venetias regionis totius caput, anno à partu Virginis 454. in inſula conditas, quo tempore Attyla Hunnorum rex Aquileiam euertit.

Venilia, Nympha fuit, uxor Fauni, & ſoror Amatæ Latini regis coniugis, mater autem Turni. Verg. lib. 10.

Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater, &c.

Veniliam item antiqui Neptuni coniugem appellarunt, à ueniendo, (inquit Varro lib. 4. de Ling. Lat.) quam eandem & Salaciam appellauerũt, ad naturam nimirum maris reſpicientes, cuius fluctus modò ad terram ueniunt, modò in ſalum abeunt.

Vénulus, unus fuit ex Latinorum proceribus, qui in Magnam Græciam legatus miſſus, ut Diomedem in belli ſocietatem aſciſceret, re infecta rediit.

Venus, (ἀφροδίτη, κυπρογένεια) ab antiquis amorum, gratiarũ, pulchritudinis, deliciarũ, uoluptatũq; omniũ habita eſt dea: ita dicta à ueniẽdo, quòd ad omnes res ueniat, ut autor eſt Cicero 2. de Natur. deor. Hanc Poëtæ ex ſpuma maris, & Cœli teſticulis natam fabulãtur, à Saturno exciſis, et in mare proiectis: unde & παρὰ τὸν ἀφρὸν, hoc eſt, à maris ſpuma Aphroditen appellarũt. Auſonius,

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita Cœlo,
Aeneadûm genitrix hîc habito alma Venus.

Eſt item Venus, una errantium ſtellarum, inter Solis & Mercurii ſphæras ſita, quæ φωσφόρος Græcè, Lucifer Latinè dicitur, cùm antegraditur Solem: cùm autẽ ſubſequitur, Heſperus, Veſper, & Veſperugo. Venerum quatuor meminit Cic. lib. 3. de Natura Deorum, cuius uerba ſunt: Venus prima Cœlo, & Die nata, cuius Elide delubrum uidemus. Altera ſpuma procreata, ex qua & Mercurio Cu-

pidinem ſecundum natum accepimus. Tertia Ioue nata, & Iunone, quæ nupſit Vulcano, ſed ex ea, & Marte natus Anteros dicitur. Quarta Syria, Cyroq; concepta, quæ Aſtarte uocatur, quã Adonidi nupſiſſe proditũ eſt. Hæc ille.

Venuſia, æ, (ὀυενουσία Ptol.) oppidum Appulorum Dauniorũ, nõ procul à finibus Lucaniæ, patria Horatij Poëtæ, qui ab eo dictus eſt Venuſinus. Meminit huius oppidi Plin. lib. 3. cap. 11.

Verbanus, lacus eſt Ciſalpinæ Galliæ, Ticinum ex Alpibus defluentem accipiens, & eundem in Padum tranſmittens. Hodie lacum maiorem appellant.

Vergiliæ, (πλειάδες) ſeptem ſunt ſtellæ, inter os Tauri, & Arietis caudam ſitæ, teſte Hygino lib. 2. de Signis cœleſtibus: ita dictæ, quòd circa æquinoctium uernum matutinò oriantur. Propertius lib. 1.

Et ſit iners tardis nauita Vergilijs.

Eædem et Pleiades dicuntur, ut latius docuimus ſuo loco.

Verôna, (ὀυήρωνα) ciuitas Venetiæ, à Gallis condita, duce Brenno: à quo Brenona primò, deinde mutatis literis, Verona dicta eſt, ut Iuſt. lib. 20. refert. Hi enim, quum nouas ſedes quærere ob inteſtinas diſcordias, & aßiduas diſſenſiones cogerentur, in Italiam uenere: expulſisq; inde cultoribus, Mediolanum, Comum, Brixiam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam & Veronam condiderũt ad Atheſim fluuium amœnißimum, qui ex Tridentinis Alpibus ortus, non longè à foſſa Clodia Pado miſcetur. Ex hac urbe ortus eſt Catullus Poëta, & (ut quidam exiſtimant) Plinius Naturalis hiſtoriæ ſcriptor. Ouidius,

Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo.

Vertumnus, deus habitus eſt in Latio, in omnes ſeſe uertens

tens formas, quemadmodum & de Proteo ſuo comminiſcuntur Græci. Hic cùm Pomonam Nympham adamaret, in anum ſeſe conuertit, hortosq; eius ingreſſus, multis ei rationibus perſuadere conatus eſt, ut ſibi coniugio iungeretur. Verùm cùm ea uia nihil proficeret, poſita anus perſona, in iuuenilem rediјt formam, cuius pulchritudinē admirata Nympha, uim iam inferenti Deo non admodum ſe præbuit moleſtam. Qua de re uide Oui. lib. 14. Metam. Acron in illud Horat. lib. 2. Serm.

-Vertumnis, quotquot ſunt, natus iniquis.

Vertumnum ait eſſe deum humanarum cogitationū præſidem: ideoq; multiformem fingi & inconſtantem, quemadmodum & illæ uariæ ſunt & mutabiles. Iniquo autem Vertumno natos eſſe interpretatur, qui cogitationes ſuas regere non poſſunt. Tiberius Donatus Vertunum dicendum exiſtimat, quemadmodum & Portunum, quem idcirco coli arbitratur, ut res inſtitutæ, ad quem deſtinatæ ſunt finem, perducantur. Sæpe enim malè cedit, quod uel optimè eſt inſtitutum: quemadmodum gladius ille, qui reginæ dono datus fuit ab Aenea, necis ipſi conſciſcendæ fuit inſtrumentum. Nec deſunt, qui inde Vertumnum dictum putant, quòd lacum Curtium in Tiberim auerterit. Quam opinionem tangit & Ouidius lib. 6. Faſtorum. Huius feſta dicta ſunt Vertumnalia, quæ menſe Octobri celebrabantur.

Vesêuus, qui & Veſuuius, mons eſt Campaniæ, Nolæ uicinus, agros habens miræ fertilitatis, præterquam in ſolo cacumine, ubi planitiem habet magnam, fructum omnino nullum ferentem: terræ cinerulentæ facie, rupibusq; exeſis, non indubitata ueteris incendiј indicia oſtendentē. Conſtat enim ſæpius arſiſſe: nunquam tamen uehemen-

tius, quàm imperante Tito, quo tempore erumpens ex eo ignis & uicinas regiones latiſſimè populatus eſt, & Plinium, Naturalis Hiſtoriæ ſcriptorem, qui cognoſcendi cupiditate eò ſe contulerat, fumo, flammisq; enecauit: qua de re uide Epiſtolam Plinij Iunioris ad Cornelium Tacitum, quæ Naturali Hiſtoriæ hodie eſt præfixa. Montis huius meminit Vergilius 2. Georg.

Talem diues arat Capua, & uicina Veſeuo
Ora iugo.

Item Martialis libro quarto,

Hic eſt pampineis uiridis Veſuuius umbris.

Veſta, (ἑστία) *Saturni filia ex Ope: quanquam à Poëtis nō rarò pro terra ſumitur, ſiue quòd omnibus rebus terra ueſtiatur, ſiue quòd ui ſua ſtet. Ouid. lib. 6. Faſt.*

Stat ui terra ſua: ui ſtando Veſta uocatur.

Nec deſunt, qui ἀπὸ τῆς ἑστίας *nomen hoc deductum uelint, aſpiratione in u, conſonans mutata: ut, Venetus, pro Henetus, Velia pro Helia. Cui ſententiæ ſubſcribit & Cic. lib. 1. de Nat. Deor. Veſtæ (inquit) nomen ſumptum eſt à Græcis. Ea eſt enim, quæ ab illis ἑστία dicitur, uisq; eius ad aras & focos pertinet. Interdum ponitur pro igne. Ouid. ibidem:*

Nec tu aliud Veſtam, quàm uiuam intellige flammam:
Nataq; de flamma corpora nulla uides.
Iure igitur uirgo eſt, quæ ſemina nulla remittit.

Veteres autem duas eſſe Veſtas affirmabant. Vnam Saturni matrem: alteram eius filiam, de qua Ouidius loco iam citato,

Ex Ope Iunonem memorant, Ceremq; creatas
Semine Saturni: tertia Veſta fuit.

Confundunt tamen has poëtæ, alteram pro altera ponen-

tes,

tes. Id tamen obſeruandum eſt, quum Veſtam pro Terra accipiunt, de matre Saturni id eſſe intelligendum: Quando uerò uirginem nominant, de filia eius eſſe intelligendum, quam ignem eſſe uoluere. Hanc unam ex Dijs penatibus eſſe uolunt, quos Aeneas in Italiam aduexit. Vergil. libro ſecundo Aeneidos,

Sic ait, & manibus uittas, Veſtamq; potentem,
Aeternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Cui ſententiæ non obſcurè aſtipulatur & Liuius, cùm Veſtæ ſacra uetuſtiſsima eſſe aſſerit, & ab Albanis accepta, à Numa autem Pompilio primùm Romæ inſtituta, multisq; ceremonijs uenerabiliora effecta. Primus enim ille ſacerdotes ei ſacrauit, ſtipendioq; publico donauit, perpetuaq; uirginitate, alijsq; ceremonijs uenerabiliores effecit. Harum potiſsima cura erat, ut ignem perpetuum conſeruarent: qui ſi fortè per negligentiam fuiſſet extinctus, nequaquam alio ex igni reparare fas erat, ſed accenſa per fomites ex ſole flamma purus & cœleſtis ignis eliciebatur. Porrò uirgo Veſtalis legebatur intra annum ſextum ſuæ ætatis, & decimum: & triginta annos oportebat eam manere uirginem: poſtea nubere licebat. Quòd ſi interim fortè ſtuprum commiſiſſet, uiua defodiebatur.

Véſulus, (βέσυλος) mons Liguriæ iuxta Alpes, inter cæteros clariſsimus, ex cuius radicibus Padus erumpit, teſte Plinio lib. 3. cap. 16. Verg. 10. Aeneid.

Ac uelut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quos pinifer annos
Defendit.

Veſúuius, qui & Veſeuus, mons eſt Campaniæ, non procul à Nola, crebris incendijs, & Plinij morte nobilitatus. Martialis libro quarto:

Hic eſt pampineis uiridis Veſuuius umbris.

Valerius Flaccus libr.3. Argonaut. Veſbium uocat, aut certè Veſuium, per tres ſyllabas:

-Magis ut mugitor anhelet Veſuius.

Vide de hoc plura in dictione Veſeuus.

Vfens, *fluuius eſt iuxta Terracinam per paludes Pontinas fluens, teſte Plin. lib.3. cap.5. Verg. lib.7. Aeneid.*

-Gelidusq; per imas

Quærit iter ualles, atq; in mare uoluitur Vfens.

Vfens præterea Aequicolarum dux fuit, qui cùm Turno aduerſus Aeneam ſuppetias ferret, à Gya Troiano eſt interfectus: de quo Verg. lib.7. & 12. Aeneid.

Vindelicia, (ὀυινδελικία) *regio Germaniæ, Rhætiam habens ab Occaſu, Noricum ab Ortu: ab illa Lyco, ab hoc Aeno fluuio dirempta: à Septentrione Danubio terminata, à Meridie Alpibus ſupra Italiam extenſis. Huius regionis incolæ dicūtur Vindelici, (ὀυϊνδελικοὶ.) Horatius:*

Videre Rhæti bella ſub Alpibus

Druſum gerentem, & Vindelici.

Vírbius, *idem qui Hippolytus, Theſei, & Hippolytæ Amazonis filius, qui cùm à Phædra nouerca per calumniam apud patrem delatus eſſet, quòd ipſi ſtuprum inferre uoluiſſet, patris iram ueritus, conſcenſo curru fugam arripuit: cumq; iuxta maris littus perueniſſet, incuſſo à Neptuno pauore, equi conſternati, implicatum habenis Hippolytum dilacerarunt. Cuius uicem miſerata Diana Aeſculapij opera ad uitam eum reuocauit, & in Aricino nemore collocatum, pro Hippolyto Virbium appellauit, quaſi bis uirum. Ouid.15. Metamor.*

Tum mihi, ne præſens augerem muneris huius

Inuidiam, denſas obiecit Cynthia nubes:

Vtq;

Vtq́; forem tutus, poſſemq́; impunè uideri,
Addidit ætatem, nec cognoſcenda reliquit
Ora mihi: Cretenq́; diu dubitauit habendam
Traderet, an Delon: Delo, Cretaq́; relictis,
Hîc poſuit: nomenq́; ſimul, quod poßit equorum
Admonuiſſe, iubet deponere: Quiq́; fuiſti
Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius eſto.

Vlubræ, arum, *ignobilis Italiæ uicus iuxta Velitras, nulla alia re, quàm quòd in ipſo educatus fuerit Auguſtus, memorabilis: ut annotauit Porphyrio in illud Horatij lib. 1. Epiſtolarum,*

-Quod petis, hîc eſt,
Eſt Vlubris, animus ſi te non deficit æquus.

Vlyſſes, (ὀδυσσεύς) *rex Ithacæ, & Dulichij, inſularum, filius Laërtæ & Anticleæ: quanquam non deſunt, qui ex Siſypho conceptum uelint, qui Anticleæ, cùm ad Laërtæ nuptias duceretur, uim dicitur obtuliſſe. Vnde Aiax apud Ouid. 13. Metamorph. illi obijcit, quòd Siſyphio ſanguine eſſet genitus. Fingitur ab Homero uir multa præditus facundia, nec minore experientia, uafer conſilio, egregius bello, laborum patientißimus. Vxorem habuit Penelopen Icarij filiam, ex qua Telemachum filium ſuſcepit: eamq́; tantopere adamauit, ut reliquis Græcorũ principibus ad bellum Troianum proficiſcentibus, ipſe inſaniam ſimulauerit, futurum ſperans, ut tanquam bello inutilis domi relinqueretur. Iunctis itaque duobus diuerſi generis animalibus, littus proſcindebat, & frugum loco ſalem ſerebat. Palamedem tamen uirum prudentiſſimum latêre non potuit: qui ut technam illius detegeret, aranti illi Telemachum filium in ſulco obiecit, quod Vlyſſes conſpicatus, ne filium læderet, aratrum ſubleuauit.*

Quo argumento facile depræhenſum eſt, non ueram illã, ſed ſimulatam eſſe inſaniam. Pertractus *itaq; ad* Troiam, *ſtrenuam utiliſsimamq́; eo in bello* Græcis *operam nauauit.* Nam *&* Achillem *inter* Lycomedis *regis filias uirginali habitu latitantem, ad bellum perduxit: & ſagittas* Herculis *à* Philoctete *impetratas, ad* Troiam *pertulit.* Cinerem *præterea* Laomedontis, *qui ſuper Scæa porta Ilij ſeruabatur, clàm ſuſtulit:* Palladiumq́; *unà cum* Diomede *ex* Troia, *cæſis cuſtodibus, rapuit. Miſſus deinde explorator cum eodem* Diomede, Rheſum *Thraciæ regẽ occidit, equósque eius abduxit, priuſquam* Xanthi *aquã deguſtaſſent.* Erant *autem hæc omnia in* Troianorum *fatis: ſine quibus* Troia *expugnari non poterat.* Cum Palamede *frumentationis cauſa grauiſsimas inimicitias exercuit: eumq́; tandem per calumniam circumuentum, lapidibus obruendum curauit.* Occiſo Achille, *in armorum illius iudicio* Aiaci *prælatus eſt.* Capta *autem* Troia Orſilochum Idomenei Cretenſis *regis filium, obſtantem ne legitima pars prædæ ſibi decideretur, exorta rixa interemit.* Deniq; Polyxena *ad* Achillis *tumulum iugulata, atq;* Aſtyanacte Hectoris *filio è turri præcipitato, cùm nauim conſcendiſſet tanquam in patriam rediturus, graui exorta tempeſtate, primùm in* Ciconum *littus appulſus eſt.* Atq; *inde rurſus ſoluens, ſimili tempeſtate eiectus in* Aphricam, *ad* Lotophagorum *gentem peruenit.* Vbi *cùm ſocij lotum guſtaſſent, ægrè inde potuerunt reuelli.* Inde *rurſus uela faciens, in* Siciliam *delatus eſt: ubi* Polyphemi *antrum cum duodecim ſocijs intrauit, ex quibus cùm* Cyclops *ſex deuoraſſet, oculum ei eruit, præuſto ſtipite, pellibusq; arietum inuolutus, cum ſuperſtitibus antrum euaſit.* Hinc *in* Aeoliam *nauigans, ab* Aeo-

lo

lo uentos in utrem coactos obtinuit. Verùm cùm iam Ithacæ proximus eſſet, ſocij theſaurum eſſe credentes, utrem ſoluerunt: quo facto, reflantibus uentis denuo in Aeoliam repulſus eſt: ſed ab Aeolo abactus, deuenit ad Læſtrygonas, quos ob immanitatem fugiens, ad Circen peruenit: quæ cùm exploratores eius in beluas mutaſſet, ipſe ſumpto à Mercurio pharmaco acceßit impauidus, & ſtricto gladio eam coëgit, ut ſocios ſuos priſtinæ formæ reſtitueret: quod cùm feciſſet, eius poſtea conſuetudine uſus per totum annum, ſuſcepit ex ea Telegonum filium: Heſiodus uerò Agrium & Latinum ex Circe genuiſſe dicit. Aegrè deinde ab ea dimiſſus, ad Oceanum peruenit, ubi peractis ſacris ad inferos deſcendit, ibiq; ex Anticlea matre, Elpenore, & Tireſia uate multis de rebus certior factus, reuertitur ad Circen: & Elpenorem ſocium, qui nuper inebriatus de ſcalis deciderat, honorifica proſequitur ſepultura. Poſt hæc ad inſulam Sirenum delatus eſt, quarum cantus ne audirent, socijs aures cera obturauit: ſe autem ad malum alligari fecit, eaq; ratione illarum inſidias tutus euaſit. Inde Scyllam tranſiens & Charybdim, non ſine maximo periculo in Siciliam uenit ad ea loca, ubi Phaëthuſa Solis filia cum duabus ſororibus greges patris paſcebat, à quibus uim omnem abſtineri iußit. Sed ipſo dormiente, ſocij fame coacti, ſuadente etiam Eurylocho, plura ex gregibus animalia mactauerunt: quod ſcelus poſtea naufragio luerunt, adeò ut ex omnibus ſolus ſit ſeruatus Vlyſſes, qui arrepto nauis malo, nouem diebus à uento & undis huc illuc agitatus, tandem ad Ogygiam inſulam appulſus, à Calypſo nympha ſuſceptus eſt: ſeptemq; annis eius conſuetudine uſus, Nauſithoum & Nauſinoum filios, ut Heſiodo placet, ex ea genuit. Poſt hæc miſertus

eius

eius Iupiter, Mercurio in Ogygiam miſſo, imperat Deæ, ut Vlyſſem miſſum faciat. Confecta itaq; rate, Vlyſſes rurſus mari ſe cõmittit. Verùm cùm iam Phæacia in conſpectu eſſet, ſubitò immiſſa à Neptuno tempeſtate, nauim fregit: actumq́; de eo omnino fuiſſet, niſi eius miſerta Leucothoë, tabulam ei ſuppeditauiſſet, cui ille innitens, incolumis in Phæacenſium portum adnauit: ibidemq́; quòd nudus eſſet, inter frondes ſeſe occultauit. Verùm non multò pòſt à Nauſicaa filia Alcinoi repertus, ueſtes accepit. Deinde Palladis opera ad Areten eiuſdem Alcinoi coniugem deductus, dona, nauem, & ſocios accepit, qui eum in Ithacam reduxere, ubi cùm dormientem cum donis depoſuiſſent, tandem excitatus à Pallade, ipſius monitu habitum mendici accepit, & hoc modo ad ſuos ſubulcos peruenit: apud quos Telemachum quoq; uidit. Demum ab Eumæo porcario incognitus domum ducitur, ubi poſt multas iniurias ſibi à procis illatas, tandem ab Euryclea nutrice agnitus, arma ex compoſito cum filio & duobus ſubulcis, quibus ſe indicarat, aduerſus procos ſumens, eos ad unum omnes trucidauit, atq; ſic Penelopen recepit. Porrò cùm ex oraculo didiciſſet, ſe à filio interemptum iri, in locis abditis uiuere decreuit. Telegonus autem filius ex Circe ſuſceptus, patrem ſuum uidere cupiens, Ithacam profectus eſt, ubi cùm incognitus à domo patris prohiberetur, orta contentione, patrem incognitum ſpina uenenoſa trigonis piſcis transfixit.

Vmbria, (ὀμβρία) *regio Italiæ inter Apenninum, & mare Adriaticum ſita: ita dicta ἀπὸ τ͂ ὄμβρου; hoc eſt, ab imbre, propterea quòd Vmbri omnium Italiæ populorum antiquiſſimi, inundationi terrarum, imbribusq́; ſuperfuiſſe credantur: ut refert Plinius libro 3. cap. 14.*

Aut

Aut certè Vmbria dicta eſt ab umbra, quòd ea regio propter altitudinem montium, & uicinitatem Apennini, umbroſa ſit. Olim trecenta oppida habuiſſe fertur, quæ poſtea Hetruſci deleuerunt. Hodie ſunt reliqua, Sentinum, Fanum Fortunæ, Nurſia, Reate, Ameria, Tiphernum, Nuceria, Aßiſia, Tudertum, Narnia, & Spoletum, à quo nunc ea regio ducatus Spoletinus appellatur. Meminit regionis huius Lucanus lib. 2.

Iusq́; ſui pulſo iam perdidit Vmbria Thermo.

Vógeſus, *mons eſt Galliæ Belgicæ, Sequanos & Lingones diuidens à Mediomatricibus, Araris, & Moſæ fontibus inſignis. Lucan. lib. 1.*

Caſtraq́; quæ Vogeſi curuam ſuper ardua ripam
Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.

Volſci, *populi in Latio ultra Circeios, teſte Plinio lib. 3. capite 5. Verg. 2. Georg.*

Aſſuetumq́; malo Ligurem, Volſcosq́; uerutos.

Ex Volſcis orta fuit Camilla, quæ Turno aduerſus Aeneam ſuppetias tulit. Idem 7. Aeneid.

Hos ſuper aduenit Volſca de gente Camilla.

Volúſius, *(βολέσιος) Poëta quidam ineptus fuit, patria Patauinus, qui Ennium ſecutus, rerum geſtarum populi Romani Annales carmine ſcripſit. Catullus, de Smyrna Cinnæ:*

At Voluſi Annales Paduam morientur ad ipſam,
Et laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas. Et alibi:
Annales Voluſi cacata charta.

Vragus, *(ὀυραγὸς, ᾅδης) Plutonis cognomen eſt, ab urgendo (ut quibuſdam uidetur) impoſitum, quòd omnium deorum maximè nos urgeat. Nos Græcam uocem eſſe maluimus. Apud illos enim ὀυραγὸς dicitur, qui in acie extremam*

mam agminis partem ducit. Vnde non inuenuſtè ad Ditē transfertur, qui poſtremū humanæ fabulæ actum excipit.

Vránia, *ſiue* Vránie, *(οὐρανία, ἢ οὐρανίη) una Muſarū, Iouis & Mnemoſynes filia, cui Aſtrologiæ inuentio tribuitur. Vnde & Vraniā dictam putant, quaſi τὰ ἄνω ὁρῶσαν, hoc eſt, ſublimia ſpeculantem. Ouid. lib. 5. Faſtor.*

Excipit Vranie: fecere ſilentia cunctæ.

Vranus, *(οὐρανός) pater Saturni: quem Latini Cœlum, uel Cœlium appellant. Huic Saturnus filius uirilia dicitur excidiſſe, quæ in mare proiecta, & fluctibus agitata, ſpumas ediderunt, ex qua Venerem natam uolunt, quæ idcirco Græco nomine dicitur Aphrodite.*

Vtica, *(ἴτυκα Ptolemæo, ἰτύκη Stephano) urbs Aphricæ propriè dictæ, ad Bagradam fluuium ſita, proximam Carthagini olim obtinens dignitatē, eaq; exciſa, Africæ totius caput: in qua Cato Vticenſis, uicto iam Scipione, necem ſibi conſciuit. Lucan. lib. 6.*

-Prò triſtia fata:
Non Vticæ Libycæ clades, &c.

Vulturnus, *(εὖρος) uentus ab ortu hyberno ſpirans, quem Græci Eurum uocant, teſte Plinio lib. 2. capite 47. Eſt itē Vulturnus, fluuius Campaniæ, qui per Capuam fluens, circa Cumas in mare illabitur. Verg. 7. Aeneid.*

-Amniſq; uadoſi
Accola Vulturni.

Vulcánus, *(ἥφαιστος) Deus ignis præſes, filius Iouis & Iunonis, qui à parentibus ob deformitatem (licet alij alias cauſas afferant) cœlo deiectus eſt in Lemnum inſulam, ubi ab Eurymone Oceani filia, & Thetide nutritus eſt: uel, ut alij uolunt, à ſimijs. Ea autem ruina, qua decidit de cœlo claudus factus eſt. Officinam habere fertur in Lemno unà*

cum

cum Cyclopibus ſuis miniſtris: fingitur faber Deorum, Iouiq; *fulmina,* & Dijs *arma aduerſus gigantes dicitur fabricaſſe.* Ad *menſam tamen* Deorum *non eſt admiſſus. quinetiam cùm* Mineruæ *nuptias expetijſſet, repulſam paſſus eſt.* Vnde Vergil. Eclo. 4.

Nec Deus *hunc menſa,* Dea *nec dignata cubili eſt.*

Tandem *uxorem duxit* Venerem *: quam cùm poſtea cum* Marte *in adulterio depræhendiſſet, ambos adamantinis catenis colligauit, nudosq;, uti erãt,* Dijs *deridendos exhibuit.* Artis *fabrilis præſtãtia omnes creditur ſuperaſſe: quò fit, ut quicquid artificiosè ex metallo unquam fuit fabricatum, ad* Vulcanum *referatur autorem : quo in genere ſunt, monile* Harmonies, *corona* Ariadnes, *currus* Solis, Achillis & Aeneæ *arma,* & *id genus alia non pauca.*

X

XAnthe, es, (ξάνθη) *Nympha marina,* Oceani & Tethyos *filia: à rufo, ſiue flauo colore dicta.* Heſiodus *in* Theogonia:

Πόρονίς τ', Ἰάνειρά τ' Ἀκάςητε, Ξάνθη τε.

Hæc *à* Vergilio Xanthò *appellatur* 3. Georg.

Drymoq;, Xanthoq;, Lygeaq;, Phillodoteq;.

Xanthus, (ξάνθος) *fluuius* Troadis, *idem cum* Scamandro *: ita dictus, teſte* Ariſtotele, *de* Hiſtor. *animal. libro* 3. *quòd ouium uellera rufo inficiat colore.* ξανθὸν *enim* Græci *dicunt, quod nos rufum aut flauum.* Verg. 1. Aeneid.

Ardentesq; auertit equos in caſtra, prius quàm
Pabula *guſtaſſent* Troiæ, Xanthumq; *bibiſſent.*

Idem 4. Aeneidos,

Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthiq; *fluenta*
Deſerit, *ac* Delum *maternam inuiſit* Apollo.

Eſt *itẽ* Xanthus Lyciæ *fluuius, duobus fontibus è* Cadmo monte

monte naſcens, & nõ procul à nominis ſui urbe in Lyci-um mare ſe exonerans. Hoc *præterea nomine fuit unus ex equis* Hectoris, *cuius meminit* Homerus *lib. 23.* Iliad.

Xénius, (ξένιος) *Iouis cognomentum apud Græcos, teſte* Dionyſio, *quem* Latini, *uerbo ex uerbo expreſſo,* Hoſpitalem *uocant. De hoc intelligendum eſt illud* Verg. 1. Aen.

Iuppiter, *hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.*

Xerolíbya, (ξηρολιβύα) *Libya ſicca, hoc eſt, pars Libyæ interior, propter aquarum inopiam deſerta: quam* Vergilius *lib. 4.* Aeneid. *uocat regionem ſiti deſertam.*

Xerxes, (ξέρξης) *Perſarum rex fuit, filius* Darij, & Cyri *ex* Atoſa *filia nepos, qui* CLXX. *hominum myriadibus, hoc eſt, decies ſepties centenis millibus per totũ quinquẽnium contractis, Græciæ bellum intulit. Quam tantam hominum turbam cùm ex editiore ſpecula aſpexiſſet, teneriter fertur lacrymaſſe, quòd poſt centum annos ex tãto hominum numero nemo eſſet ſuperfuturus. Tantũ autẽ habuit nauium apparatum, ut totum* Helleſpontum *operiret, &* Aſiam Europæ *ponte coniungeret.* Athon *præterea montem, teſte* Plinio *libro 4. cap. 10. à continente abſcidit. Victus demum apud* Thermopylas *à quatuor hominum millibus, nauale quoq; certamen cum* Themiſtocle *tentauit: à quo ſimiliter apud* Salaminẽ *ſuperatus, cùm antea tota maria claſſe ſterneret, uix paruula cymba effugit, relicto* Mardonio *Præfecto, qui & ipſe re in* Bœotia *infeliciter geſta, cum pauciſsimis in* Perſidem *ſe recepit. Demum cùm ſe ocio, ſocordiæq; relicta militia tradidiſſet, præmium genus luxuriæ nouum inuenientibus propoſuit, ut ſcribit* Valerius. *Quamobrem à ſuis ſpretus, paucis pòſt annis ab* Artabano *præfecto ſuo in regia interficitur, cùm regnaſſet annis octo.*

Z

ZAcynthos, (ζάκυνθος) inſula Ionij maris parua, occidentali Peloponneſi lateri adiacens, urbemq; habens eiuſdem nominis: à Zacyntho Dardani filio, qui in ea imperauit, dicta. Plinius lib. 4. cap. 12. Inter Cephalleniam & Achaiam cùm oppido magnifica, tũ fertilitate præcipua Zacynthus, aliquando appellata Hyrie. De hac Vergil. libro tertio Aeneid.

Iam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos.

Zancle, (ζάγκλη) Siciliæ urbs, in penitiſſimo Pelori ſinu, poſtea à Meſſenijs inſtauratoribus μεσσήνη, hoc eſt, Meſſana appellata. Zancle autem prius à ſitus obliquitate dicebatur, quòd falcis in modũ curuata eſſet. Vide Strabonem libr. 6. Ipſa etiam Sicilia Zancle dici inuenitur, à Saturni falce, quam Poëtæ fabulantur in Siciliam deci‑diſſe. Quam fabulam inde ortam putat Macrobius, quòd ea inſula in primis frugum fertilis ſit. Saturnus autẽ primus putatur in Italia frugum uſum inueniſſe. Ouid. 15. Metamorphoſeos,

–Zancle quoque iuncta fuiſſe
Italiæ legitur, donec confinia pontus
Abſtulit, & media tellurem reppulit unda.

Zanclæus, a, um, (ζαγκλαῖος.) ut, Zãclæa arena, apud Ouid. 13. Metamorp. Charybdis Zanclæa, apud eundem 4. Faſt.

Zéphyrus, (ζέφυρος) uentus flans ab Occaſu æquinoctiali aduerſus Subſolanum: quem Latini Fauonium appellant. dictus Zephyrus quaſi ζωηφόρος, hoc eſt, uitam ferẽs: eo enim plantæ omnes germinant, & pullulant. Vide Gellium lib. 2. cap. 22.

Zethes, (ζήθης) fuit filius Boreæ ex Orithyia, & frater

Calaïs. Hi duo fratres ex Argonautarum numero extiterunt: & quoniam alati fuerunt, ad pellendas Harpyias miſſi ſunt, quas uſq; ad Strophades inſulas ſunt inſecuti: ut eſt autor Apollonius in Argonaut.

Zetus, (ζῆτος) filius fuit Iouis ex Antiope, & frater Amphionis. Nam cùm Lycus Thebanorum rex Antiopen uxorem duxiſſet, illamq́; ab Epapho, aut (ut alij uocant) Epopeo Thebanorum rege conſtupratam cognouiſſet, ſine mora eam repudiauit, ſecundasq́; cum Dirce nuptias contraxit. Interim Iupiter Antiopes amore captus, cùm iam uidua eſſet, eam compreſſit: ex quo & grauida effecta eſt. Id ſentiens Dirce, ſuſpicata eſt, uirum ſuum clàm cum Antiopa rem habere: eamq́; ob cauſam miniſtris imperauit, ut carceri eam includerent. Verùm inſtante partus tempore, Iouis miſeratione ſoluta eſt, & in Cithæronem montem confugit; ibiq́; partus dolore correpta, cùm idoneum pariendi locum quærit, in ipſo biuio gemellos edit: quos paſtores ibidem inuentos pro ſuis educarunt, & alterum quidem Zetum apellarunt, ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον: alterum autem Amphionem, ὅτι ἐν διόδῳ, ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν μήτηρ αὐτὸν ἔτεκεν. Hi cùm poſtea adoleuiſſent, cognitis iniurijs, quibus matrem ſuam affecerat Dirce, Tauri indomiti caudæ eam alligarunt, eoq́; per aſpera loca agitato, diris eam cruciatibus dilaniarũt: donec eius miſertus Bacchus in fontem eiuſdem nominis eam commutauit. Fuit autem Zetus, Muſicæ peritiſſimus: unde unà cum fratre Amphione ſaxa fingitur ad Thebanæ urbis ſtructuram citharæ ſuauitate traxiſſe. Cuius commenti rationem hanc reddit Palæphatus de Fabuloſis narration. Amphionem & Zetum Muſicam primos in quæſtu habere cœpiſſe, eaq́; lege admiſiſſe auditores, ut illi uiciſſim ipſis ad mu-

ri

ri conſtructionem operam ſuam præberent. Fratrum *ho-rum meminit* Horat.lib.1.Epiſt.17.

Gratia *ſic fratrum geminorum* Amphionis,atq;
Zeti *diſsiluit.*

Zeuxo, (ζευξώ) *Nympha marina,*Oceani *&* Tethyos *filia.*Heſiod.*in* Theog.

Ζευξώ τε, Κλυτίη τε, Ἰδυῖά τε, Πασιθόη τε.

Zóilus,(ζωΐλος) Sophiſta *fuit* Amphipolites, Ptolemæi *temporibus,hoc uno facinore nobilitatus,quòd* Homerũ *poëtarum omnium principem libris aduerſus eum ſcriptis auſus ſit reprӕhendere : unde &* ὁμηρομάστιγος *cognomen accepit. Quæ ſcripta* Ptolemæo *obtulit, ingens uidelicet præmium ab eo ſperans.* Verùm *cùm nihil daretur,penuria coactus,ſubmiſit qui peterent.*Ibi Ptolemæus *mirari ſe ait,cùm* Homerus *tot annos defunctus, tot hominum millia paſceret,* Zoilum *egere,* Homero *multo doctiorem.* De *mortis eius genere diuerſi diuerſa ſentiunt. Alij parricidij conuictum iuſſu regis cruci ſuffixum uolunt:alij cùm in* Græciam *rediiſſet,de* Scironijs *ſaxis fuiſſe præcipitatum.* Ab *huius autem moribus ſumptum eſt, ut homines liuidi,& ex alieni ingenij obtrectatione laudem aucupantes,* Zoili *dicantur.* Ouidius *libro* 2.de Remedio *amoris:*

Ingenium *magni liuor detractat* Homeri.
Quiſquis *es,ex illo* Zoile *nomen habes.*

Zonæ, (ζῶναι) *quantum ad noſtrum attinet inſtitutum, ſunt circuli quidam lati,cœlum, terramq; ueluti cingula quædam,ambientes.Sunt autem numero quinque:ex quibus media,quæ inter* Tropicos *eſt, nimio calore parum apta creditur habitationi : duæ uerò extremæ ſub* Arctico *&* Antarctico *circulis ſitæ,nimio frigore horrent:un-*

de & ipſæ habitationi parum ſunt idoneæ. Reliquæ autem duæ, ut quæ medium inter torridam, & gelidam ſitũ obtinent, temperatæ ſunt, & humanæ uitæ ccommodatiſſimæ. Vergilius 1.Georg.

Quinque tenent cœlum Zonæ: quarum una coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igni.
Quam circum extremæ dextra læuaq́; trahuntur
Cœrulea glacie concretæ, atq; imbribus atris.
Has inter, mediamq́;, duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Diuûm, & uia ſecta per ambas:
Obliquus quà ſe ſignorum uerteret ordo.

Ouid.1.Metamorphoſeos,

Vtq́; duæ dextra cœlum, totidemq́; ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura dei: totidemq́; plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas: totidem inter utranq; locauit:
Temperiemq́; dedit miſta cum frigore flamma.

Zygia, (ζυγία) Iunonis *cognomentum eſt, apud* Pindarum, *eò quòd nuptijs præſidere putabatur: unde & γαμηλιάρ uocant* Græci, Latini *etiam* Pronubam. Vergil. quarto Aeneidos,

-Prima & Tellus & Pronuba Iuno
Dant ſignum.

Eôdem ſpectat & illud eodem libro,

Iunoni imprimis, cui uincla iugalia curæ.

FINIS.

ERRATA.

PAgina 4.uerſu 12.quãquàm,lege,quámq;. Pag.ead. uerſ. penult. L. lege, Q. Pag.5.uer.10. ἀπροσδυόνυσον. lege ἀπροσδιόνυσον. Pagin.ead.uerſ.5. moroſus. lege, nemoroſus. Pag. 19. uerſu ultimo,pedis.lege, pedũ. Pag.24.uer.26.portus.lege,portus. Pag.36.uerſ. 26.Verùm de his.lege,Verùm plura de his. Pag.ead.uer. 5.Chironi.lege, & Chironi. Pag.ead.uerſ. penultimo, Aethei.lege,Crethei. Pag.47.uerſ.6.Polyſthenis.lege, Pliſthenis. Pag.48.uerſ.16. cum ſpe.lege, ubi cum ſpe. Pag.eadẽ,uer.8.Amaui.lege,Amani. Pag.7.uerſ.23.uirgas qbus.lege,uirgas intelligit,quibus. Pag.75.uerſ.26. carpſi.lege,carpſit. Pag.77.uer.16. Bebrycium. lege, Bebryciã. Pag.79.uer.8.Anâphs.lege, Anâpis. Pag. 89.uerſ.21.à ſocijs.lege,è ſocijs. Pag.96.uer.18.quidẽ. lege,quidam. Pag.100.uer.14.eũ.lege,eam. Pag.ead. uer.24.recuperauit.lege,reparauit. Pag.115.uerſ.7.dicere.lege,ferũt dicere. Pag.ead.uer.23.Nolit.lege,Nollet. Pag.117.uerſ.20.Armenius. lege, Armenias. Pag. 128.uer.24.quod.lege,quoad. Pa.133.uer.3.idẽ.lege,itẽ. Pag.143.uerſ.18.Ponticum & Euxinũ.lege,Pontũ Euxinum. Pag.158.uerſ.20.filia,ex.lege,filia,ſiue ex. Pag. eadem.uerſ.15.τȣ. lege, τῶν. Pag.169.uer.11.Phileo.lege,Phineo. Pag.171.uerſ.10.Bubaſtitos.lege, Bubaſtites. Pag.177.uer.18.agræ.lege,agrũ. Pag.190. καναϰȣ̃s.lege, καναχȣ̃s. Pag.200.uerſ.20. Spartana. lege, Spartaria. Pag.210. uer.11. Celto. lege, Celte. Pag. ead.uerſ.29.Aulidæ. lege, Aulide. Pagin.232.uerſ.23. Actium.lege,Antonium. Pag.249.uer.2.uiduam. lege, Laij uiduam. Pag.260.uerſ.2.Cydicum.lege, Cydnum. Pag.262.uer.11.Cynips, adiunge uerſui præcedenti, cui hãc notam – auferas. Pag.271.uer.3.æ.ſcribe,α. Pagina

gin.274.uerſ.15.Cythia.lege,Cynthia. Pag.280.uerſ.23.idem. lege, idem qui. Pag.285.uerſ.10. Tythe. lege, Tyche. Pag.327.uerſ.12. Celtogalliã.lege, Celtogalatiam. Pag.346.uer.3.qui.lege,hic. Pag.353.uer.ult. alijs.lege, alij.Pag.355.uerſ.19.& Neleũ.dele &. Pag.356.uer.26.ſignũ.lege,ſinũ. Pag.370.uer.ult.ſibi.lege. cibi. Pag.408.uerſ.5.Numicum.lege, Numicium. Pagin.414.uerſ.16. Formis.lege, Formijs. Pag.415. uerſ. primo,dediſſet.lege,didiciſſet. Pag.442.uerſ.14. Iouis. lege,Lycaonis. Pag.463.uerſ.11.pararet.lege, parereret. Pag.468.uer.ulti.Megarinus.lege, Megarus. Pag.472. uerſ.23.Melicertis.lege, Melicertes. Pag.475.uer.26. ſub.lege,omnes ſub. Pag.491. uerſ.5.Myniæ.lege, Minyæ. Pag.503.uerſ.19.pactum.lege, Myrtilus pactum. Pag.515.uerſ.6.ſura.lege, ſuram. Pag.544.uerſ.3. eſt per.lege,ad bellum eſt per. Pag.553.uerſ.28.ſortio. lege,ſortior. Pag.568.uerſ.23. Terruit. lege, Torruit. Pag.576.uerſ.25. extructa.lege, extructam. Pag.590. uerſ.9.Leuſtrum.lege, Leaſtrum. Pag.598.uerſ.2. pen. lege,prima. Pag.657.uer.9.laſciuia.lege, laſciua. Pagin.661. uerſ.25.ulli.lege, nulli. Pag.670.uerſ.11.diſſimulato.lege,ſimulato. Pag.681.uerſ.29.dele id. Pagin.719.uerſ.26.ante.lege,autem.&,exiſtimat.lege,exiſtimant. Pag.724.uerſ.26.Ticinum.lege,Padum. Pagin. 732.uerſ.penult.impoſitum.lege,impoſitum currui. Pa.740.uer.21.urbibus.deeſt,q;. Pag.742.uer.8.iuuẽt. lege,iuuat.& uer.10.dabantur.lege,edebantur. Pagin. 756.uerſ.29.Eurymone.lege,Eurynome.

FINIS.

Ingressus malitia virtutis operatur ingressum. S. Ambrosio de Poenitent.

Qui erubescit pro Christo, fit dignus miseratione. S. Augustinus de Poenitentia.

Attiarade ne quesieris et [illegible] [illegible] fueris

sed qua precepit tibi Deus, illa cogita semper. Ecclesiasticus. c. 3. v. 22

Partenope vedova per la morte del Catto-
lico Monarca Filippo Quarto, l'Atlan-
te, risarcisce la sua perdita con la vita di Carlo,
Secondo Alcide.
Sonetto. 1665.

Aita o Cieli or che vacilla il Mondo,
Tremate o Mondi ~~...~~ or che ... e ... Cielo
Gia rapito dal Cielo il Ciel del Mondo
L'alma del Mondo è riportata al Cielo.
Cinto d'atra gramaglia orfano il mondo
Apra l'humide luci a rai del Cielo:
E ben vedrà, che a risarcire un Mondo
Chiuse non hà le sue pupille il Cielo.
Viua il gran Carlo, il successor del Mondo,
Vada Filippo à possedere il Cielo,
Sia dei pregi d'entrambi erede il Mondo.
Ridan lieti ad un tempo il Mondo, e'l Cielo
Resti l'Alcide a sostentare il Mondo,
Vada l'Atlante à soggiornare in Cielo.

Boetius quarto de Consolatione.

Aeternitas est interminabilis uitę tota simul, et perfecta possessio, quia non est successiua, nec terminabilis.

Gaetano Cardinale nella sua Somma Verb. Homicidio. Dottamente insegna, che l'Homicidio, cioe, l'illecita occisione dell' Huomo è peccato mortalissimo contra la giustitia, e la carità, e non si da eccettione. Solo in un caso puol uno occidere l'Huomo e nel foro della Consiẽntia è lecito uccidere per accidente, cioe perche non può colui altrimente difendersi, che dando la morte, a chi l'offende.

Angelo Paccinchelli Domenicano mette cotal Dottrina nel trattato sopra Giona Profeta nella Settione 25 i num. secondo. stampato in Fiorenza. 1646.